UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

urn:nbn:de:hbz:466:1-50753

Visual Library

Th. 2907
J. III
16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



R. P.
LVDOVICI
RICHEOMI SOCIETATIS IES.

Leo. Coll. Soc. Iesu Lugdunen.

VALEDICTIO

Animæ Deuotæ

Modos quibꝰ cū Morte confligere, & Rationes quibꝰ ad Eā nos præparare debeamꝰ, contin.

Opus noūu, doctū, pium ac vtile ex Gallico in lat. cōuersū, & tribꝰ Indicibꝰ exornatum.

COLONIÆ
Sumptibus Petri Henningi Sub sigº Cuniculi
M.D.C.X

Permissu Superiorum.

ADMODVM
REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO,

D. DIONYSIO LIECK,

Insignis Monasterij ad D. Nicolaum in Brauweiler
Abbati dignissimo, &c.

QVOD *antè cupiui sæpiùs, cùm pia aliquot meis impendijs exîssent opuscula, Reuer.*^de *in Christo Pater, vt P. T. tali quodã Scholastico, aut*

religioso cultu reuereri liceret: Idmihi tunc euenturum gratulatus fui, cùm in eum, quem vides, libellum à prælo recenter adhuc sudantem, à magno quodam è Societ. IESV Theologo Gallicè conscriptum, nunc Latinitate donatum, incidissem nuperrimè. Et quid erat quod Reu. T. P. vel prostatu cõuenientius, vel pro ipsius in pia, & pios amore gratius, vel pro

meo

meo tandem, meorumq; in eandem adfectu dignius offerre possem, quã magnum hoc doctrinæ penus, et nobilem pietatis thesaurũ? Quæ duo quam semirè in hoc exili compendio coadunârint, tandem iudicabit R.T.P. vbi mixturã sic fabrefactam peruidere licuerit: Nec enim mihi fas oblatum R.T.P. animi mei testimonium aut exosculari muliebriter, aut verbis ar-

roganter exaggerare nimis, res ipsa loquetur satis, & meam libellus sine me caussam dicet liquidò. Vnum illud dũtaxat R. T. P. rogo, vt quod ex syncero mentis in eam adfectu obseruãtiæ specimen profectum videt, acceptet beneuolè, & à me deinceps, modò per temporũ nostrorum iniquitatem quod libet licuerit, maiora expectet. Interea precabor Omnipot. Deum,

vt

vt Reu. P. T. ad quod cordicitùs eandem adspirare noui, Monasterio suo quàm rectissimè regendo multos annos incolumem, & valentẽ præstet. Datum Coloniæ XXVII. Martij, M. DC. X.

R. P. T.

addictiss. Cliens

Petrus Henningus Bibliopola.

LVDO-

LVDOVICVS RICHEOMVS PIO Lectori S.P.

AMICE Lector, tuque qui aliquando oculos in valedictionē isthanc nostram cōiecturus es, id amabo eodem fine abs te fiat, quo scripta à me illa est & diuulgata. Consilium meum erat eum tibi temporis articulū accuratè depingere, qui probè intellectus aditum tibi ad cælum muniret, & quo malè perspecto, vitæ huius initia ac progressus ipsa mors, finis autem infernus foret. Hic in præparatione ad extremam valedictionem consistit, quā tu terræ ac mundo necessariò

riò dicere debes, quo aliquā-
do aut præmijs dignis afficiaris, aut certè è contra rigidum ac seuerum iudicē experiaris. Tempus quo eum cogitare debes instans est, cum enim homo quoties pedem ponit, toties propius mortem accedat, quid amabo aliud consequitur, nisi vnicè hoc eum debere allaborare, vt quam maturrimè eā accedat? Porrò hic aliud si cogitemus, aliud etiam faciamus, perdimus occasionem bene faciendi, posteà in sepulcro medicinam frustra, & inter vermes auxilium nequidquam expetituri; quemadmodum id nobis accuratè sacra Scriptura ob oculos ponit, diuitem illum epulo- *Luc.16.*

nem nobis describens, cuius corpus à vermibus, & anima à diabolis comesta, ad Abrahæ sinum nequidquam aspirabant. Verùm tunc ille vltricibus diuinæ iustitiæ flammis inuolutus, vnicam aquæ guttulã postulauit, eum videlicet ignem extincturus, quem nec Oceanus, nec maria vniuersa valent consopire; at meritò omninò: neque enim ei aquæ gutta debebatur, qui esurienti Lazaro micam panis denegarat; quiq; vnum hoc curauerat, bellè curari, lautè viuere, & longissimam sibi ætatem polliceri. Huius ne tu infortuniũ tibi quoq; accersas, mortem in vita metue, quo eam aliquando deuincas, in eiusdẽ

te

te mortis meditatione alacriter exerce, quo hilari gressu Paradisum versus decurras. Qui tibi dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*, viam tibi regiam ad cælum præsignauit, media ad id suggerit, & præmium ob oculos tibi cōstituit. Ad hoc ego te & libellus iste meus inuitamus: quē si tu sedulò pellegeris, & fortiter aliquando dimicaris, fieri omninò non potest, quin sub finem coronam cœlestē consequare, & in superna patria triumphum legitimum mereare. Ioan. 14.

APPROBATIO.

Libellus hic, cui Titulus VALEDICTIO ANIMAE DEVOTAE, *Authore R.P. Lud. Richeomi Societ. Iesu, olim gallicè editus, iam in latinum translatus, à docto Theologo reuisus & examinat⁹ fuit, & nihil in eo compertum fuit quod vel fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersetur, quare pro communi vtilitate & bono euulgandum, & Typis mancipandum iudico. Coloniæ 26. Martij 1610.*

Fr. Gisbertus Spechtius
Apostol. Inquisitor, &
Prior Præd. Coloniæ.

SVM-

SVMMARIA COLLOQVIORVM.

INtroductio in qua obiter tacta & perstricta viuacitas intellectus est in agone mortis elucens. Colloq. I. pag. 1

Anima Deuota pijs circa mortem meditationibus occupari solita, quanto propius eam accesserit, tanto animosius illam lacessit ac prouocat, spe æternæ vitæ & resurrectionis seipsam erigens. Colloq. II. 6

Cum præparatione & modestia de rebus sublimibus esse differendum: dictum illud, cuius Bias author est, explicatur. Omnia mea mecum porto. Colloq. III. 14

Philosophorum veterum de mortis meditatione ad nos transmissa scripta tanti non esse, vt timenda videatur.

Leges humanæ Diuinæque metu mortis rogantur ac sanciuntur. Contemptus mortis absque causa vitio-

rum est scaturigo. Cleombrotus & Cato similes alij mortem sibi consciscentes ignaui iudicandi. Colloq. IV. 21

Morti malum inesse, & naturam eam abhorrere. Mors animæ & corporis diuortium. Ciuis in Arles paralyticus mortis apprehensione conualescit. Vana veterum persuasio de contemnenda morte. Locus tutus & arma optima contra mortem, veruſqúe modus eam non timendi, sed cum ea confligendi. Colloq. V. 29

Cur doctrina Prophanorum satis esse non possit, vt fructum expensæ & consideratæ mortis capiamus. Veterum placita de dissertationibus super morte, plena vanitatis & iactantiæ fuerunt. Colloq. VI. 35

Mors nihil aliud quam vitæ priuatio. Mors nihil est. Mors cum ne vmbra quidem sit cur timeatur. Colloq. VII. 39

Quid sit mortem timere, & cum ea confligere. Quid eam capere ac iugulare. Colloq. VIII. 47

De duplici morte corporis, altera bonorum, malorum altera. Scripturæ non-

nonnulla loca dilucidantur. Colloq. IX. 55

De duplici mortem metuendi genere, et naturali illius metu omnibus sensu præditis communi. Colloq. X. 57

Naturalem hunc timorem vt vitæ custodiam accepimus; additis diuersis exemplis industriæ bestiarum in periculis vitæ subterfugiendis. Colloq. XI. 61

Duo exempla eiusdem materiæ, leonis alterum ab equo occisi, alterum hominis ex vrsi vnguibus liberati. Colloq. XII. 66

Timor ille mortis qui natura est, magnanimitati non repugnat. Sola formido mortis voluntaria, si rationi contraria sit, vitiosa est & inertiæ notam secum trahit. Colloq. XIII. 76

Quodlibet mortis malæ genus metu voluntario esse dignum. Colloq. XIV. 78

Suipsius homicidium phreneſis detestabilis est, naturæ contraria; doctissimorum quorumque scriptis condemnata, & post mortem legibus

bus punienda. Colloq. XV. 81

De Sampsone & alijs sui interfectoribus.

Princeps sapiens legem interpretatur. Colloq. XVI. 87

Superbia & auaritia animam ad duas res sordidissimas abijciunt, & causa sunt cur plurimi mortem sibi consciscant.

De violentia phreneticorum: auarus lupus ciuitatis. Colloq. XVII. 93

Superbiæ & auaritiæ effecta miserandaper exempla & declarata. Colloq. XVIII. 106

Meditationem mortis vtilissimam esse philosophiam & omnifariam in lege naturæ Mosaica & gratiæ commendatam. Colloq. XIX. 116

Primum in mortis meditatione punctum vtilissimum, semper sibi ob oculos habere immotam illam sententiam, moriendum est; *Idque nos secundum Deum viuere facit, & ad sanctè defungendum parat.* Colloq. XX. 126

Meditationem super necessitate mortis, non

tis, non modo vt ad eam nos paremus admonere, sed etiam vt cito paremus. Colloq. XXI. 135

Vitam humanam mortem semper comitari, nec veram vitam esse, & de tribus circumstantijs maximæ celeritatis. Colloq. XXII. 145

Homines celerrimo cursu ad mortem feruntur: deque temporis velocitate. Colloq. XXIII. 153

Incitari nos debere ad mortis præparationem, cum quantum bene mori referat consideramus. Colloq. XXIV. 176

Vera præparatio vltimi nostri discessus in peccatorum expurgatione, & Christianarum perfectionum exercitio consistit. Colloq. XXV. 185

Continuatio præcedentis colloquij super figura hebræorum AEgypto egredientium; & exempla Christianorum in Ecclesia primitiua. Colloq. XXVI. 192

Meditationum mortis plurimum ad peccata euitanda conferre. Colloq. XXVII. 199

De vestimentis & loco filiorum Adæ. Col-

Colloq. XXVIII. 207
Plurimis iudicijs & legibus mortis terrorem Deum mundo iniecisse, quo peccata puniret et extirparet. Colloq. XXIX. 222
Mortem cum præparatione metuere, prudens vigilantia est, & verus modus eam vt intrepide præstoleris, & demum victor illius euadas. Colloq. XXX. 232
De causis mortis. Colloq. XXXI. 238
Error Pelagij Adamum mortalem creatum fuisse asserentis.
Adam eo die quo peccauit mori incœpit. Colloq. XXXII. 241
Quomodo homo plane immortalis factus fuerit.
Pelagius condemnatur. Colloquium XXXIII. 245
Deum hominis corpus immortale fecisse. Colloq. XXXIV. 248
Inter corpus & animam perfectissimum matrimonium reperiri. Colloq. XXXV. 254
Mirabilem quandam inter corporis qualitates & animam symmetriam esse. Colloq. XXXVI. 256

Recti-

Rectitudo humani corporis maximè conueniens, quippe cum homo euidens testimonium ferat de animæ natura. Colloquium XXXVII. 262

Figura recta homini ideo conueniens: quia vniuersitatis Rex est: & de signis superioritatis. Colloquium XXXVIII. 268

Alia duo indicia quibus homo bestiarum imperium accepisse demonstratur. Colloquium XXXIX. 279

De Dei imagine secundum quam homo factus fuit. Colloquium XL. 286

De similitudine Dei ad quam homo accedit. Colloq. XLI. 290

Quomodo homo quam maximè similem se Deo facere possit. Colloq. XLII. 292

Quomodo in voluntate & libero arbitrio singulariter imago Dei eluceſcat. Colloq. XLIII. 296

De conuenientia partium corporis cum partibus animæ. Colloquium XLIV. 38

In humeris & brachijs voluntatis ima-

imaginem repereri. Colloq. XLV. 315

In brachio & manu liberi arbitrij imaginem spectari. Colloq. XLVI. 318

Pectus esse imaginem memoriæ. Colloq. XLVII. 323

Animæ imaginem in facie & manu velut in duobus paruis voluminibus esse depictam. Colloq. XLVIII. 345

In facie peculiariter animæ imaginem relucere. Colloq. XLIX. 328

In facie imago intellectus primæ animæ facultatis adumbrata. Colloquium L. 332

In facie voluntatem secundam animæ facultatem elucere.

De vi sermonis. Colloquium LI. 341

Liberum arbitrium per linguam repræsentari. Colloquium LII. 347

In lingua virtutem vitiumque repræsentari. Colloquium LIII. 348

In auribus tertiam animæ facultatem

tem memoriam esse depictam. Colloq. LIV. 351
In facie animæ similitudinem conspici. Colloq. LV. 354
Manum bonitatem aut malitiam animæ repræsentare. Colloq. LI. 385
Hominem melioribus armis instructum esse quam cætera omnia animalia. Colloq. LX. 395
Deum mirabili ratione in homine armando vsum fuisse. Colloq. LXI. 403
Liberalitas Dei in victu, vestitu, alijsque vitæ subsidijs homini conferendis. Colloq. LXII. 407
Cur homo nudus & indignus mundum hunc ingrediatur. Colloq. LXIII. 415
Hominem potius Macrocosmum quam microcosmum appellandum videri. Colloq. LXIV. 426
Secunda ratio cur homo macrocosmus appellandus. Colloquium LXV. 432
Hominem etiam corporis respectu macrocosmum dicendum. Colloq. LXVI. 444

Con-

Conclusio superiorum. Deum non animam tantum, sed corpus etiam hominis immortale fecisse. Colloq. LXVII. 456

Qualis immortalitas primi hominis fuerit; & de arbore vitæ. Colloq. LXVIII. 460

Cur Deus corpus hominis non absolutè immortale fecerit. Colloq. LXIX. 464

De turpitudine peccati ex consideratione mortis corporeæ. Colloq. LXX. 473

De turpitudine peccati ex consideratione iræ Diuinæ. Colloquium LXXI.

De turpitudine peccati ex consideratione primæ mortis spiritualis.

Definitio & diuisio peccati.

Peccatum originale. Colloq. LXXII. 486

Absque baptismo pueros non sanctificari & sordidos ac spiritualiter mortuos coram Deo reputari. Colloq. LXXIII. 494

Continuatio de peccato originali. Colloq. LXXIV. 500

De peccato mortali & veniali. Colloq.

loq. LXXV. 517
Declaratio superiorum, peccatum scilicet animæ pulchritudinem corrumpere, & de Idololatria. Colloquium LXXVI. 526
De turpitudine peccati ex pictura Diabolorum. Colloq. LXXVII. 540
De turpitudine peccati in consideratione primæ & secundæ mortis. Colloq. LXXVIII. 543
De tribus Dei & salutis humanæ hostibus in vetere testamento figuratis. Colloq. LXXIX. 564
De potentia & malitia Diaboli. Colloq. LXXX. 570
Quid sit cum Diabolo confligere. Colloq. LXXXI. 582
Hominem esse ciuitatem Regiam. Colloq. LXXXII. 593
De partibus & officijs appetitus sensitiui. Colloquium LXXXIII. 606
Quibus modis Diabolus nos tentet. Colloq. LXXXIV. 615
Descriptio lapsus Adami. Colloq. LXXXV. 620
De victoria animæ. Colloquium LXXXVI.

LXXXVI. 623
De apparatu animæ ad pugnam. Colloq. LXXXVII. 628
De exercitu animæ triumphantis. Colloq. LXXXVIII. 631

FINIS.

R. P.

R. P.

LVDOVICI RICHEOMI SOCIETATIS IESV

VALEDICTIO ANIMÆ deuotæ.

Introductio in qua obiter tacta & perstricta viuacitas intellectus in agone mortis elucens.

COLLOQVIVM I.

PHILOSOPHVS. Cum admodum paucis iabhinc diebus eum n sermonem prolapsi fuissemus, qui de rerũ humanarũ erat varietate & incõstantia, arrepta occasione ab amico vtriusque nostrum, qui non ita pridem vitam cũ morte commutarat: duorũ mihi admodũ poematum mentionem iniecisse visus es, quæ quod & argumẽtum magni ponderis habere aiebas,

& verò ea te mihi, cum primum per tempus liceret, mõstraturum asserebas, mirũ omninò est quam me pollicitatione isthac tua paueris ac recrearis. Ex eo enim tẽpore mihi memoriæq; meæ, qua ego mihi semper, tunc autem præsertim apprimè valere visus fui, satisfacturum nõ putabam, nisi tu desiderio ante meo obsecundasses. Age itaque & si hoc diei commodum negotio nostro arbitraris, fidem tuã apud me libera, & quod valdè aueam, Poemata recepta demonstra. TH. Differebam ego tunc non quod auctionem quandàm instituere, aut pretio accessionem facere moliebar, sed quia eorũ, quæ tu desiderabas ad manus planè nihil erat. Nunc autem, quæ memoriæ tuę fidelitas est, quoniam ipse quo animo tuo obsequar vrges ac instas, nihil omninò obstare videtur, nostrũ vt institutum minus auspicemur. PHIL. Planè nihil nos ab eo abstinere velim: mihi enim non memoria tantum, sed intellectus etiam ac voluntas ipsa ita ad eam rem excitata est, nihil vt ego non quam auidissime,

me, quod tuo iudicio authoritateq; interposita confirmaris, excipiendũ mihi esse persuaserim. THEOL. An verò tu etiam recẽtẽ mihi eorũ memoriam adfers, quæ super extremo illo vale, quod paulò ante id temporis amicus & frater noster mũdo huic dixerat, collata ab vtroq; nostro sunt? PH. Admodum eorum ego quidem recordor, prẽclareq; etiam scio fuisse, cum ego (postquam ille adeò sãctè & diuinè de diuino amore bonisq; cœlestibus disseruisset, loquẽdiq; facultate iam destitui visus nobis fuisset) illud à te dici mihi postularẽ, spiritus ne illius ita præsertim afflicto corpore & morte vicina, muneribus suis ac officijs fungeretur, & si ea adhuc exequeretur, quomodo deuota illa anima sensibus destituta ac sibi præsens differere posset & meditari? Respondebas tu mihi tum extra deliberationem prors⁹ esse, quod tunc veluti ergastulo corporis liberata, multò quam vnquam ante hac in rerum diuinarum contemplatione foret excitatio, & iam assistente gratia præsentiaq; sui Re-

Status animæ in agone mortis constitutæ.

demptoris ac Creatoris, qui ſub id tempus ſingulariter ſuis ſolet opitulari) nequaquam piarum meditationum & diſſertationum interiorum abſque corporis commixtione ſtudium intermittat: & iam velut clarificato omniq́ue albugine corruptionis libero oculo (vti de D. Stephano accepimus) cœlos apertos inde ex terra intueatur: Eorum autẽ è contrà animas, qui cum hic apud nos degerent, pertinaciter malè agendi viam inſiſtebant, mirabiliter affligi ſolere, & in periculoſo iſto egreſſu ceu in inferni ſui gula angere ac cruciari præclarè admodum cõmemorabas. THEOL. Næ verò fideliter tu iſthæc omnia memoriæ tuæ inſculpſiſti? Et ſunt omninò hęc ipſa illa duo quæ ego magni ponderis eſſe aſſerebam. Supereſt itaque nunc vt eorum geminas tibi Ideas & ſpecimina ſubijcere debere videar; reapſe illa egregia, & veluti in tabula viuis Poetarum coloribus animata: quæ quamuis etiam poeticis decorata fabulis ſint, nihil tamen minus quam corruptam veritatem

præ

præ se ferunt. Alterum anima deuota est, quæ corpori suo extremum Vale dicit, ea ferè exhibens quibus istiusmodi aliqua iam in postremo cum mortis conflictu constituta occupari & dicere etiam posse videtur. Alterum non à stylo quidem sed argumento ipso aliud certamen animæ peccatis obsitæ repræsentat, vti tunc spectaturi sumus, cum extrema illius lineamenta & velut vltimos colores ibimus considerandum. Iam autem duobus istis quos vides adolescentulis has ego partes imposui, vt, quoniam & memoria & verò etiam voce admodum me anteuertunt, duas mihi has personas, quasi in theatro exhibeant, animæ alteram sua in medium primo expromentis, alteram corporis sua iuxta edicentis. Tu mihi itaque aures paulisper fis accommoda, vosque adolescentuli fœliciter vestra inchoate.

Anima deuota pijs circa mortem meditationibus occupari solita, quanto propius eam accesserit, tanto animosius illam lacessit ac prouocat, spe æternæ vitæ & resurrectionis seipsam erigens.

COLLOQVIVM II.

IAmne ergo vinculis soluta carneis
Cœlum emicabo Christe versus aureum?
Iamne ergo corporis mei ex ergastulo
Ad sempiternam remigabo patriam?
Versura iam ergo fiet ista nobilis
Vt pro orbe cœlos incolam de cætero?
Et fulgidi inquilina vt audiam ætheris?
An ergo iam vitæ meæ telam tibi
AVellere huius vniuersi abrumpere
Sedet vnica ô Deus mea recreatio?
Salue ergo & vsq; & vsq; gratias habe,
Quod me tua educens petente dextera
Ex inquieto instabilis mundi æquore,
Felicitatis inuehi in portum iubes:
Meamq; tandem enauigare in patriam.
Iamne ergo splendida hæc mihi est hæreditas
Cernenda, quam tu filijs olim tuis,
Tuum profundens comparasti sanguinem?
Mene illius manet modo possessio?
Valete iam nunc quotquot orbis lubrici
Gazas leuemq; hæreditatem prenditis.
Me penna solui non timens illuc vehit
Vbi beatitudinis seruans opes

Omnia

Omnis boni circumfluam torrentibus.
Illic ego virtutem inæstimabilem
Omnesq; thesauros Dei visura sum:
Illic ego orbis vniuersi Machinam,
Orbis mei centrum eminus visura sum:
Illic procul stulto ruentes impetu
Ridebo mortales ego in mortalia:
Quando illa vana mundi scena ludrici
Præstringet aures, os, & ipsa lumina:
Quando beatis ebrios successibus
Fortuna demulcebit arte subdola,
Omnesq; spes repentè vestra concident:
Quas vos paratu prorsus olim regio
Struxistis argilla super miserrimi.
Quid quæso frustra stulta gens spondes tibi?
Hic tu tibi gazas imaginarier,
Hic tu tibi vis pollicerier bona,
Quæ non nisi inter astra & igneos
Cœli Quirites ac Beatos inuenis?
Beata mors, secunda mors, accepta mors!
Quæ me Tonantis ante sistes limina,
Quæ me Beatorum inseres cohortibus.
Cur quæso tardem? segniorq; prouolem?
Mene ista vallis detinere & pascere
Possit volentem vasa colligere mea?
Mene ista vallis? vallis ista absinthio
Plena, & referta tantum amaritudine?
Vallis doloris & laboris improbi;
Vbi morimur viuendo: vbi tunc viuimus
Quando morimur; mene ista vallis à mea
Possit via abstinere vel seducere?

O dulce momentum mihi, ô gratum mihi!
Ne quæso tarda soluere isthanc animulam
Tecumq; terrarum globum & nubes super
Vectam in Dei mei loca penetralibus:
Nunc ergo salue & vltimum hoc pro me vale
Animula quod tibi impertit, tua accipe,
Corpus sodalis omnium fidissime;
Me de mea statione vult discedere
Communis ille & Imperator & Pater:
Discedo, meq; vinculis soluo meis.
CORPVS. Animula vagula, quid tua hæc anulsio
Portendit? ecquid oro sic seiungimur?
Quænam illa sunt edicta tam crudelia
Et Manliana iussa, quæ cedere iubent?
A. Lex id iubet Dei omnium Iustissima:
C. An ergo nos lex illa vult seiungier?
A. Id dico, teq; vult abire in puluerem.
C. Vt sempiternæ ego tibi essem mansio,
Deus creauit hoc tuum corpusculum.
A. Nisi abrogasset hanc Adam legem cadens.
C. Ecquam domum tu ergo incoles de cætero?
A. Illam igneam stellisq; distinctam vides?
C. Vt in malis, sic in bonis socius eo.
A. Manebis in valle hac meum corpusculum.
C. Videbo cœlum: & heu modo cur non licet?
A. Lex obstat & vetat vtriusq; Principis.
C. Debetur hæc meis laboribus quies.
A. Fateor, at illa te sequetur postea.
C. Cui relinquor ergo, Domina, cæterum?
A. Terræ, tuæ matri, omnium vt mortalium.
C. Quid in tenebrosa hac domo me facere vis?

A. Do-

A. Doloris expers, iudicem illic præstolaberis.
C. Vita carens tu me ergo vis putrescere?
A. Volo, at resurges, at virebis denuò.
C. Fœtebo ego deforme, ego scatebo vermibus?
A. Posthac redibis ad decorem pristinum,
Formam ad tuam, tuamq; pulchritudinem.
C. Fiamne saccus ergo ego putredinis
Quod inquilina consecrauisti animula?
A. Isthac tibi alteratio fornax erit,
In qua liquescens tute transformaberis
In vasculum pulcherrimum & nitidissimum.
C. Durissima alteratio! quando anguium
Quando cerastarum meo sanguine gregres
Et carne vermes putridos pascam mea:
Heu qua meo iam sit dolori accessio!
A. Spes te potest debetq; consolarier,
Quod ex tenebroso hoc situ atq; puluere
Tua excitata splendida existet caro.
C. Ecqua manus tot frustula & partes putas
Anima coagmentabit, & fideliter
Suum reponet singulas in ordinem:
Qua vermium anguiumq; sunt præsegmina,
Fœdaq; sunt facta dapes serpentium?
A quo nitorem ego hunc mihi promisero?
A quo mihi hancce pollicebor gratiam,
Vt splendidum fiam, vt cluam pulcherrimum?
Quis Spiritus mihi spiritum afflaturus est?
Qua vis inerrans ossibus meis parem
Illis vigorem tristinum sic implicet,
Vt fulcra sint domusq; compages mea?
Quis me excitabit ex situ tam sordido.

Squaloreq; obscœno ad decus quod tu refers?
A. Ille architectus nobilis, qui cuncta scit,
Qui cuncta quæ cupit, vel hoc propter potest,
Qui te figurans ex sequaci puluere,
Id esse fecit quod modo esse desines.
Hic architecturus est te denuò:
Hic dissoluta latera collapsæ domus
Compinget innectetq; quam pulcherrime.
C. An neruus iste, an illud os, hic musculus,
Isti canales sanguinis vena, cor hoc,
Meiq; pulmones, & ista viscera
Vitam & colorem à spiritu hoc trahent nouum?
A. Non vnicus tui capillus verticis,
Non vnus vnguis ex hoc corpusculo,
Cum ritè rursus illigaberis mihi,
Deuinitatem quampiam haud præ se feret.
C. Quid verò tum vel quale ero corpusculum?
A. Subtile, lucidum, leue atq; splendidum,
Et quod pati de cætero nihil queat,
Par fulguri geniisq; par cœlestibus.
C. Sic ergo fulgurabo, sic micabo ego?
A. Fulgebis atque fulgurabis perpetim.
C. Tu verò rursus inquilina post mei
Quid quæso ages? quid molieris ol sacro?
A. Formosior, decentior tunc millies
Vitam perennem & gaudijs plenam exigam,
Et semper immortalis æterno Deo
Teritè pascam alamq; cuncta in sæcula.
O sumptuosum & splendidum conuiuium!
O dapsilem cœnam! apparatum Regium!
C. Nos orbis hic nihilominus clausurus est?

A. *Vbiq; gentium & loci felix eris.*
C. *Non ergo flameam incolemus hanc plagam,*
Et fulgurantes atheris latè domos?
A. *Certè incolemus, incolemus perpetim,*
Quando semel potentis illa Iudicis
Vox detonabit vltima & sententia.
Tunc nos feremur candida nube omnibus
Incogniti mortalibus, perq; igneos
Hos emicantes atheris magni globos,
Cœlum Quirites aureum introibimus
C. *A quo hæc erunt speranda nobis gaudia?*
Tam grande cui debebimus beneficium?
A. *Agno beatitatum origini omnium,*
Agno Redemptori orbis atque vindici.
C. *Ergo omnibus speranda sunt hæc præmia?*
A. *Quotquot boni fuere cum nobis bonis.*
C. *Huic age ergo seruiamus perpetim.*
A. *Pascenda gaudijs meis nunc auocor.*
C. *Heu quando lux lucescit illa, lux bonis*
Speranda, lux timenda sed contra improbis!
A. *Lucescet illa lux breui satis scio.*
C. *Vale ergo donec denuò coniungimur.*
A. *Vale vnice ô frater, vale primogenite.*
C. *Vale meum solatium, vale, vale.*
A. *Vale fidissimus sodalium omnium.*
C. *Vale cui portum istum, & ista gaudia*
Debebo semper & libenter debeo.
A. *Vale meum corpusculum fidissimum,*
Vale, vale tua pro obedientia.
C. *Vale quæ amando me tenerrime, tamen*
Vt ritè lucrarere, me pie oderas.

A. *Vale tuam quod baiulando ſarcinam*
Patiens fuiſti ſemper atque ſubditum.
C. *Si ritè feci, gratiâ Dei accidit.*
A. *Pro tot moleſtijs patet cœlum tibi.*
C. *Quia nempè conſulenti amanter parui.*
A. *Quia ſeruiſti principi ſummo Deo.*
C. *Vale huius, ô Vale ergo, imago principis,*
Imago viua, imaginum pulcherrima
Vale, tuamq́ hereditatem apiſcere.
Dum tu relinquis hoc domicilium,
Procumbit, & fractis parietibus ruit:
Languere ſenſus, emarceſcere hic vigor,
Non velle fungi cœterum officio ſuo
Naſus, manus, aures, & iſta lumina
Cœpere, nulla pars ſeruire vult tibi.
Oſſa ipſa iam nunc ſentio gelaſcere.
Diſcede, & ad poſſeſſionem ſplendidæ
Hereditatis euge nunc accingere.
A. *Vale ergo, nec mihi obſecro ſuccenſeas*
Quod priua cedo, quod prius quam tu emigro:
Viſura Regis optimi æternam domum.
Luceſcet illa lux tibi, crede, propediem,
Qua me ſequeris ô ſodalis optime.
Tu vero Marmor funebre atq́ agger breuis,
Memento depoſitum vt tuum ſerues mihi.
Serua id mihi fideliter, dum buccinâ
Mundi ſonante corruentis per plagas,
Accerſet ad tribunal humanum genus
Ieſus ſupremus Machinæ huius arbiter.
Tunc tu mihi meum reddes corpuſculum,
Vt ſempiterna centuplóq́ pulchrior

Mil

Mihi domus sit caterum, atq; habitatio.
Valete nunc mea ossa, vos valete nunc.
Ego relicta terra ad alteram terram migro,
Terram salutis & quietis aureæ.
Te nunc Creatorem meum & Deum meum
Vicina specto, tu tua clementia
Me rursus intuere, me lotam aspice
Ab omnibus meis iniquitatibus,
Tuiq; filij redemptam sanguine.
Vide vt patente guttere infernus tuam
Quem vorare gestiat, vide vt furat,
Vt me miſellam faucibus captet suis.
Succurre IESV & arma cœlestis Spei,
Scutumq; Charitatis & Fidei para,
Vos angeli, vos ô beati spiritus
Arcete carnificem procul meum, procul
Ferale propulsetis agmen Tartari:
Tuq; ô supreme & sempiterne Spiritus
Largire robur, adde vires debili,
Quò fortiter pugnando splendidam meis
Ab hostibus feram victoriam; veni
Beata mater Regis omnium ac Dei,
Meq; in periculoso agone robora.
Hoc illud est certamen, hæc lucta vltima,
Hic vnicus conflictus est, quo fortiter
Pugnando pacem sempiternam consequar.
Valete vos ossa, & meum corpus vale:
Non te morabor amplius, nunc emigro,
Subuecta nunc oris tui flatu vltimo
Ad igneas Tonantis euolo domos.
Tu me Deus Deorum, & æquus arbiter.

Sinu tux felicitatis excipe.

THEOL. Ecce tibi nunc fidem meam ex parte liberaui; Tu nisi valdème animus fallit decedes nonnihil de tuo iure, ac tam diu in tabulis me apud te debere patieris, donec quæ reliqua sunt, alio tibi tempore soluere possim & repræsentare. Ego autem interea votis Deum conueniã, quo vitam nostram in vasto huius mundi theatro ad instar fabulæ à nobis actam, felici istiusmodi Epilogo claudi patiatur: Tuque mihi etiam insusurrabis ecquid tibi de floridissima hac tabella in mentem veniat cogitare.

Cum præparatione & modestia de rebus sublimibus esse differendum: Dictum illud, cuius Bias author est, explicatur. Omnia mea mecum porto.

COLLOQVIVM III.

PHIL. NAE tu verò mihi Poema, admodum quod ad meum gustum sit exhibuisti; non modo

do propter insignem artis elegantiam qua elaboratum est, aut pulcherrimas dicendi Veneres quibus exornatum: sed etiam ob argumentum & materiam ipsam planè vt aiebas momenti grauissimi, meoque instituto apprimè vtilem, & ad formandam Christiani hominis vitam non paulò minus accommodatam. An ergo tu mihi nunc, si quid petiero, obsecundaturus es? THEOLOGVS. Illud verò ecquid est? An illius tibi copiam adornari fortè vis? PHILOSOPHVS. Vt quemadmodum auleum aut Phrygianam aliquam floridissimis coloribus variegatam solemus, ita tu mihi Poema hoc per partes examines, & quid in qualibet eximium ac illustre sit, demonstres: res & tua professione digna est, & mihi non minus quam vniuerso Christianorum hominum generi vsui futura, quippe quæ illud admodum prosequatur in quo tota, nostra felicitas conuertitur: præparationem mortis:

dico & extremum vale, quod anima rebus humanis excedens mundo dicit: quo quidem exercitio haud scio an Schola, an Ludus vllus sit, in quo melius ad virtutum culmen consequēdum; & vero etiam cœlo potiēdum erudiri possimus ac informari. Adde quod petitio mea iusta est: quę omninò faciunt, aliud vt sperare nō possim, quam animo te meo obsecuturum. THEOL. At verò tibi potius hæ partes demandandæ erant, qui Philosophiam tractandam suscepisti; quæ quidem nescio an aliud sit quam mortis meditatio. PHIL. Fateor omninò ego, fuisse nonnullos doctorum veterum, quibus id placuerit: nec illud verò etiam difficulter augurari poteram, fore vt doctrinam ac professionem meam adduceres. Verum si hanc conuiuij nostri Modiperatricem habituri, si naturalium tantum placitorum ferculis pascendi sumus, ipse tu iam credo animo prospicis, quam non dico patricio aut libero, sed plebeio etiam homine indignum epulum habituri simus. Illud tu mihi potius vide-

Philosophia mortis meditatio.

Cicero 1. Tusc. Plato in Phæ. S. Hier. li. 3. c. Ruff.

Philosophia sine doctrina Christiana insufficiens.

vide quo luculentiùs & Christiano homine accõmodatius super morte colloquium nostrum sit, pari admodum muneris illud dandũ esse. Tuarum itaque res hæc partium est, tuus hic campus in quo te iactare ac exultare possis, qui non modo ita Philosophiæ studium coluisti, solus vt in eo audiri non dico mihi præferri: sed ita etiam Theologia imbutus es, reapse illa magistra sciẽtiarum omniũ, solus vt denique qui hanc tibi operã sumas multo quam dignissimus esse videaris. At vt vt sit, quod tibi bonũ factu visum fuerit, illud verò ego etiam ibo collaudatum. TH. Faciunt omninò iura necessitudinis nostræ, quæ hactenus sarta tectaque habuimus, prorsus vt abnuere tibi non debeam: quod præsertim & mihi quodammodo animus meus gestit, in hoc sacro instituto opellam tibi meam, si qua modo est, collocare. Accedit huc quod materia ipsa nescio quid eximij, exaggerati, ac extra cõmunem ingeniorum aleã positi postulare videtur: mihi itaque etiam in mẽtem cogitare venit, etsi tibi obsecunda

cundare constituerim, ante tamen & librorum meorum mihi iudicio veniaque vtendum, & verò etiam cũ multis auctoribus ac necessarijs meis rem communicãdam, quo iter hoc non absque viatico, aut si mauis nauim (quod aiũt) non sine bisco&to ingrediar. PHILOS. An verò vt ego non semper ab istiusmodi cupedijs instructum te inueniam, persuasurus mihi sum? Vero enim admodum verius illud est homines virtute præditos omnia sua secum ferre, quemadmodum Bias cum patria egrederetur sua, nihil præter seipsum efferens, clamabat: *Omnia mea mecum porto*. THEOL. An verò tu magnoperè illud admirandum censes, cum idipsum & mendicabulo corpus suum tantum circumferenti dicere liceat & iactitare? PHILOS. Posset reuera, nec à vero abluderet interim, & planè ego existimo etiam magnum te Lutetiæ baiulorum gregem reperturum, qui non aliter quam Bias iste possint vociferari. Verum aliud mihi multò dictio hæc, vt ridicula esse

Sapiens nunquã imparatus.

Cornel. Parad. 1. Seneca Epist. 9. ad Lu. Stilp. attribuit.

esse non videatur, præsefert; hominem nimirum à virtutibus probè instructum, ita suas diuitias quolibet tempore secum ferre, nunquam vt aliquo eum destitui, nunquam vt sibi satis non sit, reperire queas. Nunc autem quò omnem tibi modestæ excusationis occasionem amputare, & effugium ab hoc munere obstruere possim ac obturare: ordinario ego tuo victui acquiescam, illudque adeò gratissimum habuero, quod absque magno apparatu aut familiarium tuorum auxilio, in mensam, quam vterque nostrum frugalem habere debet, posueris.

In Epigr. græc. Senec. lib. 2. ben. c. 2

Bis enim omninò *dat, qui citò dat.*

THEOLOGVS. An tu ergo funerale hoc conuiuium me Modiperatore agitari vis? PHILOSOPH. Causam id admodum habet suam. THEOL. Age ergo, hoc onus humeris meis impone, illudque iuxta memineris in hac nostra dissertatione libertate me semper vsurum mea, neq; passurum ita me legibus Poe-

Poetæ astringi vt putida nimis vtẽs diligentia singulorum tibi verborũ vim aut sensum enucleem: potius autem ita me tractaturus sum, vt quemadmodũ mihi quodlibet memoria mea (qua non admodum valere me intelligo) suggesserit, ita tũ illud à bono profectum animo nonnisi in bonam partem accipias: & postea quæ tuo maximè stomacho conuenire videbuntur, distributa, & applicata ijs quæ in medium adferẽtur carpas atq; delibes. Porrò vti ego pro iure necessitudinis nostræ obsequendũ tibi esse ratus sum, ita tu mihi illud etiam largieris credõ, vt si tuę expectationi quã de me fortè cõcepisti nõ satisfecero, veniã dandam esse intelligas. PHIL. Quin ergo tu mihi nunc & œconomum & prægustatorem agis? digere, ordina, instrue, & quemadmodum videbitur colloca: me enim & approbatorem habiturus es & collaudatorem: & cum planè fictus mihi ad hanc rem factusque esse videaris aggsane, nisi quid moratur auspicare.

Phi-

Philosophorum veterum de mortis meditatione ad nos transmissa scripta tanti non esse, vt timenda videatur.

Leges humanæ Diuinæq; metu mortis rogantur ac sanciuntur.

Contemptus mortis absq; causa vitiorum est scaturigo.

Cleombrotus & Cato, similesq; alij mortem sibi consciscentes ignaui iudicandi.

COLLOQVIVM IV.

THEOLOGVS. Age nunc itaque sis, & quidnam potissimũ de morte audire, quoue ferculo funeralem hanc & frugalem cœnam inchoari velis ostende. PH. Mihi quidem illud ante faciendum videtur, vt quam necessaria vtilisq; de morte consideratio sit intelligã, tũ quomodo ei vacare debeam, quò ex instituto Christiani hominis vitâ transactâ, iamque in portum inuectus lætum illud Celeusma cantare possim, quod paulò ante ab Anima Deuota cum mundi huius circumsonan-

ſonante pelago erepta vltimum vale rebus humanis diceret, recitat aures mihi animũq; mirificè planè demulſit. In quo tamen illud mihi imprimis dari velim, vt quæ apud nos in Stoa aut Academo hactenus obtinuerunt, quæq; à noſtris eam ad rem cõgeſta ſunt, Theologiæ auctoritate interpoſita examinentur. Placet enim admodum noſtris, cogitationes de morte frequenter ſuſceptas, illud demum hominum animis ingenerare, nihil vt timendam eam eſſe arbitrentur, verùm vt quod ſentio liberè coram te expromam, videtur mihi ij prorſus talem rem documentis ſuis appromittere, quam vt conſequaris, & indipiſcaris nunquam futurum eſt. Cùm omninò metum hunc ipſa natura hominum inſeuerit animis, & potius phreneſi laborare, potius ad ſtatuæ quam ad bene nati prudentisque ingenij ſimilitudinem accedere ille videatur, qui quippiam non timeat, neque tamen cui omninò bono ſecuritas iſta ſit intelligat.

THEO-

THEOLOG. Rem loqueris: omnia enim quæ à veteribus vestri instituti magistris eam ad rem collata sunt, tanti nemo esse arbitratur, vt ad id quod volunt euincendum satisfacere posse videantur. Itaque & si multa sapienter ab ijs disputata, vtilia etiam ad hoc negotij excogitata multa sunt, nihil tamen vnquam minus præstare potuerunt, quam vt ea quæ placitis suis ac regulis promittebant, effecta dare possent: quare nequidquam sæpenumerò se torserunt, dum timoris hanc spinam in quam natura pede veluti impegisse videtur extrahere, eamque sacra quadam, religiosa, perfecta, & exaggerata animi magnitudine contra potentissimam hanc Dominam Mortem (quæ quicquid Monarcharum, quicquid hominum ac bestiarum, quicquid rerum Lunari globo subiectarum est, sub iugum suum mittit) munire aggrediuntur. Ac videntur illi mihi ea in re Medicos illos fuisse imitati *b* quos mulier illa annos duo-

b *Matt. 25. 26.* *Philosophi veteres similes medicis hamorroissa.*

duodecim admodum sanguinis fluxu conflictata, cum omnifariam pharmacis & præscriptionibus eousque adhibuit, donec se & sanitate spoliatam, & verò omni argento etiam sentiret emunctam. Age namque, confer omnia eorum Pharmaca ad hanc rem cõparata, vni homini propina, nunquam profecto eo euasurus es, vt horrorẽ illum quem à natura hausimus, non dico euellas sed minuas, sed modereris. Plerisque enim illorum qui totos sese mortis meditationibus addixerant, eamque velut ob oculos sibi obuersantem continuò intuebantur, vbi virum res postularet, quam abiecti, quam parui, quã nullius animi fuerunt? Vnus instar omnium Stoicæ illæ familiæ Philosophus est, qui cum nauim qua vehebatur vehementius iactari & cõcuti animaduerteret, facilè clypeum loricamq; istam sibi parum admodum firmam ac fortem esse, non salutem, non incolumitatem ab ea sibi polliceri se posse intellexit: quem cum ex astantibus quispiam subitò expal-

expalleſcentem conſpicaretur, facetè admodum velli cauit dicens: Heus tu Philoſophe, tu mortem iam timere potes, quam toties in porticibus, toties in diſputationibus ferociſſimè laceſſiuiſti, & velut in ſingulare certamen prouocaſti? Verum veteres illi mihi duabus ferè in rebus impegiſſe & hallucinati fuiſſe videntur. Primùm quod falſa opinione perſuaſi tunc imperium ſibi amplum ſatis in mortem peperiſſe, tum penitus illius timorē deleuiſſe ac profligauiſſe, tunc omnes horroris illius ſtimulos confregiſſe videbantur, quando quo popularem aliquā (ceu magnæ illius imperatricis domitores) auram aucuparentur, in frontiſpicio doctrinæ & Academiæ ſuæ prouocatoriam illam ſchedam præfigebant, qua clarè, qua manifeſtè mortem contemnendam, illiusque timorem pedibus culcandum magnificè proclamabant. Alterum eſt quod in morte nihil mali ineſſe cōminiſcebantur. Ita videlicet propoſitio illa cùm plena vanitatis eſſet, hæc cōfirmatio à veritate

Philoſophia veterum de morte in duobus impegit.

quam maximè etiam abludebat, vtraque verò friuola & nullius pretij ſapientioribus ſi qui erant apparebat. Nos verò puriore & haud aliquanto ſaniore doctrina imbuti, ſcimus Deum rerum iuſtarum Conditorem eam à nobis ſemper timeri voluiſſe, quippè qui ſtatim in primis creationis humanæ incunabulis velut frenum potentiſſimum parentibus noſtris protoplaſtis eius metum iniecerit: & Adamo ea in ætate & immortalitatis gradu conſtituto adeò firmiter inſculptas atque impreſſas huius minas eſſe voluerit: quibus morti adiudicandus erat, niſi à vetito cibo ſeſe abſtinuiſſet, & quas ſi mulier & coniux illius non tam facilè earum memoriam depoſuiſſet, quando ſibilos illius tortuoſi & maligni Ariſtarchi perſenſit: *Nequaquam moriemini ſed Dijs ſimiles efficiemini*; totum mortale genus effugiſſet. Et eramus nos reuera futuri Dij terreſtres extra omnem ærumnarum & miſeriarum

rum illarum iactum constituti, in quas miserrimè modò sumus deturbati. Huius exemplum secuti Monarchæ, Reges, & Magistratus cum leges salutares dicturi sunt, cum rogaturi quippiam, cum aliquid mandaturi, morte illud cautum semper esse volunt atque sancitum: quo improborum audacia & perditorum ac flagitiosorum hominum libido facilius coerceatur. Draconem certè celebrem illum nomothetam, quò Rempublicam confirmaret suam, non alijs quam his fulcris ac statuminibus iuisse eam stabilitum accepimus: adeò vt cum omnia suarum Legum capita capitis supplicio sanciuisset, fabulæ locus factus sit, qua nonnulli eas sanguine scriptas fuisse comminiscebantur. Quarum tamen rigorem & summam inclementiam iure, vt iniquam, & iniustam Aristoteles reprehendit. Itaque si omninò secta aliqua ac familia hominum istiusmodi Philosophantium

Plut. in Solone
Alex. ab Alex. L. 3. cap. 7.
6. Arist. 2. Rhet. cap. 33.

reperiatur, quę deliræ huius ſapientiæ ſcitis & placidis eo tandem euaſerit, nihil vt ſibi extremum hunc conflictum metuēdum eſſe arbitretur: Hæc vniuerſa eorum Philoſophia eſt, vt rationis & verecundiæ freno præmorſo, abſque vllo diſcrimine in turpiſſimarum voluptatum ſuarum cœno volutentur. Dominatur enim etiamnum hodie perditum illud Epicureorum genus, qui nec mortis, nec inferorum metu vllo perculſi, aprorum inſtar ſtupidorū pleno curſu, ſpumaque pleni fœdiſſimarum ſuarum libidinum turpitudines conſectantur: immemores planè corporis pariter & animæ ſe interea naufragium cum inſigni ignominia coniunctum pati. Accedūt his illi qui vanæ cuiuſdam gloriæ dulcedine capti ac ineſcati, vt mortem contempſiſſe viderentur, eam ſibi ipſis conſciſcere non dubitarūt: quemadmodum Cleonbrotus & Cato, qui dum vitam ſuam ignaue prodigere veriti non fuerunt, mortem turpiſſimam cum ſempiterna commutarunt, dumque vanos illos

Contemptꝰ mortis abſq; ratione origo vitiorum.

apud

apud plebem nominis rumuſculos perſequuntur, eos maximo precio nequicquam emere ſtuduerunt: execrabili interim flagitio inſigniter ſemet traducentes. Demum vix de aliquibus memoriã accepimus, qui in hac ſecuritatis ſchola edocti, fructum ſuæ Philoſophiæ aliquem reportarint.

Morti malum ineſſe, & naturam eam abhorrere.

Mors animæ & corporis diuortium.

Ciuis in Arles paralyticus mortis apprehenſione conualeſcit.

Vana veterum perſuaſio de contemnenda morte.

Locus tutus & arma optima contra mortem, veruſq; modus eam non timendi, ſed cum ea conſligendi.

COLLOQVIVM V.

THEOLOGVS. Videamus nunc etiam illud quod niſi reſtrinxeris aut limitaris, verũ omninò eſſe non poteſt; Aiunt enim nihil in morte mali ineſſe; aiunt hoc inquam, at quam abſurdè, quamque

imprudenter? Cùm à Deo omnium rerum arbitro propter grauissima humani generis delicta hominum societati inuecta sit? Et quis omninò non videt nec capitaliorem pestem, nec aduersarium pernitiosiorem vitæ nostræ potuisse adiungi? Nam quid omninò aliud illa est quam separatio animæ & corporis? Separatio verò ista & violenta auulsio quid nisi crudele diuortium duarum partium nobilissimarum, sanctissimeque inter se connexarum & maritatarum est? quo facto necessarium prorsus est alteri desiderium molestissimum socij sui relinqui, alteram verò corrumpi atque dissolui: corpus videlicet fabricam earum omnium quas communis & supremus architectus extruxit pulcherrimè & artificiosissimè in terra, & ex terra excitatã. Atque si illud etiam verum est vitam humanam donum esse pro quo quidlibet dare & repræsentare non dubites, quis omninò fidem ei præstiturus est, qui insolens illud & inauditum παράδοξον astrue-

ſtruere non verebitur, mortem nec malam eſſe nec formidandam, neque omninò fieri poſſe (quod ſanioris paulò inter eos cerebri non nemo propugnabat) rerum vt ea omnium terribilium terribiliſſima ſit? Abhorret ergo & auerſatur hanc natura quam extingui funditusque deleri neceſſe eſt ab eo qui inſtinctū hunc euelli cupit & aboleri. Reuera enim animal ita abiectum, ita paruum nullum reperias, quod mortem non magnoperè pertimeſcat, quodque non à Creatore ſuo vim iſtam hauſerit vt communi rerum omnium inimicitię & hoſti reſiſtere, vitamque ſuam armis omnibus quibus à natura inſtructum eſt, non quam pugnaciſſimè cupiat tegere & conſeruare. Braſides ille Lacedæmoniorum dux cum manum aſſis ficubus compleuiſſet, interque eas murem comprehendiſſet, grauiter admodū ab eo morſus & ſauciatus, ad circumſtantes ait hoſtem ſuum liberè abire permittēs (Plutarchus de Reg. dict.) Ecce vobis ſocij, vt mortis ille timor &

vitam amittendi formido animum ventribus munitissimarum bestiarũ inserit, quo se tueãtur! An verò maiorem illud admirationem non habet, quod natura metu hoc vtitur, non tantum vt vulgari illa & recepta fuga mortem euitare audeat, sed quod eum etiam vt medicinam habet morborum incurabilium ac desperatorũ? In Arles. (Prouinciæ ciuitaté nomine hoc appellant) quendam Ioannem Berle fuisse accepimus, quî cum admodum longo tempore à medicis deploratus lecto affixus ex paralysi iacuisset, quadam die in domo sua ignem conspicatus fuit: quî cum iamiam tabulatum cubiculi sui lamberet ac popularetur, repente ille horrore perfusus & iam mortem sibi instantem animo imprimens, ita spiritus animales perculit, neruorumque contractorum nodos abrupit, confestim vt lecto exilierit, & fenestra fort è fortuna præhensa, animoso per eam saltu se iecerit, & velut metu ac terrore persequente & ignem & paralysin diuturnam effugerit. Quid ego hoc

loco

loco Sanctos, quid ingẽtis animi homines, quid ipsum filium Dei commemorem, quibus omnibus violentum illud diuortium horrorem cõstat incussisse? Patet nunc omninò itaque quam lepidè veteres illi Magistelli vitiorum hoc suum amuletũ venditarint, & si etiam Dijs placet, rationibus herculè plausibilibus confirmarint: planè enim eandem iacturam temporis facere poterant, si gallinis vnicum hoc contra capitalem earum hostem præsidium occlamascent, vulpem non esse metuendam: aut ouibus suggessissent, à lupo nihil prorsus formidandum: quod in ijs malum reperire non sit, quod nocere, quodque vita priuare eas non possint: Credo ego tacendo eas etiam responsuras ad hunc modum consultoribus suis fuisse; Mutate ergo nobis naturam nostram, & illud ante agite, vt nec gallinæ nec oues simus: aut si admodum nobis consultum esse desideratis, in septũ tutum nos compingite, & vi ac armis potius, quam verborum inani strepitu nos propugnate. Vt ergo

amborum ſalutem & incolumitatẽ ſartam tectamque conſeruandi hæc ratio eſt, extra incurſum inſultumq; ſuorum aduerſariorum eas conſtituere, cuſtodia eas ſecura tegere, hominum canumq; excubias ijs adhibere, qui maiore quam illi virium robore inſtructi, non tantum ipſas conſeruent ac tueantur, ſed hoſtibus etiam captis ac ſuperatis triumphũ illis de pelle & exuuijs detractis decernant atque reportent.

Vt cum morte cõfligas non ſpecioſa verba ſed arma bona requirũtur.

Ita vbi cum morte in arenam deſcendendum eſt, ſatis illud eſſe non poteſt, nec vllius præſidij inſtar ſe habere, dicere, eam metuendam non eſſe, nihilq; in ea mali inueniri: cum omninò illud nec rationi nec naturę conſentaneum ſit; illud autem potiùs ſeriò agendum eſt vt receſſum firmum validumq; habeamus, ijsq; armis inſtruamur, quibus illam in carcerẽ retrudere poſſimus, aut potius omni vi adhibita iugulare.

Cur doctrina prophanorum ſatis eſſe non poſſit, vt fructum expenſæ & conſideratæ mortis capiamus.

Vete-

Veterũ placita de dissertationibus super morte, plena vanitatis & iactantiæ fuerunt.

COLLOQVIVM VI.

VErum illud valdè nunc scire aueã, cur veterum istorũ Philosophorum placita ac præcepta adeò parum eam in rem conduxisse videantur, cum omninò ex naturæ ipsius meditullio deprõpta essent, quam nobis Deus vt magistrã esse voluit, quo ab ea crassius quẽadmodum bestiæ instrueremur. TH. An ergo tu magnopere illud admirari potes, qui præclarè scias ea ipsos naturæ infirmitate fuisse oppressos, quæ nulla ex parte sufficiẽs esse potuerit, quatenus illa veluti virtutũ semina in animis iacta excrescerent maturitatẽq; consequerentur? quẽadmodũ .n. is qui è graui morbo lecto affixus, medici opẽ implorat, sibi ipsi medicamẽta adhibere nõ potest, sed necesse habet istiusmodi aduocare aliquem qui rei cognitionẽ cõsecut⁹ sit, aut *qui pro quo*, vt aiũt, hauriet, & sæpè pro pharmaco toxicũ sibi infundet. Ita planè isti superiorum

Humanæ naturæ per peccatũ corruptæ.

ętatum Philoſophraſti in medijs naturæ ſuæ per peccatum ſauciæ tenebris oberrantes,& craſſa quadam opinionum ſuarum ac perſuaſionum caligine offuſi, pharmaca omnifariam,conficiebant: ad vnum eundemque modum omnibus delirantibus, & quolibet ſecundùm ſuam phantaſiam ſingulare aliquod comminiſcente: quod beſtijs aduenisſe non poſſumus dicere, quarum natura & diſſimilis ſibi nunquam fuit,& verò etiam actiones earum limitibus ſuis circumſcripſit. Aiebant ergo ij qui periti admodum excellentesque animarum medici audiri deſiderabant, mortem non timendam eſſe: Aiebant, hæc planeque intelligebãt etiam ægroti, & nihilominus grauiſſima calidiſſimaque febri conflictantes,cùm arteriam tangerẽt,cum rationem in conſilium adhiberent, à conſcientia minimè mendace veritatem intelligebant;audiebant,etſi vultus exporrectus, lingua ſana, totaque facies ad hilaritatem ac venuſtatem eſſet compoſita, mentem tamen animumque perfuſum metu pal-

Philoſophi profani vani.

pallere, & aliud multo ostendere. Adeò quæ ab Aesculapijs istis cogitabantur, iubebantur, & præscribebantur, plena falsitatis, iactantiæq; erant. Iam cum in morte mali nihil esse dicerent, quod nos verò repugnare ostendimus, parum omninò agere eos necesse erat, præsertim cùm in istiusmodi ingenium incidissent, quod non fumis, sed veritate ducebatur. Atque quo dixisse tamen aliquid viderentur, & quo quæ subtiliter excogitauerant, rationum momentis nili putarentur, dilemma adhibeãt, & iam velut factionem molientes, in duas partes diuisi diuortium faciebant. Dum ergo alij animæ immortalitatem astruunt, eamque è corpore ad beatorum sedes euolare contendunt: mitigatorium certè emplastrum ijs conficiunt, qui cum virtute vitam coniunguntprofligatos autem & improbos pœna nox eximunt: quibus quippe natura ipsa aliam longè cantilenam occinat, liquidoque ostendat, post exactã in omni flagitiorum genere vitam, iniquum esse altera beata etiam perfrui,

Dilẽma Philosophorum profanorum contra mortis timorem.

frui, quæ bonorum tandem solatium est: ita quaquauersum horrore & metu veluti circumsepti, nunquam non metuere possunt. Porrò dum nonnulli omnem animæ sensum derogant, postquam è corporis hoc ergastulo emigrarit, præterquã quod pernitiosissimam falsitatem admittunt, nec bonis nec malis satisfaciũt, cum ad vtrorumque horrorem maior omninò ex eo fiat accessio, quod intelligunt morte hominem in nihilum planè resolui, quo haud scio an quidquam natura magis auersetur. Adde quod ratio & natura ipsa hanc verborum inanitatem euertũt, quarum secreto instinctu animam immortalem esse cognoscimus: ita ergo nec isti securi esse possunt, nec hi facere, quin non magnopere mortem reformident. Licebit mihi per te hoc loco sexcentos alios errores præterire, vt, Deum mortis authorem, mortem autem ipsam naturalem esse, & huiusmodi farinæ innumeros deinceps quibus lepidum hoc Philosophantium genus turrim Babel nequicquam extruebãt, vt secu-

ros

ros homines contra hunc timorem efficerent, aut vt vana ostentatione ingenium suum & animi magnitudinem venditarent, in vna eademq; re peccantes, quam nec ipsi alijs elargiri, nec sibi omnibus etiam viribus ad id connitêtes, parare poterant aut acquisitum ire; adeò dum hoc vnum agunt, & cæmentum & linguam perdunt; & dum quilibet suum opus exequitur, socium non intelligit, imò nec seipsum.

Mors nihil aliud quam vitæ priuatio.
Mors nihil est.
Mors cum ne vmbra quidem sit cur timeatur.

COLLOQVIVM VII.

AN verò tu non præclarè admodum & tantum non diuinè ostendis, quam longè Philosophiam nostram tua Theologia post se spatio relinquat non modò in funebri hac dissertatione, sed etiã in omnibus ijs de quibus seriò solet disceptari? Itaque dum quasi nihil præmeditatus loqueris, ita tamen omnia

omnia expromis, vt incredibili me moleſtia & ægritudine liberatum eas. Cùm enim hactenus vocem mittere non auderem, & pallidam hanc atque exanguem mulierem me timere palam facere formidarē, quod ex albo Philoſophorum fortium expungi nolebam, acerrima continuò febri vexatus fui, donec nunc tandem tuis præſtantiſſimis myrothecijs adiutus, ex diuturno hoc lentoque morbo conualui, & per te liberali manu in libertatem meticuloſam illam quidem, at minimè inertem aſſertus, id demum timere incipio, quod DEVS vult, ratio dictat, naturaque ipſa cogitatque compellit. Nunc autem haud aliquanto libentius ijs quoque armis inſtrui cupiam, quæ ſatis eſſe dicis ad non tantum cum morte confligēdum, ſed ſubiungandam eam etiam & capiendam; habet enim victoria hæc neſcio, quem honorem ac fructum admodum reliquis copioſiorem. THEOL. Age ergo quando illa vis, quantum ad tegendam vitam neceſſe eſt, armis etiam iſtis muniaris.

ris. PHIL. At heus tu mihi ante scrupulum hunc, qui admodum pedem vrit, exime sis, priusquam longius inambulationem nostram instituamus. THEOLOGVS. Tu verò hunc mihi explices fac, quo quid te mordeat liquidò planè cognoscam. PHIL. Non perspicio videlicet ego, cum omnes Philosophiæ meæ neruos intendero, quid illud sit, quid tu ais, cum morte confligere. Valdè enim ijs placet qui à nostra disciplina sunt, nihil vt mortem aliud esse arbitrentur, quam vitę priuationem: sicut & vmbram alio modo non definiunt, quam absentiam lucis, tenebras claritatis, paupertatem diuitiarum, cœcitatem visus, inopiam & detractionem: vnde omninò præclarè consequitur, mortem rei alicuius, nimirum vitæ priuationem esse, & in seipsa iucundum tantum aliquid & speciosum Nihil. Quod si ita est, quomodo cum ea nos cernere, quomodo eam ferire poterimus? in quo denique loco vulnus illa ac plagam exceptura est? an in capite, an in brachio, an in pedibus,

Plato in Phæ.

an fortè, in ipso pectore? Reuera si ij qui de asini sui vmbra fuerant digladiati id consecuti sunt, eorum vt stultitia vel prouerbio excogitato ad æternam posterorum memoriam fuerit transmissa: Quanto omninò iustius mihi censuræ, iudicia ac reprehensiones parabuntur, si super morte disceptauero, quæ minus aliquid est quã vmbra istius animalis. Quomodo ergo illam tenebo cũ nõ cepero? quomodo si eam consequutus fuero ligaturus sum? Ait Homerus de Vlysse matris suæ apud inferos vmbram amplecti conante.

Ter conatus eram collo dare brachia circum

Ter simul eluctata fuit, ter vt vmbra refugit.

Vmbram oculis saltem tenere possumus cum eam conspicamur: mortem autem, nihil istud dico, qua tu mihi arte, quo ingenio, qua industria capturus aut irretiturus es? Iam autem si manus cum ea conserendæ sunt, si capi illã oportet, iugulanda certè

certè ac occidenda etiam est, vt crudelissimus & capitalis noster hostis; eam enim si tecum detinere tentes, iam in præsentissimum planè periculum vitam tuam adduxeris, si fœdus cum ea ferire volueris, si ad pacis cum illa colendæ studia animum conuerteris, frustra es, quippè cum ea reconciliari non possit, nec vnquam cum humano genere pacem habuerit. Iam si illam occisurus es, vitam eripias oportet; illud autem quo pacto effectum dabis, quæ vitam non habeat? nec enim contrarium contrario recipiendo est, nec vmbra lumen in se continere potest, vmbra enim tunc esse desisteret. Si ergo mors vitam non habet, quis adeò fortis miles erit, ea vt illam spoliet? atque si is etiam vitam ei eripuisse dicendus est, qui illam occiderit, an non & illud consequitur, mortem eum illi in sinum immissurum? Porrò si illud etiam à veritate non abhorrens est, quo contrarium contrario destrui asseueramus, quemadmodum

Nũmors occidi possit.

Contrarium à contrario destruitur.

dum cùm ignem aqua extinguimus, frigus calore depellimus, tenebras luce effugamus, ita omninò mortem suo contrario enecari oportet, quæ vita est; per hanc ergo mortem occides, atque occidendo adeò vitã ei largieris: dumque sic sua morte viuet, nos ex duabus rebus sibi inuicẽ aduersantibus morte & vita eam componi, & mortem quotidie pedibus inniti non ridiculè magis quam veraciter asseremus. Iam autẽ quomodo tu mihi eam interimes quæ omnia trucidat, quæ super sepulcra ac funera singulorum choreas ducit? vel quomodo cum ea confliges, si cũ timore ceu vmbra illius pugnare nõ potes? habes nunc hic breuiter ac succinctè scrupulum meum quo premebar, tuarum iam partium est eum mihi exemptum ire. THEOL. Ego verò quanta lætitia perfundor, dum te subtilia hæc & arcana quædam Philosophorum mysteria adeò expeditè, adeò & gestu & gratia singulari expromentem conspicor: & quas olim nõ nemio telas aranearũ appellabat, herculè quibus facilius

Diog. Laert. in vita Zeno.

rum-

rumpendis quam dissoluendis sis, tu mihi quam dexterrimè spinas illas dialecticorum manibus versas atq; contrectas? verum antequam ego quęstioni tuæ satisfacere incipio, legibus dialecticis me solui à te peto, quippè quæ cauent, ne quæstioni ad quæstionem respondeatur. Quæro itaque ex te, nũquid mortem times? PHILOS. Facilè tu quidem ex ijs quę hactenus à me dicta sunt, coniecturam hanc facere potes, vt intelligas admodum me eam reformidare. TH. At cùm illa nihil sit, quomodo timorẽ tibi incutere potest? an ergo concessurus es vt nihil te consternauisse dicatur? PHIL. Timorem dico istum ex opinione quapiam, ac persuasione proficisci, qua eam ceu aliquid apprehendo. THEOL. At contẽdo ego contra, & veritatem & illationem istam si spectes, mortem tamen nihil esse. PHILOS. Facilè tibi in eo assentio. THEOL. Cur ergo eam times, cum clarè videas credas atque intelligas nihil eam esse? PHILOS. Id verò fit, quoniam ne vitam mihi auferat magnoperè pertimescat.

Pro. Amra. tel. texere.

Cur mors cum nihil tamẽ timeatur.

THEOL.

THEOL. Verùm quo pacto vita te illud exuet quod nihil est? PHIL. An ergo illa de medio me tollere non potest? THEOL. Qui verò vita te illud priuabit, quod ne aliquid quidem est? Quodque non est, quomodo in id tu illud agere posse arbitraris quod est? ignis, qui non existit, an te vrit? pluuia quæ ante centum annos delapsa est, nunquid te madefacit? Chimæra etiam! Poetarum nunquid te aliquando momordit? PHILOS. Nequaquam: neque enim quidquam illa est, aut in rerum natura fuit. THEOL. At illud quod nihil est, plus esse non potest, quam fabulosa ista Chimæra. Quæro itaque nunc, morsne vitæ tuæ vim inferre aliquam possit, cùm nihil sit? intueris tu me quidem; at responsioni te potius accinxeris. PHIL. Herculé vt tu me argumentando conficis! Verùm totum ego me tibi aperiam, & quid ea super re sentiam paucis declarabo, si vt ante spiritum capiam, paulisper temporis concedas.

Quid

Quid sit mortem timere, & cum ea confligere.

Quid eam capere ac iugulare.

COLLOQVIVM VIII.

QVID tu ergo iam nunc mortem timere esse arbitraris? PHILOS. Ego verò nihil aliud id esse existimo, quam metuere ne vitam perdas, cuius iacturam mortem nos solemus appellare. adeo vt timor hic non de nihilo aut pro nihilo sit, sed ab amore boni illius proficiscatur, cuius naufragium ac priuationem formidamus: vt cum diues paupertatem metuit, planè nõ id absq; causa facit, sed quia graue existimat, bonis suis spoliari, & ad incitas deuolui. Atque hinc etiam illud est, quod qui in rerum omnium penuria viuit, iacturam istam vel paupertatem non metuit, quippe qui iam possessionem eius inuasit, ac nihil amittere posse incepit: è quo molestia vt procedat facile est, vt autem timor, qui mali

Pauper paupertatem nõ timet.

mali non præsentis sed futuri est; id verò admodum fieri non potest. Itaque qui oculis orbatus nõ est, cœcitatem metuit, aut ne visu suo priuetur; qui verò iam ante luminibus captus fuit, non cœcitatem timet, sed propter illã molestia doloreq; afficitur. Habet ergo mortis iste timor fundamentum suum in bono vitæ, quam nos omnibus viribus retinere ac conseruare studemus. Et ecce tibi nunc medullam planæ hic Philosophiæ nostræ, & responsionem mei ex intimis illius penetralibus depromptam. THEOL. Ego verò eam quod vehementer approbo, facere non possum, quin ei satis fieri velim, vbi ante interrogatis meis finem imposuero. PHILOS. Admodum ea vt in quam pauciſſima verba conferas, enixè peto. THEOL. Curabo sanè; illud autem adhuc vtrique nostrum constare arbitror, & mortem metui posse, & verò te etiam magnoperè eam formidare. PHIL. Fateor reuera eo modo quo dixi. THE. Eam ergo tu metuis vt hostem, vt inimicum? PHIL. Admodum quidem

dem. THEOL. Si ergo iam morti resistere te posse affirmas, reuera & cum ea confligere poteris, quod nihil admodum altero insolentius est. Si autem iam cum ea cernere licet, an non etiam capere, vincere, & si opus est, occidere illam licet? PHIL. Parum admodum quid edicas intelligo; clarius id ergo aliquanto proponi velim. THEOL. Faciam verò ego istud herculè perlubenter, & quo melius penetrare possis quæ diximus, responsionem tuam imprimis accipio, quo totius quæstionis conclusionem inde extruam, in eo fundamento quod tu ipse præclarè posuisti. Illud tamen antea constare tibi velim, conflictum me istum accipere, non vt corporum cõcursum aut manuum cõsertionem aliquam, qualem in bellis, homines inter ac pecudes sæpenumerò intuemur; sed omninò aliud nihil esse quam actionem quandam spiritualem, ac tantummodo animæ vim & conatum quempiam mortis insultui oppositam, quatenus damnum ea nobis nõ inferat: eodẽ planè modo, quo cum

Quid sit mortem occidere, & cum ea cernere.

auaritia, luxuria, ac alijs subinde flagitijs decertare dicimur; cum ea potius odio prosequi, à Republica & nobis arcere, neue salutem nostram aut existimationem lædant anniti, & virtutes contra inferere intelligamur. Aiebas deinde timorẽ mortis ex amore eo proficiſci, quo vitam nostram cupimus conseruatam: ego verò istud etiam addo, cõflictum cũ morte reapse aliud nihil esse, quam vitæ nostræ defensionem, quo à capitali suo inimico ac hoste morte videlicet, damno aliquo nõ afficiatur. Prorsus vt is etiam cum cœcitate pugnare fertur, qui collyrium visui cõseruando apponit: & mercator ille cum paupertate dimicare, qui secũdum Poetam, per mare pauperiẽ fugit: & qui cibis vitam sustentat suam, non ineptè cũ morte naturali confligere dicitur: sicutq; eũ qui legi Dei obediens vitam suam spiritualẽ confirmat, non absurdè cum morte Christianorũ cernere dixeris, quẽadmodum Dom. noster ait. Qui verba mea obseruat nõ morietur; vbi tu nihil aliud intelligis quam victoriã eum

Horat. 2. p. lib. 1.

Ioan. 18. 11.

eum de morte relaturum postquã legitimè certaueris, sine quo admodũ victoria nulla esse potest. Cùm itaq; cum morte manum conferere dicimur, nõ circa vmbrã aliquam occupari existimãdi sumus, sed id agere, vt vitã incolumem sartamq; habeamus; mortẽ autem capere solemus, non eam in spelæum aliquod compingendo, aut quemadmodum Chirurgi anatomiam siccatã penes se asseruant, sic nos in officinam aut capsam aliquam eam retrudẽdo; sed religiosè vitam exigendo, & studiosè curando, vt cum mors ista corporea nos accesserit, fructum aliquem afferat: quemadmodum victoribus captiui facere consueuerunt, & vt porta se habeat, per quã cælũ ingrediamur. sicuti præclarè id admodũ à sanctis Martyribus factitatum accepimus, qui moriẽtes mortem carni subiecerunt, & per patientiam de ea triumphauerunt, thesauros vitæ gloriæque secum æternæ referentes. Eandem ergo mortem cum occidisse ferimur, non lancea illam traiecisse, non sangui-

Mortem occidere.

nem illius fudisse, non vitam ei eripuisse dicimur, cùm reuera ista corpori tantum accidant, quod viuit, morti autem euenire non possunt, quam tu paulò ante priuationẽ contendebas, & minus omninò quam vmbrã esse asserebas: sed ita ex præscripto legum diuinarum actiones nostras instituisse, vt aliquãdo mors à nobis arceri possit. itaque iuxta viuere nulla vt illius formidine percellamur, aut recordatione eius aliqua in nostris corporibus exanimemur; quemadmodum in hoc mundo plerumque eorum memoria oblitterata est, qui naturæ debitum suum persoluerunt. Scriptura porrò sacra cùm mortem etiam omninò destructam iri commemorat, eodem ferè loquendi genere id effert; sicut cùm Esaias ruinam prædicens, in quam mortis regnum agendum esset, ait, DEVM illam in æternum præcipitare constituisse. Et facit cum hoc Oseas dicens, *O mors ego mors tua ero.* Ambo autem victoriam quam Filius DEI reportaturus erat mortem occidendo prænuntiabant, primo in

Isai. 25 8.

Ose. 13. 14.

Iesus Christus mortem occidit.

cor-

corpore suo naturali, tertia die cum gloria ac immortalitate reuiuiscente, & omnia mortis iura euertente: Secundo in corpore suo mystico, electorum puta, quos ad sui similitudinem in communi illa ac generali resurrectione immortales effecturus est. Ea verò quæ figuratè & metaphoricè à Prophetis dicta accepim⁹, occidere videlicet mortem & præcipitare, D. Ioannes velut interpretem acturus verbis proprijs declarauit, quando de vita Beatorum sermonem instituens, inquit: *Et mors vltrà non erit*. planè ac si dicere voluisset. Deus mortem ita occidet atque delebit, vt nec spiritum nec sensum amplius habitura sit inter eos qui in numerum Beatorum ciuium fuerint adlecti. Atque si illud etiam quæris, cur Sancti illi supremi numinis Amanuenses tragicum hunc loquendi modum vsurparint, cùm simpliciter dicere potuissent, Deus mortem fugabit, facturusq; est, amplius vt illa non existat; Respondeo factum hoc heroicum prorsus ac præclarum fuisse, & quod non nisi

Ap. 21. 4. Præcipitare & occidere mortem phrasis Biblica.

à Capitaneo omnipotenti designari potuerit, vt videlicet cũ morte confligeret, cuius regnum omnium regnorum mundi crudelissimum iuxta & fortissimum erat. Adhibẽda ergo fuerunt, quo excellentia & laus huius tam eximij facinoris melius exprimeretur, & vero etiam ipse honore ac nomine debito afficeretur, verba grauia, spiritus plena, & singularem quandam vim ac fortitudinem exprimentia, vti sunt præcipitare atque contrucidare. Quibus ita cõstitutis, aio, quod quemadmodum mortem timere aliud non est, quam metu quodam perfundi ea ne tibi noceat: ita cum ea cõgredi, vimque hanc lædendi & nocendi depellere, significare: captiuam ducere, fructũ ex ea & vtilitatem reportare: occidere, ita omnem vitæ suæ cursum moderari, vt aliquando nec animæ nec corpori imperet, quamuis ad tempus cum in mundo hoc moraremur, illius sibi possessionem vindicarit.

Quid sit mortem capere.

De duplici morte corporis, altera bonorum, malorum altera.

Scripturæ nonnulla loca dilucidantur.

COLLOQVIVM IX.

THEO.

ATQVE quo accuratiorem aliquanto singularũ huius quæstionis partium anatomin instituamus, licet hoc loco obiter duo genera mortis corporeæ constituere, & timorẽ quẽ nobis mors incutere solet, in duas species partiri. Altera ergo bonorum propria est, quãdo videlicet iustus Adam corpore exolutus, in sepulchro non aliter quam in lecto suo cõquiescit, & generalis Iudicij tempus præstolatur: quæ propter similitudinem quandã somnus ferè appellatur: adeoq; ea est, cuius Propheta Regius commeminit, *Pretiosa in conspectu Domini mors SS. eius.* Hanc etsi necessaria etiam corporis dissolutio ac putrefactio excipiat, vt animæ à corpore separationem; & sensus illã etiã communis auersetur, nos tamẽ eã modis omnibus expetere debemus: quippè cum per eam mundo hoc exeuntes,

Mors bonorum somnus est & porta cæli.

Psal. 115. 15.

Mors iustorum Deo accepta.

gloriæ æternæ possessionem accipiamus. *Beati qui in Domino moriuntur* ait S. Ioānes; ac si dicat, Beati omnes illi sunt, qui vitam suam exigunt ac finiunt per patientiam mortis iustorum. Atque hanc etsi ij quoque expetunt, qui improbum vitæ genus consectantur; virtutum tamen frenos sibi inijci non patiuntur, quibus in rationis gyrum exorbitātes compellantur: & cum manna commedere desiderent, mare tamen rubrum transire nolunt, adeoque gloria & brauio gaudere, merito nullo præcedente; & coronam accipere caput non habentes concupiscunt. Ex eorum admodum numero erat improbus ille Propheta Baal, qui exitum suum iustorum & filiorum Dei decessui similem esse optabat: intelligens videlicet, mortem illorum exemptionem esse ex ærumnis huius vitæ & portam quietis sempiternæ; verùm non desiderabat ille sanctè ac religiosè viuendo, quo ad eam peruenirent, anniti: & licet iustorum lectum conscendere optaret quam suauissime in eo quieturus, & ab huius

Ap.14.13

Improbi vt iusti mori volunt, non autem vt illi viuere.

Num.23. 10.

ius terrestris pelagi fluctib⁹ ac quassationibus respiraturus, in peccatorum nihilominus habitaculis cõmorabatur & eorum mensæ accumbebat. Altera verò mors ex diametro huic opposita, improbis & peccatoribus propria est, quam nihil aliud esse dicimus, quam finẽ & clausulam vitę in omni genere scelerum traductę, & aditum ad mortem sempiternam: de qua idem Propheta loquitur dicens, *Mors peccatorum pessima*. Hanc videlicet nos non aliter quam præsentissimum malum & capitalem pestem fugere decet, cùm omninò aliud non sit, quam improbitas absque vlla resipiscentia summa atque exaggerata, & extrema veraq; vindicta numinis diuini irritat'.

De duplice mortem metuendi genere, et naturali illius metu omnibus sensu præditis communi.

COLLOQVIVM X.

NVNC quemadmodum duo corporeæ mortis genera cõ- P 1
stituimus, ita duplicem quo-

que illius timorem faciamus neceſſum eſt; alter ergo naturalis eſt, à parte illa animæ inferiore ortum habens, quam nos recepto vocabulo ſenſualitatem appellamus. Hic omnibus planè inſitus eſt, quæ vita ac ſenſu prædita ſunt; communis non modo beſtijs, ſed etiam hominibus qua bonis, qua improbis. Vnde admodum fieri non poteſt, vlla vt vis tanta reperiatur, quæ eum ab illis diuellere queat ac ſeparare, cum ſedem ſuam & fundamentum in ipſa natura habeat, quæ eſſe ſuum incredibili prorſus amore proſequens, horret & auerſatur omnia, quæ ipſam deſtruere & arctiſſimam illam corporis cum anima cõnexionem ac copulam diſſuere poſſe ſuſpicatur. Atque hic reuera pons ille aſinorum eſt veterum ſcilicet doctorum, qui pilulis & pharmacis admirandis planè ſecundum præcepta Philoſophorum cõpoſitis ſtolidiſſimè mentiebantur, poſſe ſe illud effectum dare, omnia vt iſtius metus ſemina ac elementa animæ euellerent &. extingue-

rent:

rent: non considerantes naturam ipsam antè omni sensu priuandam sibi fore ac spoliandam. Porrò si quispiam mortalium ab eo eximendus esset, nunquid sanctis, nunquid iustis potius id dari oporteret? non modo propter animi illam à mũdo alienationem quo præclarè vident pelagus eum quoddam esse miseriarum ac molestiarum; verum etiam ob firmissimam spem qua nituntur æternorum bonorum perfruendorum, statim atq; ex loco hoc tenebroso euolarint? Isti verò nunquid non timent? nunquid metu hoc quem naturæ comitem inseparabilem esse sciunt, non perfunduntur? opinor certè: quippè quorum vnicum hoc votum est, vbi fortè quæstio de cœli ingressu inciderit, repentè in viam se dare, versus illud iter habere, nec tamen pœnulam scindere, nec per ingratam molestamque adeo mortis exautoratione stationе cedere, & vasa sua collectũ ire: quãadmodũ id D. Paul⁹ præclarè animaduertit, cũ ait, velle nos superuestiri nõ tamẽ exui, hoc est, intra-

re in possessionem immortalitatis, sine corporis commixtione, & cœlum ascendere non ante in sepulchrum descendendo. At felices illi tamẽ, qui cum armis optimis instructi, contra carnem, & quicquid ab ea sensualium titillationum promanat, tempus suum adueniſſe intelligunt & hãc diuini numinis esse voluntatem agnoscunt, vt à militia sua discedant, præstant obedientiã Imperatori suo, & imperterriti irruentẽ in se mortem excipiunt, licet tantum secum agmen tormentorum trahat, quantum omnino perferri possit, ad honorem Dei, sui salutem, & proximi incolumitatem. Planè ob hanc rem Iesus Christus, postquam ea verba protuliſſet, quibus declarabat, se reuera hominem istiusmodi esse, vestitum scilicet ea parte quę timet, & stimulum mortis experitur. *Pater si possibile est transeat à me calix iste*; confestim subiecit decretum partis rationalis, magistræ & dominæ sensuum, quæ altiora longè sectatur, quam vt corporis tantum bono adhæreſcat. *Tamen nõ mea voluntas*

Mat. 26. 39.

luntas fiat sed tua: id est, gratum mihi equidē foret instinctui naturæ corporeæ obsequendo, vitam retinere, nec mortem subire: tamen quia pro tuo honore perferenda est, quia tibi id faciēdum videtur, quia pro salute humani generis mori me vis, sequar lubens, & ad crucem vsq; procurrā.

Naturalem hunc timorem vt vitæ custodiam accepimus; additis diuersis exemplis industriæ bestiarum in periculis vitæ subterfugiendis.

COLLOQVIVM XI.

PORRO cum vitam vt donum cęlestę, & præclarum admodū munus, acceperimus, dignaq; omninò sit quam studiosè & vigilāter custodiamus, quia lex diuina id præcipit, aut saltem permittit: vidēdum nūc etiam est, quomodo suprema illa bonitas mortis quoq; timorem ingenerarit, vt ab eo omnia quę vitæ ac sensus non expertia sunt, discant atq; intelligāt, quomodo cū ijs confligere omniaq; ea subterfugere & pro viribus suis propellere debeant, quæ damnū sibi aliquod possunt. THEOL.

inferre. Sicut enim homines eo instruxit, vt si sublimior illa altiorque consultrix, ratio videlicet eos à vi facienda abstinere non posset, hæc formido mortis vt equos furibūdos & effrenes coerceret, ac à flagitio barbaro & plus quam bellurino sic ipsius nimirū homicidio potentissimè reuocaret; ita feris stimulū quēdam eam esse voluit, omnibus vt viribus ad vitæ suæ conseruationem conniterētur. Et est omninò hæc illa quæ sensū animantium mouet, iram prouocat, ac pectus animat, nihil vt tanti esse existiment, cui non aut viribus resistant, aut astu se subtrahant, quo vitam suam seruent ac tueantur. Hæc illa est quæ murem in Brasidam armauit, hæc paralysi solutos equis imponit, hæc senestris eos eijcit, quo imminens ignis periculum euadant, quemadmodum antea recensuimus. Hæc Scarum docet inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inferere, sed auersæ caudæ ictibus crebris laxare fores, atq; ita retrorsum erumpere. Quem luctatum eius si for-

Plut. de dictis Regum. Timor mortis omnia animalia mirè acuit ad sui defensionē.

fortè alius scar' extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpentis conatur. Hæc Lupum reti circumdatum harenas arare cauda atque ita conditum transire rete. Hæc murenam maculas appetere ipsas docet, conscium teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare donec euadat. Hac magistra Ichneumon non aliter quã exercitatus miles aliquis & iamiam cum hoste manum conserturus, cum aspidem inuasurus est, corpus limo oblinit, sicque eo ad solem durato ceu lorica tectus inimicum suum præstolatur. Hæc illa est quæ implumes adhuc & vix ouis excluſos pullos abdere se docet, vbi à matre miluio viso, clamore se moneri audiunt, atque iam tum se pati animaduertunt. Hac magistra columbę hostium suorum genera norunt, & ex auiditate & gente accipitrum diuersa pericula sua discunt, fugiunt atque obseruant. Hæc eas docet; alios ex terra auẽ rapere solere, alios circa arborẽ volitantẽ, alios sedẽtem in sublimi, alios

Pluta. de ind. ani. Plin. li. 8. cap. 24.

Industria pullorũ.

Plin. lib. 10. c. 8.

alios volantem in aperto. Hac magistra Grues proficiscẽtes ducem quẽ sequantur eligũt: in extremo agmine vigiles qui acclament dispositos habẽt, & qui gregem voce contineant. Excubias habẽt, nocturnis temporibus lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno & decidens, indiligentiam coarguat. Hæc illa est, quę boues, vbi in vitæ discrimen à lupo adducũtur, in agmen rotundum cogit, iunctisq; caudis omnes compingens, intrepidos facit ad hostem irruẽtem cornibus quaquauersum excipiendum. Hæc illa est quę equos in circulũ compellit, & capitibus singulorum ceu centrum efficiens, calcibus & soleis ferreis inimicum docet præstolari. Hæc illa est quæ porcos (quorum animam è lardo factam iures) adeò bellicosos, adeòq; industrios efficere solet, vt cum de vita sua agi vident, confusi continuò triangulum efforment, ac fortioribus in acie collocatis exercitũ validissimum constituant: alis vndequaque munitis & pinguissimis armorũ armis circumseptis. Quis verò leporibus

Industria terrestriũ in sẽ defendẽdo.

bus plumas addit, quis pennas pedibus illorũ apponit, cùm à tergo insequentium vertagorũ latratus trepidi persentiscunt? Quis Ceruis calcaria subdit, cùm per media densissimaq; nemora aut insequentis leonis rugitum, aut imminentis venatoris cornu vocesq; canum inaudiuêre? Quis vulpem tot stratagemata, tot astus & artes docet, vt cũ remedium aliud non succurrit, quo vitam suam cõseruet, hostes fumo suo grauissimo & aura olidissima ita excipiat, vt præter nasum probè delibutum ac plenum nihil ab ea reportẽt? Quis elephanto modum dentes acuendi in arboribus ostẽdit? quis Rhinoceroti in lapidib', in cotibus? quis Apros eos ad saxa subigere docuit? quis ijs rationem arma hæc sua adeò studiosè & accuratè poliẽdi purgandiq; demonstrauit, quo nunquam nõ muniti & ad bellum parati inueniãtur, neq; hostium incursum inermes excipiant? an non auspicio & opera magnæ illius tutatricis formidinis gerunt isthæc illi & factitãt; quę inindustriã eorum acuit, animum excitat,

Plin. l. 17. c. 1. Plut. 2. de Ind. animal.

citat, arma suppeditat, quemadmodum à Deo Creatore ei fuit commodatum?

Duo exempla eiusdem materiæ, leonis alterum ab equo occisi, alterum hominis ex vrsi vnguibus liberati.

COLLOQVIVM XII.

THEOL. NVNC vt ea, quæ super timore mortis quem natura nobis inseuit, disputata hactenus sunt, exemplis nostra ætate gestis astruamus, libet mihi hoc loco admodum duarum recentium historiarum narratione colloquium hoc nostrum velut condire. Altera de bestijs duabus est; Altera de homine & bestia; vtraque autem verissima, sicut à verace & locuplete amicorum meorum non nemine, qui locis vbi ambæ contigerunt, ac tantum non ipsis rebus interfuit, memini fuisse cum narrarentur. Primum itaque sicut dixi de leone & equa exemplum annis abhinc credo octo & viginti, in celebri Hispaniarũ vrbe Saragoza ge-

za gestum sic se habet. Equã annis iã confectam & inutilem propter præclaram operam quam olim in bellis nauarat domino suo, ceu emeritam minimè parcè fœno & auena pascebat Magister: ad hunc cum aliquãdo leones ex Aphrica deducerentur, ab amicis nonnullis nobilibus rogatus fuit, vt nobilium cætui munus daret, dictamque equam cum leonum suorum aliquo in theatrum deductam committeret, quo ab omnibus prouerbio illo peruagato, quod equum generosum nunquam aiebat torpescere, aut fides præstaretur, aut certè deinceps manifesto exemplo derogaretur: allegabãt etiam factis suis præclaris eam promereri aut semper eo vt modo aleretur, aut si mortẽ oppetere debeat, à nobili potius isto aduersario occideretur. Malè res ea dominũ habuit, maluissetque aliud quippiã à se fuisse postulatũ, quippè qui nõ pretio quod nihili ille faciebat, sed cõmiseratione quadã naturali mouebatur, q illius senectutẽ morti exponere cogebatur, cuius iuuentutẽ adeò fidelẽ strenuam-

Bonus equus nũquam sibi dissimilis.

nuamque in non paucis periculis fuerat expertus : Verùm dedecere se ratus plus bruto dolori quam amicorum precibus indulgere, petentibus annuit. Et ecce præfixa die, in frequentissima nobilium turba & plurimorum ciuium concursu qui pergulas fenestrasque commodius vt spectare possent occupauerant, in amplam admodum & spatiosam aream lapidibus quadratis extructi inprimis equam adducunt ; inuenisses reuera neminem qui non commiseratione animalis motus vel momentum vitæ ei sponderet, vel non certam ei mortem sola leonis præsentia illatam iri autumaret: Intromittitur ergo Leo; cum ista mox Regem suum & hostem ante non visum conspicata, instinctu quodam naturali certam vitæ suæ finem adesse intellexit, verum nihilominus cognoscens curam sui gerendam esse, timorem eiecit, nec nisi laudata, & insigni morte obire se velle constituit : cedit ergo nonnihil & in angulum ab vtraque parte muris clausa se recipit, leuiter aerem anterio-

terioribus pedibus verberans: Adest sensim Leo & regio planè more, graui & lento gradu ad eam accedit, terram cauda bis terue pulsat, nihil admodum minas ac ronchos vasalli sui pertimescens: iam Magister in agonia equam suam constitutam intuens conclamaturus erat, cum reuera voce elata iumentum compellat & ad certamen confirmat, neue animum toties in concursibus bellicis spectatum abijciat hortatur. Excepit vocem deplorata bestia, & ante oculos obuersantem sibi mortem sentiens, animum attollit, nouũ stratagema, imò nouam lectionem à Magistro timore extemplò discit, pectusque contrahens valido soleæ ferreæ ictu leonem ita salutat, vt mox impacta in frontem calce, attonitus confestim angulum peteret, & hosti tam potenti spatium dormiendi concederet. Mirantur verber inopinatum quotquot ad id spectaculum confluxerãt, clamant, vociferantur, nec cuius vicem doleãt, aut cui gratulentur adhuc dispiciũt: cum ecce tibi Leo, vbi paulisper

ceu

ceu mortuus requieuisset, excitatur, ingentique rugitu vicinas quaquauersum domos & plateas complet; astat equa, sudat, ronchos trahit, & iam veluti pœnitentia ducitur, quod tam potentem hostem aggredi & in suam vt metuebat perniciem lacessere ausa fuisset. Hæc inter saucius erigitur, ac ilia aliquoties feriens, quo immanem eius & extremam iram agnosceres, in inimicum prouolat, eiq; impendens dextrum armum auellit, iamq; ita mutilum cõficit: verùm non absque sua etiam ruina factum id ei stetit, sequentem enim noctem cum tonitru vocis suæ tota ciuitate resonantis exegisset, postridie expirauisse inuentus est. Habes hic reuera vbi liquido videas quam nõ segniter aut abiectè timor vitæ amittendæ exanguem iam debilemque senectutem armet, quomodo exhausto contra generosum ac strenuum inimicum vires sufficiat, quomodo denique strenua ista bestia nunquam sui dissimilis ad extremum vsque conflictum, mortem laudabilem aduersario intulerit, &

can-

eandem nõ sine illustri victoria obiuerit. PHIL. Verùm quid tu mihi de asino illo mansuefacto ais, qui Alexandro apud Babylonios agente, leonum omnium fortissimũ & pulcherrimum, ita adortus est, simul vt eum calce percutiens extingueret? THEOL. Aio Asinum quem tu memoras, absque timore fuisset, nunquam tam fortem se ostendere, neq; etiam morte tam nobili & honorifica tolli potuisse, quemadmodũ hæc equa quã tibi descripsi. Ac fuit reuera insolens ille ictus & prodigiosus magni illius leonis Alexandri prognosticon; cui toxicũ illud propinatum fuit, q̃ propter summum frigus non alio vase quã calce asinina capi poterat & conseruari. Tempus nunc monet vt de altero quoq; exemplo mihi dicendũ esse videatur. Decimus hic admodũ annus est, cũ in Ducatu Sibaudiæ opifex Nicodemus Valerius S. Albano oppidulo oriundus, venatui cũ permissu Principis propter egregiam dexteritatẽ incumbebat. Hic cum nonnullis sui ordinis die quodam egrediens, sclopeto instru-

Plut. in Alex.

structus rupem vicinam conscendit, vbi quod vrsum enixum esse sciebat cumque experientia sua & baculo igniuomo fretus cum catulis se consequi posse arbitrabatur, quodque locus præcipitio inaccessibilis esse videretur, solus ipse relictis socijs ad infimum montis penetrale descendit, velut auis prædam suam persequens, ita quoque ipse spectatores suos in sublimi habiturus. Pergit ergo, nec sine magna difficultate; cum ecce iam ad partem rupis inferiorem loca paulò faciliora inuenit; specumque media ex parte vacuam & natura non arte cæsam, ingreditur: imminebat illa cauerna vrsorum, ita vt non difficulter exeos & ingressum antri posset conspicari: Aduertens ergo abesse non posse, quin mater simul ac aduentum suum persensura foret, confestim sibi obuiam exiret, clauam manibus prehendens salutaturus illam expectat. cũ ecce adest illa ira fremens atque hic repentè longurium suum capiet recta bestia intra vtrumque oculum percussurus collimat, iamque pro-

piu

pius accedẽte hoſte, dũ feliciter rem caſuram arbitratur, rotam laxat, fallitur, aberrat, & iam pauere occipit: quare neceſſitatem in virtutem commutans, continuò bombardam velut in ſtatione retinet, certus animal aut ferire, aut ſaltem habitu illud ſuo terrere. Verùm vrſus ſclopo iã eluſo, bombardã ei è manibus excutit, & confeſtim impetu facto brachium ei dexterum inuadit: harũ rerum interim nec ſocij ſpectatores eſſe poterant, propter loci concauitatem, nec ipſe eos ad ſuppetias ferendas inclamare. Quid tum generoſus iſte ac ſtrenuus ſagittarius capit repentè in ipſa acie conſilium, & metu mortis imminentis mirificè impellẽte, beſtiam non aliter quam iumentum conſcendit, ſicq; in horridum illud dorſum enitens, quantũ poteſt dextera pilos apprehendit, & inſtar canis venatici dentes in collũ belluæ adigens, animosè eam morſicat atque peruellit: animal à nouo hoc equite grauari ſe & deuorari etiam pungiq́ue indignans, timore auctо furore exæſtuat, & cùm teneri ſe

arbitraretur,captiuo eluctari ſtude
& rabidæ in morem feræ concit
tiſſimo ſaltu de rupe in rupem ſub
ſultat:ergo quanto importunius i
domitus ille vector per ſaxa rui
tanto ille fortius manu pi'os ſtri
git, & dentes effreni infringit, n
vt curſum illi adderet , ſed quo
mius dorſo inhæreret; cum præſ
tim lymphata iſta beſtia inſtar ſol
culi inflati paſſim per inacceſſa
charetur,eques autem ille nihil
tius quam lapſum pertimeſcen
Huius itaque comediæ ſpectator
qui venatorem ſuum ex cauerna
per hoc nigro animali viderant pr
uolantem clamare tantum & val
diſſimè vociferari:tũ poſtquam eu
oculis amplius conſequi non po
ſent,alter alterius ſententiam de
ſolenti hoc & mirabili vicini iuſ
tunio explorare, planeq; ſtatue
Magum eũ videri,neq; vrſo ſed Di
bolo vehi augurari:cũ interea ven
tor & præda per rupes ac nemo
nunquam quieſcentes vagari, am
ſalutem ſuã deplorare, hæc ob on
ſuum examinari, iſti ob aſcẽsũ pe
clit

clitari. Et ferebatur illa nihilomin' rapidiſſimo ſaltu collũ dorsũq; domitore ſuo tenẽte, cui & vires ad ſe ſuſtentãdũ deficiebãt, & modus deſcendendi non ſuccurrebat, cum ab vno latere ſiniſtra pro freno vteretur, & alia ratione ſibi opitulari nõ poſſet; metuens ne ſi defluxiſſet, in partes à iumẽto tractus diſcerperetur. Capite ergo nonnihil eleuato vbinã terrarũ feratur, in quẽue locũ delat' ſit explorare geſtit, cũ ecce ad marginẽ noui præcipitij rapi ſe videt, ad quod magno impetu beſtia equitẽ ſuum, cui iam ſiniſtra agrè ſufficiebat, agebatur. Hoc ergo conſilio repẽtè capto, & nouo timore ſtimulatus, & horrẽdum ob oculos ſuum conſpicans cæmiteriũ, ſenſim ac lẽtè, nec vt ante cum impetu quãdo aſcendebat, in terrã defluit. Hic tu vrſum nouo horrore percitũ, iãq; ſarcina ſua liberatũ, nouũ iter & tranſuerſum arripere videas, ingentiq́ue cũ furore & fremitu per ſyluas nemoraq; curſitare. Miſer ergo ex vulnere ſaucius mirificeque ſibi periculum euitatum à Deo iuxta auxiliũ

sibi præstitum gratulans viam ad primam rupem capit, catulisq; profugæ repertis qui in exiguo illo loculo quo diximus lusitabant, & matrem suam expectabant, in prædam omnes aufert & socijs donat, cum quibus attonitus iuxta ac hilaris in pagum rediens, spolium & liuorem reportat.

Timor ille mortis qui à natura est, magnanimitati non repugnat.

Sola formido mortis voluntaria, si rationi contraria sit, vitiosa est & ignauiæ notam secum trahit.

COLLOQVIVM XIII.

THEOL. CONSTAT ergo nunc opinor natura timorem istum vt custodem vitæ animantibus adiunctum esse voluisse, quo omnibus quibus à natura modis instructę sunt illud operam dent, vt mortem euitent, & sese ipsas conseruent: vnde & illud sequitur nulli eum vitio ac virtuti affinē esse, nihilq; in se continere propter quod vel magnopere laudari vel mediocriter possit vitio per

perari, nisi cum aliquid ei accesserit, cuius causa min⁹ laudabilis, aut laudatior paulò esse iudicetur, quo quidē reliquæ omnes quæ à natura passiones proficiscuntur, dicimus esse comprehensas atque affectas. Itaque cum Alexāder ille Macedo sub certaminis initium tremebat, formido ista culpam planè nullam habebat cur accusanda esse videretur: superabat enim istam cōtinuò animi sui magnitudine, & velut se indignam eijciebat: merebatur autem laudem potius cum naturam sibi repugnantem ad suum institutum flectebat, & animo suo obsequi cōpellebat. Miles verò qui mortem timens acie excesserit, iusto in bello dilapsus fuerit, eiusque finem felicem post sepē fallens expectarit: hic reuera vituperio ac reprehensione dignum facinus agit, non quia mortem timet, sed quia naturali hoc metu ad inertiam abutitur, sordidissimeque legum Dei, & patriæ causam ac defensionem perdere non veretur.

Miles acie excedens, pœna dignus.

Quodlibet mortis malæ genus metu voluntario esse dignum.

COLLOQVIVM XIV.

PHIL. ACCEDAMVS nunc si bonum tibi factum videbitur, ad alterum genus illud formidinis, quod non natura nobis impressit, sed voluntas excogitauit: cuius admodum duas etiam species constituemus, laudabilem alteram & a consilio rationis profluentem, qua Deo gratã esse arbitratur mortẽ imminentẽ timere: cui dum voluntas annuit, modis omnibus satisfacere ei nititur, & periculo hominem sui subducere conatur. Dum ergo voluntarius iste metus naturali semper indiuiduus comes assistit, omnia ei seruitia sua citra petitionem offert, illudque demum agit, vt ex vtriusq; metu potentissima mortis fuga resultet. Et adhibendus hic reuera metus est, vt mortem malam, hoc est, cum peccatis coniunctam, quam peccatorum antea esse diximus, omni studio & cura fugisse videamur

Opor-

Oportebat illo etiam percelli non leuiter protoplastum Adamum, cũ Deus morte legem eam sanciuisset, qua pomi esus illi vetabatur: itaque dũ eo incõsultus nõ vtitur, nõ modo se sed vniuersũ genus humanum in pelagus hoc ærumnarum præcipitauit, in quo modo miserrimè iactitamur. Ascisçendus hic etiam tunc est cum lex iubet quippiã quod morte cauetur, suntq; velut freno coercẽdę eo libidines nostræ, ne pœnam illã incurramus quam absq; Dei offensa subire non possumus, quæque cũ detestanda & improba sit, fontẽ suum carceri mancipat, & tormentis sẽpiternis addicit, nisi seria pœnitentia priusquam è vita emigret peccatum diluat atq; expiatũ eat. Alter metus is est quem voluntarium diximus, quique rationi ex diametro oppositus, quando videlicet, voluntas à timore naturali eo adduci se patitur, vt mortem propter pretium aliquod aut spem boni cuiuspiam fugiat: vt cum Prælatus, absque graui causa, vitæ suæ rationem gregis, incolumitati præferens,

Timor voluntarius contra rationem vituperio dignus.

eum derelinquit, & lupo exponit: cum ciuis fugam capit, quando pro patria mors honestè oppetenda est: cum miles diuerticulum & latebras quærit, vbi palã se ostendere, & sanguinem suum profundere pro Repub. aut communi salute sicut diximus conueniebat: Cum Christianus obmutescit, quando elato corpore & fronte hilari confessio fidei edenda est, licet mors, licet tormenta fœtentem præstolentur. Hæc cùm fiunt, tum verò flagitium enorme designari, leges diuinas violari, iura humana peruerti certum est: promanat enim animi illa abiectio ex sordida quadam diffidentia hominem bestijs ipsis deteriorem efficiente: quæ etsi sensu non ratione mouentur, & appetitu naturali ad sui conseruationem rapiuntur, vincunt tamen sæpenumerò metum istum, quando sicut de leæna alijsque accepimus, deiecto capite ac clausis oculis peruicacissimè & cum vitæ propriæ discrimine in venenatorum tela se ingerunt, pro catulis suis honestissimè morituræ.

Sui-

Suĳpſius homicidium phreneſis deteſtabilis eſt, naturæ contraria, doctiſſimorum quorumq; ſcriptis condemnata, & poſt mortem legibus punienda.

COLLOQVIVM XV.

NVNC diſputatis à te ſapienter admodum iſtis omnibus, facilè colligere eſt, quãtum facinus deſignent ij, qui abſque graui cauſa vitam ſuam prodigunt, vel cum ratio poſtulat ignauiſſimè eam conſeruant: etſi de vtrisque exempla aliqua habeantur, & tam in hãc quam in iſtam partem allegari nonnulla poſſe videantur. Verùm mirandum id omninò non eſt, ſi plurimos reperias, qui contra rationem mortem fugiant: facilè enim à ſe quilibet impetrare poteſt, vt ſocordiæ inertiæque ſe animumque tradat. Illud verò non admirationem tantum, ſed commiſerationem etiam concitare debet, quod non pauci ſint, qui, neſcio qua opinione perſuaſi PHIL.

ſuaſi, & factum animo grandi & excelſo dignum ſe præſtituros autumantes, ſibi ipſis manus inferre audent, quia id credo ab hominibus fortibus olim factitatum fuiſſe legerunt: De his qui tibi videatur, mirum omninò eſt quam ſcire aueam, quamque id non breuiter, & velut aliud agendo, ſed fuſius paulò ac ſpiſſius à te velim pertractari. THEOL. Parebo ſanè, quippè cum ipſe videam, eouſque hominum amentiam peruenisſe, nullum vt errorem reperire poſſis, qui nõ ſublicam ſuam in cerebro alicuius delirantis defixerit. Et quemadmodum Plinius de Græcis aſſerebat, mendacium ita purum putidum ac manifeſtum nullum excogitari, quod non patronum aliquem reperturum ſit, à quo cauſa ipſius agatur: ita nobis dicere licet ſeculum hoc & ætatem noſtram plenam Polypis eſſe, qui quam diuerſiſſimos colores quolibet momento aſſumere non vereãtur. Itaque vt paucis totam tibi rem ob oculos ponam, dico omnes eos qui

Plin. l. 8. c. 2.

qui titulum boni viri retinere volunt, planè id persuasum sibi habere oportere, quod nemo non eorum qui vitæ suæ hilari animo & deliberato vim inferunt, phreneſi detestabili laboret: omnesque eos qui id facinus approbant, propugnant, ignorantiæ planè bestialis esse, & in homine qui Christi nomine vitam Christianam profitetur, hæresin furibundam. Hæc Diui *b* Augustini temporibus passim obtinebat, adeò vt tunc demum nonnulli sibi mirificè placerent atque applauderent, cum manus sibi violentas inferre nõ formidarent. Inprimis enim lege diuina flagitium illud condemnatum est, cum pœnam homicidio interdicto adiunxit. Quam reuera eo iustius ij incurrunt, qui sibi ipsis mortem consciscunt, quamque alijs inferunt, quo detestabilius est sui ipsius quam alterius esse homicidam. Itaque cùm lex ait, *Non occides*, inielligendum est nec proximum, nec te ipsum, vti Diuus *c* Augustinus adstipulatur: Secundo horrorem mortis naturæ

b S. *Aug. de Hæresibus ad q. vult hæresi 69.*

c S. *Aug. l. 2. de ciuit. c. 20. art. 4.*

S. Thom. 2. q. 64. art. 5.

omnium insculptum esse à supremo illo artifice, experientia ipsa testatur: tertiò, ratio etiam clarè ac euidenter demonstrat, homicidium flagitium grauissimum omnino esse, contrarium legi diuinæ, naturæ repugnans, & rationi oppositum. Ethnici qui innumeris implicati erroribus fuerunt, vbi doctrinam populi aliquam sanam conspexerunt, tenaciter semper eam defendendam, susceperunt, & pugnacissimè veritatem tutati sunt. Itaque Græci ac Romani nefandum id facinus planè esse arbitrabantur, cùm semper reperiretur furore aliquis percitus, qui telam vitæ suæ succideret, & in ferrum sese indueret; Thebani audaciam talem ab extrema insania amentiaque non immeritò proficisci, & à crudelitate planè barbara promanare arbitrabantur Cicero post Platonem per Scipionem hæc ait; Quare tu Publi, & omnes viri boni, animam in corpore retinere, nec ex societate hominum discedere velle debetis absque venia illius à quo vitam accepistis, ne fortassis DEI

Alex. ab Alex. lib. 5. c. 28. ex Plat. in Phædro. Cicero in som. Scip

decre-

decreta placitaque reieciſſe videamini. Quo loco præclarè admodum & velut per tranſennam cauſas duas principales turpitudinis in hoc flagitio deſignatas, iniuriam primùm quam Deo irrogat is qui manus ſibi infert, repellēs donū illud quod iure diuino & humano magni facere tenebatur, & tādiu conſeruare, donec illi qui ſolam poteſtatem vitæ ac mortis ſibi voluit eſſe reſeruatā, aliud conſtituendum videretur; cuius omninò authoritatem tibi vendicare & vſurpare nemo poteſt, qui in pœnam condemnationis incurrat; multoque ille minus excuſationem meretur, qui abſque licentia Dei mundo hoc egreditur, quam miles ille qui excubias deſerit, ordine & acie excedit, nō ſine ignominia & mortis ſupplicio perferendo. Et quemadmodum is qui iudicium ſibi rei alicuius vēdicat, cuius cognitio ad ſolum Principem ſpectabat, quique Officialem aut Præfectum illius occidit, crimen lęſę Maieſtatis committit: ita ſuiipſius homicida, qui prærogatiuam & rem à Deo ſibi cōmiſ-

Arist.5. Eth.c. vlt.S. Thom. Ibidem.

missam inuadit, reus est coram diuina iustitia diuinæ maiestatis violatæ. Altera causa grauitatis sceleris ab Aristotele assignatur, quod videlicet homo cum Reipublicæ membrum eique subiectus sit, sibi mortem cõscisicere non possit, quin inuolet in authoritatem Magistrat', qui partes vicesque diuinæ iustitiæ gerit, & iniuriã nõ modò Deo inferat, sed etiã, publicæ rei & societati. Vnde meritò ac præclarè admodum rabidos istos & dementes post mortem leges humanæ carnifici tradi iubent, & velut indignos hominum contubernio tam in vita quam post illam sepulchri honore volunt spoliari. Bellè admodũ in ciuitate quidam Gasconiæ annos ante tredecim factitatum id esse memini: vbi cum in officina peregrinus quispiam operam herolocauisset suam, eam in amẽtiam prolapsus fuit, vt nefario icto flagitio manus contaminaret; rapitur ergo infœlix cadauer, & tribus asseribus compactis velut sarcophago imponitur, & super cacuminibus quatuor trabium in terram

ante

ante portam ciuitatis defixarum collocatur. Athenienſibus etiam quod ex Platonis doctrina hauſerãt, in more fuiſſe accepimus, vt ſuiipſius reos manu dextra reſciſſa mutilarent, eamque in aere putreſcere ſinerent, quippè quæ nefario facto vt inſtrumentum inſeruiſſet. Maneat nunc ergo iſtiuſmodi facinoroſos non coram Deo tantum, ſed tota generis humani ſocietate ac natura execrabiles eſſe, quia illius leges parricidio crudeliſſimo ac ſacrilego planè violare non verentur.

Alex. c. l. 5. 28. & Plato in Phœdone & l. 9. de legibus.

De Samſone & alijs ſui interfectoribus:

Princeps ſapiens legem interpretatur.

COLLOQVIVM XVI.

QVID verò tu mihi nunc pro ijs allegaturus es, qui manus ſibi violentas intulerunt, ac nihilominus in numerum bonorum relati ſunt, quemadmodum de Samſone accepimus? THEOL. Aliud omninò nihil quam quod ſuper eadem

PHIL.

Iudic. 16. 30.

b S. Aug. 1. de ciuit. c. 20.

eadem re à *b* Augustino affertur, qui ait, istiusmodi homines non furijs quibusdam actos, sed diuino instinctu impulsos tale quid designauisse. Itaque nihil planè contra legem Principis sui faciebant, cum id, quod ipse vellet ad honorem suum geri, & pro bono publico admitti, exequebantur, quemadmodũ in eo qué adduxisti, manifestè potest reprehendi: qui quemadmodum (ait *a* idem Doctor) Deo inspirante & operante miracula perpetrabit, ita per eiusdem dictum & suggestionẽ duas aulæ columnas, sedibus locisque suis mouit, & cum vitæ suæ iactura sub earum ruinis Principes Dei inimicos sepeliens, patriam morti; se autem ignominiæ turpissimæ subduxit. PHILOS. An ergo malum id nõ erat, quia à Deo fuerat imperatum? THEOL. Nequaquam verò peccato id affine esse potest quod Deus præcipit, licet enim illi eadem prorsus iustitia legibus suis quem volet soluere, qua ante eas seruandas omnibus edixit ac promulgauit. Solutio autem illa nec

a S. Aug. cõtra. 2. ep. Gaudent. l. 2. c. 23. l. 2. de ciuit. 21.

Princeps de suis legibus potest dispensare.

cum

cum mente legislatore pugnat, nec fini legis aduersatur, sed potius euidens declaratio est, quo præclarè intelligamus factum istud honestum esse, & quam maximè fini legis adæquatum, qui Deum honorari vult; & ad vtilitatem publicam si quid aliud accommodatum, quæ iustitiam seruandam monet, defendēdos bonos, & facinorosos contrà seuerè puniendos. Sequitur itaque istiusmodi Dei scita ac præcepta nō minus quā leges suas valere, & hoc modo homicidium ab illo suggestum, non plus mandato *Non occides* repugnat, quam consensus Abrahami filiū suum immolare ac sacrificare molientis; vel spolia illa quæ Hebræi ab alijs referebant præcepto *Non furaberis* aduersantur. Cum enim penes Deum rerum omnium dominium atque arbitrium sit, potest ille eas dare & accipere, & per quem ipsi placuerit, constituere & ordinare: nihilominus institiam sēper administrans nunquamque possessores earum iniuria afficiens, qui depositarij tātum sunt. Poterat ergo

vitam

vitam Isaaci vt suam à manu patris repetere, poterat bona AEgyptiorũ vt ad se spectantia per Hebræos sibi vendicare, & si Abraham filium sacrificauisset, nullamque legem contrariam priori accepisset, facto reuera Deo seruitio pręstitisset, quemadmodum animo voluntateque iam tum fuerat executus; & sicuti Samson actu se confecerat, Hæbræique reipsa Aegyptios bonis spoliarant: quemadmodum etiam Moyses, Esaias, Dauid plurimos de medio sustulerunt, & Magistratus capitali supplicio improbos & sceleratos etiam num afficiunt, absq; pręiudicio vllo legis diuinę. Cõcludo ergo Samsonẽ non tam sui homicidam quam fidelẽ diuini afflatus executorem fuisse, honorem Dei suæ vitæ prætulisse, flagitiosos puniuisse, bonos autem morte sua recreauisse. PHIL. Periculosus reuera hic locus est, & vbi facillimũ labi sit, & vbi procliuius nihil esse possit, quam deijci, quam supplantari, quam in barathrum æternæ noctis deturbari: solicitum itaque & anxium in istiusmodi rebus

esse

esse oportet, nihil aggredi, nihil cō-
stituere, nedum extra Ecclypticam
euagari volumus, in extraordinariā
lineam incidamus: adhibetur ergo
ante Deus in consilium, omnes mo-
tiuæ examinabuntur, quæ ad id il-
liciant, quæ ab eo abstrahant aduer-
sis frontibus committentur: tum
si improba, si pernitiosi animi fue-
rit fascinatio, liberabitur confestim
à Deo, qui ad se confugientes non
destituit, vbi tentationes viribus
maiores esse cognoscit: sin verò sa-
cri numinis afflatu id geretur, adeò
clarè & euidenter omnia ei alluce-
bunt, nullius vt de cætero dubi-
tandi locus relinquatur. Illud
tamen ante omnia notari & ob-
seruari mihi velim, rarò admo-
dum DEVM istiusmodi agere,
nunquam factitare: siquidem in
tota scriptura sacra nulli tale
quid euenisse reperies, cum ab v-
no *a* Sampsone discesseris: de cu- a *Iud.* 16.
ius etiam diuina inspiratione & si 30.
nihil expressum habeatur, licet ta-
men & ex sacris literis, quę honori-
ficam eius faciunt mentionem,

& ve-

& verò etiam ex multorum Sanctorum Patrum scriptis, qui cum in hoc facto diligenter excusant, eam coniecturam facere, quæ non prorsus à vero videatur aliena. Alios verò omnes quos se vita priuasse accepimus, sceleratornm catalogo annumeramus, quemadmodum *a* Achithophel & plures alios, quorum vita suspecta bonis omnibus esse potest. Sicut deplorati illius *b* Rariæ, cuius authoritate amētes isti Hæresiarchæ abutebātur, qui memoria D. Augustini viuebant, impunitatemque quandam flagitijs illius inuehere conabantur, quo se ipsum occidere licitum esse euincerentur: asserentes, nullibi à sacra scriptura Rariam illum fuisse condemnatum. Verùm quemadmodum præclarè à Diuo Augustino animaduersura fuit; Scriptura recitat exhibetque facinus illius secundum opinionem facientis, qui mirificè sibi fortis tunc videbatur, cum factum nefarium aggredi non dubitaret: non autem idcirco eum prædicat atque commendat; Vnde

prx-

a 2. Reg. 17.23. 2. Mach.14. 43.

b *Aug. contra secund. Gaudēt. l.2.c.23. & Ep. 61.*

præclarè intelligere possisquam ridiculè dicti Hæretici exemplum istud in rem præsentem vi abduxe- non auocarint.

Superbia & auaritia animam ad duas res sordidissimas abijciunt, & causa sunt cur plurimi mortem sibi cõsciscant. De violentia phreneticorum: Auarus lupus ciuitatis.

COLLOQVIVM XVII.

THEOL.

ATQVE quo planius adhuc apertiusque flagitij huius extrema turpitudo & grauitas ostendatur, libet hoc loco obiter illius quoque causas delibare: quippè cum prima fronte nescio quid altũ, quid exaggeratũ, quid forti viro dignum præferre videatur, ac si omninò fieri non possit quin magni & excelsi animi is sit, qui mortis metu abiecto, vitam sibi ferro eripere & hilari manu spiritum elidere non perhorrescit. Facturus autem mihi operæ pretium videor, quod admodum multos reperire est, quorum non aliter quam Hæreticorum ante allatorum

Consuetudo nõnullorũ In Ep. Iaponica.

torum mẽs occæcata delirat: & integræ adhuc nationes inueniuntur, inter quas & Iapponij sunt; & exulceratis istis nostris temporibus magnum agmen superborum, legemq; Dei ignorantium videas (cuius nomine & titulo sectatores se vti mendaciſſimè profitentur) stolidiſſimis istis peruasionibus illusos & circũuentos grauiſſimè dolere possis. Quisquis enim fœdiſſimi huius facinoris naturã penitus inspexerit, mentior nisi extemplo diceret, rem illud esse, quam vitium concipiat, a inertia foueat, affectus excludat: dicet eam prouenire ex furore & rabie animi impatientis, quemadmodum in phreneticis apparet, qui quanto plus ineptiunt, quanto amplius furunt, tanto peruicacius mortem sibi machinari & inferre conãtur. Degebam ego Lutetiæ Parisiorũ anno à nato Christo 1572. cum nobilis quidam (si quis alius sapiens & modestus, cum mẽtis compos foret) sese per feneſtram secundæ contignationis domus suæ eiecit, & quod magis admirareris, in medici sui humerum

a *Arist. l. 9. Eth. c. 4.*

Exempla phreneticorum qui se præcipites egerunt.

merum, qui eum visitaturus fortè erat, quemque ipse occidere cogitabat, præceps actus, pauimento corpus afflixit. Annis verò non multis post alius quispiam noctu eodem morbo correptus, de secundo similiter tabulato in vicum se præcipitauit: cumque nihil aliud consectarium foret sperarive etiam posset, quam vita eos excessuros, ecce tibi diuinam prouidentiam quæ istiusmodi rebus non à deliberato prauoque animo, sed ab infirmitate profectis opem suam deesse non patitur, ita eos sanantem, vt non modo saltus ille nihil ijs obfuerit, qui ab homine sano neutiquam sine præsenti vitæ discrimine tolerari potuisset, verumetiam vt ambo breui admodum post ad meliorem mentem & communem sensum fuerunt reuocati effecerit. Libet his adiungere quod fœminæ accidit anno ferè supra millesimum quingentesimum octuagesimo quinto, in celebri Gallorum vrbe *Grenoble* nominata, vltima tunc pestilentia vehe-

vehementer afflicta. Erat illic mulier ſimili correpta phreneſi, cum repentè ex alto & ſublimi reuersa loco per feneſtram præceps deuoluitur, & vt diuina prouidentia geſtum id ſciretur, pedibus terram ſolum contingens, puerum præteruentem voce clara affatur; Vade ſis & marito meo indica, vxorem ſuam hoc die & hac hora nobiliorem rarioremque ſaltum feciſſe, quam totò retrò vitæ exactæ decurſu. Rem tibi me & ipſam veritatē narrare ſcias cum qui eam mihi retulit duobus poſt annis ſanam illam incolumemque fuerit conſpicatus. Iam verò quiſquis hæc audis, quiſquis vides aut legis, iudicare certè nō potes fortes eos & excelſi animi fuiſſe, quod per feneſtras ſemet præcipitarint, ſed potius vt mente captis cōpatiens morbo inſano correptos fuiſſe exiſtimas, non illo laude digno, aut à libero arbitrio promanāte, citra quod ne vituperiū nec cōmendationē aliquid potes mereri: ſed ſi ſanus es, ſtatuis magnitudine mali oppreſſos ci per portā foriculamque nō poſſent per

Nihil laude aut vituperat. dignum, niſi ſit voluntarium.

per feneſtram fugam vt haberent fuiſſe compulſos. Atque in his ſpiritualis amentia, hoc eſt, quæ ab animo deliberato promanat, & à volũtate expreſſa proficiſcitur, admodum ſimilis Phreneſi iſti eſt, quod eaſdem cauſas generales habet pigritiam ſcilicet ac debilitatem: in eo autem à corporis delirio quam maximè diſſidet, quod deteſtabilis, quod nefaria eſt, quia voluntate, nõ vi adacti in eam prolabũtur. Vnde præclarè admodum veſter Ariſtoteles & noſter D. Auguſtinus ait, ſeipſum vita eximere animi mollis & ignaui teſtimonium luculentiſſimũ eſſe cenſendum. Cum enim anima iſtiuſmodi afflicta adeò, malo quo premitur ferendo non ſit, & per virtutem effugium ſibi ab eo parare non poſſit, portam ſceleris nefarij arripit, rem omniũ abiectiſſimam, & qua nulla magis ad manum haberi poteſt, nimirum vitam ſuã prodigere, occupat atq; inuadit. Vt enim plena laudis, plena gloriæ, plena excelſi animi res eſt, obſtinatè & fortiter res aduerſas tolerare, æ rum-

Lib. 1. Eth. c. 7. Aug. l. de ciu. c. 22. tit. 5. S. Thom. 2. q. 64. art. 5.

nas & calamitates perferre, ita nihil sordidius, nihil abiectius, nihil vt ita dicam, triuialius est, quam cũ affligaris, cum premaris atq; vexeris, è vita te eijcere & violenter exturbare.

Rebus in aduersis facilè est contemnere mortem
Fortis is & melior qui tolerare potest.

Itaque cum in hoc rerum suarum statu versatur, de fuga, de aberratione, de secessu cogitat: spemque animumque omnem abijciens nõ vincendo sed præliãdo satis esse se posse diffidit. Porrò extrema illa debilitas communiter ab enormi & nefario aliquo flagitio oritur atq; promanat, quod dum longo tempore instar continuæ febris, animæ vim vigoremq; atterit, & depopulatur, sicque etiam ad phrenesin disponit, vt cum vel minima sarcina grauatur, confestim sub ea crepet, & per eã quæ primum se offert portam elabens dirũpatur. Nõ latebat isthæc causa vestrũ Arist. qui de huius farinæ mortalibus loquens, ait. Isti qui enorme aliquod & nefandum flagi-

Arist. li. 9. Eth. c. 4.

tium

tiũ designauerunt, vitã propter suas turpitudines oderũt, & sæpenumero vim sibi adferunt. Inter hæc ferè ordines ducũt Superbia & Auaritia, vitia planè duo potẽtissima ad rationẽ de gradu mentis deijciendã, spiritumq; in ruinam impellendũ; febresq; duę grauissimæ, quæ plus vim & aciem animæ frangunt, hebetant, atque debilitant, quam pestilentissimi cuiusque morbi calor corporis vires eneruat. Superbia inprimis igne ambitionis & cupiditate honorum fugacissimorum ab vno latere clauditur, tum impatientiã & inuidiã indiuiduos comites ab altero secũ trahit: qui adeo vehementer interiorẽ quietẽ animæ interturbant, adeò vrgent, incitant, atque inflammant, nihil vt vnquã sibi ducat antiquius quã pleno cursu ad laudem ferri, & continuo famæ venatui indulgere, non vt opimam gloriæ alicuius solidæ prædam reportet, sed muscam, sed vespam, sed fumos. Et quoniam eo loci nostra deflexit oratio, libet paucula ad superbiam iam nunc exempla congerere;

Plut.in Themistocle.

An non erat hoc muſcam capere, quando Themiſtocles digito à fœce populi Spartani admirabunda monſtratus adeò gaudio efferébatur, nihil vt eum amicis ſuis confiteri puderet, tum primum ſe fructum laborum pro Græciæ incolumitate exanthlatorum recepiſſe? Itane verò? nũquid laur⁹ illa ex muſtaceo collecta hoc capite digna erat? hæc merces, hoc præmium pro tot fortibus geſtis factisque Imperatori tanto ſufficiebat? Nequaquam, verum transformarat illum cæca iſta animi inſolentia in paſſerem muſcis tantum veſcẽtẽ. Atq; hinc demũ finẽ dignũ ambitione, dignumque ſordido hoc pectore conſecutus eſt, dum ſuiipſius ignauiæ carnifex ac tortor effectus, animam vi ſibi eliſit atque extorſit. Iam verò fulmen illud Pelaſgorum Demoſthenes annõ eadem promulſide, ijſdemque cupedijs veſcebatur, quando ſicut ei alius quiſpiam ſui ſimilis mimus ac hiſtrio olim exprobrabat, ab ancilla aquæ ſitulam portante conſpectus, & digito demonſtratus, dicentem ad co-

Cic Tuſcul.3.

mites

mites inaudiuit, *ecce hunc?* Quã itaque vastum illud os, quod cãcellos, quod tribunalia Græciæ concutiebat, quod fulminabat ac fulgurabat, locupleti illo ancillæ testimonio probè oppletum fuit? quam lepidè torrens ille eloquentiæ vna hac infusa guttula intumuit? quanto cum lætitiæ zeugmate huius rei reminiscebatur, quoties hac venatica præda & similibus potitus epulabatur? quam verò etiam sordidè, quã fœdè, quam turpiter sibi ipsi toxicũ *b* posteà propinauit? Quare vt verbo vno totam rem absoluam, aio quotquot ferè inter gentiles illustrem aliquem in Rebuspublicis locum tenuerunt, illud vnum operam dedisse, vt cursu & clamore pariter bruchos gloriolæ istiusmodi vanissimę persequerentur, quemadmodum id verissimè D. Augustinus veteribus Romanis impingit. Hábet ergo proprium hoc planè Superbia, vt animã ad res viliſſimas aucupandum venãdumque abijciat, dum videlicet vani cuiusdam honoris luce præstrictos mirificè lactat ac pascit. Nunc

b *Plut. in vita Demosthen.*

Omnis superbus impatiẽs est & inuidus.

autẽ ſicut ab vna parte ambitionẽ & dignitatũ cupiditatem ſecũ trahit, ita ab altera impatiẽtia ignominioſa & inuidia honoris alieni ſtipatur. Et quoniã omnes qui ſuperbia typho inflati ſũt grauiſſimè minimã etiam fumorũ ſuorum iacturam ferunt, tunc autẽ iracundia exæſtuant vbi vili penſi ſunt: facere omnino nõ poſſunt, vt inuidi iuxta non ſint, cũ quantũ alijs honoris accidere vidẽt, tantũ ſibi detrahi adimiq; arbitrẽtur. An ergo iam illud tibi videri nõ poteſt, facillimè omninò animã longo tẽpore ſuperbia agitatam, & inter geminos hos ignes infernales ita excruciatã, niſi Deꝰ, qua miſericordia eſt, tenere eã dignetur, nõ aliter, quã Phreneſi laborantẽ in funeſtum deſperationis barathrũ poſſe deturbari? Oſtendamus nunc Auaritiã ſecundum vitiũ eſſe, quo anima inflãmata euidentiſſimum dementiæ ſpiritualis periculũ incurrit. Ac primũ quidem ipſa experiẽtia præclarè nos docet, quã illiberales, quã anguſti animi, quam ſordidi omnes ij ſint, qui huic peccato addicti ſunt: adeò vt vermibus, vel bru-

Auaritia ſæpè mortis miſerabilis cauſa.

Omnes auari ſordidi.

chis pascere se ac nutrire possent, id veluti diuina virgula sibi obtigisse putarent: sitque non plus potestatis, minus etiam voluntatis habeãt suis bonis perfruendi, quam alienis: adeò vt dulcius ijs sit corradere, cumulare, aggregare, quam recreari corrassis, gaudere cumulatis, pasci aggregatis: prorsus luporũ similes, quos, si inter vorandum caput verterint, cibi obliuisci aiunt, propter famem, & ad alium quæsitandũ momento auolare. Ita planè Lycaones illi animæ omnia ad se rapientis, lupique illi vrbici non nemorensis, sic fame pereunt ac conficiuntur, vt eorum etiam obliuiscãtur, quæ vnguibus tenent, quæque humatis suis pedibus apprehenderunt, prout elegãter Romanæ ille fidicen lyræ id demonstrare voluisse videtur, dum ait: *Feruet auaritia miser aq; cupidine pectus?* Neq; verò hoc loco op⁹ est poeticis fictionibus sermonem nostrum variegare velle & colorare: nihil admodũ necessũ Tantalũ aliquẽ excitare, aquis infernalib⁹ ad mentũ vsq; immersum, sitiq; enectũ: & cum po-

Auarus lupus vrbicus.

Plin. li. 8. c. 22.

Horat. epist. 8. 1. Epi. 1.

ma pulcherrima atq; mitissima naso oriq́ue immineant, frui vesciq́ue illis non valentem. Satis ad propositum nostrum est, quod auaros habemus, quod sordidos, quod illiberales.

Nomine mutato narratur fabula de te.

Horat. l. 1. ser. sat. 1. Prou. Tantali opes. Auari veri Tantali aquas quas habent sitiunt, & epulas diuitiarũ quas possident expuriunt.

Ait Poeta quispiam. Nobis quoque cupidi illi, veri Tantali sunt, qui infernum, qui Orcum suum sinu circumferunt ac patiuntur: isti reuera quanto plus diuitiarum hauserunt, quanto numorum amplius ingesserunt, quanto largius aurũ sibi infuderunt, tanto maiore siti conflictantur; & quanto magis cibis & alimẽtis circumfluunt, tanto amplius famẽ crudelissima conficiũtur: hos aquæ suæ in calidissimam & ardentissimam febrim conijciunt, ad has illi instar canum siticulosorum linguas frustra protẽdunt; hos delitiæ, hos aurum, hos argentum à sede mẽtis dimouet, & in furorem agit. An enim nõ infernꝰ iste est, iacere in huius mundi lecto mollissimis plumis fulto, & vigilare, nunquam indormire

mire, nunquam somnum capere? Annon inferni speciem illud habet, cum mensæ omni ciborum genere instructæ assideas, famere, comedere non audere? Annon infernum ille incolit, qui plena pocula vini generosissimi ad manus habens, ea oculis intuens, ea contrectans, siti enecatur & bibere prohibetur? Patiuntur autem isthæc omnia auari, & longè maioribus excarnificari supplicijs digni sunt: habent hic Orcum suũ, Stygem, & Furias; habent tormenta, at eorũ vmbras tantum, quæ subter terram patientur, quæque in terra reueriti sunt & horruerunt. Porrò inter isthæc omnia vnicum hoc solatium gehennæ inueniunt, quod febris suæ pernitiosissimæ delirio fruuntur, quo se opulentos sibi ipsis esse persuadent, includendum continuo credunt, nunquam replẽdum, & minus adhuc depẽdendum. Ita miseri isti ac deplorati morbo incurabili oppressi, vnum hoc sibi antiquissimum habent, exugere, emũgere, expilare humanum genus; ad incitas quos possunt redigere,

Vnicum auarorũ solatium deliriũ.

quo egestatem, quo penuriam, qu
torméta sua tam diu augeant, donec
sepulchrum corpus cõcludat, infer-
nusque animam excipiat, vbi in om-
nem æternitatem vsuram sempite
nam bonorum per vim, rapinas,
nefas cõtractorum soluent, nunqu
exsoluent; tripudiãtibus interea hę-
redibus, & ijs illa prodigẽtibus qu
rum labore parta non sunt. Iam ve-
rò lupi isti adeò asperi, adeò sordi-
di, adeò pecuniæ cumulandę addict
sunt, quam tu illos soles, impatien-
tes cum eas perdũt existimas, quam
angusti animi in conseruando, quam
abiectos in timendo, quam inuidos
aliorum felicitatem contemplãdo
Et consequuntur tamen ad extremũ
nihil aliud perditi isti, quam vt ac-
commodatissimi & conuenientissi-
mi sui ipsorum carnifices ac torto-
res efficiantur, quemadmodum eo-
rũ peccatũ turpissimũ promeretur.

Superbiæ & Auaritiæ effecta miseranda per exempla declarata.

COLLOQVIVM XVIII.

LIBET nunc etiam quæ in præ-
sen-

sentiarum à nobis disquiruntur ac pertractantur exemplis confirmatum ire: quorum admodum primũ principemq; Achitophel faciemus, magnum illud curiæ Regiæ *Factotum*, facem & titionem omnium factionũ, dissensionũ & rebellionum infelicis, & illius incautiq; Principis Absalonis: qui cùm in consilium suũ subtile illud herculeac prudẽs, quẽadmodũ putabat, contra Dauidẽ suggestũ negligi cõspicaretur, in ciuitatem suam reuersus fuit, & nonnullis in domo sua rebus cõpositis ac constitutis (sicut Scriptura ait) infelicem collo restem inserens expirarauit. Vide mihi sodes fis causam omninò leuissimam, huic tamen, vt adeò funestè & deliberato animo, laqueo vitam sibi præcluderet bellè admodum sufficientem. Quamuis si etiam eas quæ factũ illud præcesserunt, causas inspicere velis, reperies hominem eum fuisse plenum superbia & ambitione, qui semper dominari in conuentibus, principẽ locũ occupare, gradumq; supremũ studuerit obtinere: reperies inflatum

2. Reg. 16. 23.

Cur Achitophel se occiderit.

vanitate, improbum, crudelem & fraudibus fuisse apprimè instructũ: quibus omninò vitijs illud consecutus est, vt in grauissimam spiritualis insaniæ febrim incidens, adeò ab ea exhaustus, adeò omnibus viribus animæ spoliatus fuerit, vt leuissimo hoc ignominiæ vento percussus corruerit, in laqueum se induerit, & oneri iam ferendo impar furcam suffigi maluerit, atque suspendi. Verum cur sacræ litteræ adeò diligenter illius meminerunt, quod in domo sua nescio quam ante operam sumpserit, deinde verò hoc funestæ mortis genere violentas manus contaminarit? an eæ hominem nobis prudentem sedulum ac circũspectum describere voluerunt? opinor scilicet, quippè cum confestim familiaribus istis rebus expeditis iugulum resti immiserit, stultum se reuera, & bellè delirum, si quis alius, ostendens. Quamnam ergo tuistius narrationis mentem, quem sẽsum esse arbitraris? doctura nos est videlicet scriptura sacra, mundanam sapientiã omnia circumspicere

ac di-

ac diligenter cõsiderare, omnia laudabiliter constituere, omnia bene in effectum deducere, exceptis ijs negotijs quæ reuera ponderis alicuius sunt & momenti grauioris. Ostendit eam bene cuncta disponere vbi ab anima discesseris: acuere visum vt tenebras, vt terram contemplemur, excœcare animam vt cœlum non conspicemur: demum euidẽter declarare vult, humanam sapientiã vel prudentiam carnis, animæ aut corpori laquei loco esse, & nonnũquam etiam vtrique. Quid ego nunc Catonem in hoc superbiæ theatrũ, schemate tamẽ ab Achitophel diuerso producam? qui cum popularem illam auram semper studiosissimè captaret, omnes gloriæ rumusculos diligẽtissimè venaretur, & fugacissimæ laudis istas muscas stolidissimè persequeretur, nihil planè ab eis viribus, nihil roboris, nihil succi vnquam trahebat ac mutuabatur: vnde postea in Cæsaris se manus venturum præuidens, existimationemque suam multum pristini splẽdoris perdituram coniectans, despe-

Prudẽtia humana stulta in rebus momentosis.

S. Thom. 2.2.q.55. art.1.

Cur Cato se occiderit Plu. in Cat. Vtic.

ratione impulsus, & malo se isti ferēdo satis esse posse diffidēs, vitā sibi ignauissimè extorsit, & reapse eo remedio vsus est, quod sordidi, quod illiberales, quod socordes solent adhibere; itaq; dū se prclarè fortē magnanimūq; esse arbitratur, intestina ferro lacerando, extremā amentiam exequi & furorē, si quis alius infamé furere non perhorrescit. Iam Cleopatra ne videlicet captiua in Octauiani triumphum duceretur, aspides adhibuit, & eorū morsum in se concitato reluctantem animam corpore propulit atque extrusit. Et pullulauit etiam animi illa angustia ex superbia toties iam nunc allegata, qua nihil omninò facilius animum fœmineum occupat, nihil frequentius mulierum vires natura debiles adoritur, nihil citius eas carpit, frāgit atque eneruat. Cleombrotus verò cùm dialogum Phędonis legisset, muro se præcipitem egit, vt animæ naturam ipse experiretur, eam, quā à Platone fuerat ante edoctus. Empedocles è montis iugo in abyssum desiliens, aut Deum esse aliquem te-

Plutar. in vita Antonij.

Laert. de vit. Phil. lib. 1. Hora. de ar. 2. in Iulianum. Aristo. de quo Greg. Naz. ora. 3. in Iulianum.

stifi-

stificari, aut saltem hac ira in admirandorum suorum secretorum cognitionem sese voluit penetrare. Addamus etiam nunc his illum qui in Euripum se abiecit, quod propter eius fluxum & refluxum quem intelligere non poterat, iam admodum pridem delirare incepisset. Maneat ergo vanitatem, curiositatem, libidinem sciendi, & intemperiem ingeniorum nunquam sibi discēdo satisfaciendum ita multos effœminauisse, vt iam nec animi tantum ijs sufficeret, quantum ad ignorantiam rerum quas Deus abscōditas abstrusasque esse voluit perferendam satis erat, possent retinere: & potius humilitatem addiscere vellent multis parasangis scientię insignibus & ornamentis nobiliorem. Iam verò Auaritia an non eosdem effectus produxit, quos hactenus in superbia iuimus examinatum? Quis Iudæ restem inducit, quis laqueum iniecit, quis eius corpus execrandum ac nefarium ex funesta ista arbore suspendit? nunquid insatiabilis Auaritia, quæ adeò abiectum, debilem, augu-

Humilitas longè melior scientia. Matth. 27.8. Act. 1.18.

stum-

ſtumq; animum illius effecit, vt iam nec lumina virtutum, nec ſplendorem miraculorum, nec vim verborum eius ſuſtinere poſſet, quem vendiderat, & tãto quidem viliore pretio quanto ille amplius omnes mũdi theſauros ſuperat & anteuertit, cuius vocẽ non modo ipſi audiuerãt, ſed etiam ſepulcra ipſa exceperant ac intellexerant; quemque vniuerſus mundus videbat, audiebat, olfaciebat, guſtabat, atque tangebat. Huius tamen infinitam bonitatem & poteſtatem elephantiaeus ille ne minima quidem ex parte vidit, audiuit, olfecit, guſtauit, aut etiam tetigit: præter exiguas tantùm in tenebris terræ portiunculas pro extrema curatione famis illius execrandæ, & funem pro furiali apparatu ſuæ deſperationis & mortis deteſtandę. Quantum tu Iudarum abauaritia proeminatum eſſe credis in denſiſſimis ſeculi noſtri tenebris? quantum tu eorum putas eſſe gregẽ, qui intra triginta annorum ſpatiũ, animam & corpus ſuffocauerunt, quod minus bene terram domus ſuæ

Auari Iudæ diſcipuli & imitatores.

suæ dispoſuerint, non ex voto vellera pauperum dorſis detraxerint, parum feliciter merces ſuas vendiderint, demum quod benedictionem cœli ſuper terram effuſam conſpexerint? Eſt profectò ingens eorum agmen, ingens numerus, qui in rem præſentem non incommodè venire poſſent, niſi aliquanto conſultius eſſe arbitrarer, in tenebris eos ſuis relinquere, quam in lucem protrahere atque proferre. Quamobrem concludentes dicimus, ſi omnes auari & illiberales ſordes ſuas ad ſepulchrum vſque continuant, nec Iudæ mortem corpoream oppetunt, certum omninò & indubitatum ſaltem eſſe, eos animas ſuas peccati reſte ſtrangulaturos, & morti æternæ oppigneraturos eſſe. Neque planè fortioris aut excelſioris animi arbitramur eos, qui manus ſibi violentas inferre non dubitant, quam iſtos qui mente capti per feneſtras in fugam ſe conijciunt: imò adiungimus infeliciores multò ſtolidioresque videri iſtos, qui in ſempiternam mortem & ignominiam præcipites ruunt,

Omnes auari ſe occidunt.

ruunt, miseris illis phreneticis qu
sæpenumerò ex saltu istiusmodi a
nimoso conualescunt, nec vllam cō
scientiæ suæ maculā interim aspe
gunt: dicentes deploratos illos sa
tus istos edere non propter anim
magnitudinem, sed ob abiectā quan
dam pectoris ignauiam, ex aposte
mate magni alicuius & grauitero
lentis flagitij, generatam: quod qui
aliquamdiu latuit, ita prorsus ani
mam ex edit atq; corrupit, ita om
nem illius virtutem vigoremq; de
populatum est, ita vires occidit &
debilitauit, vt iam succūbere igna
uissimæ desperationi cogantur, &
in seipsis homicidium nefarium de
signare compellantur. Quisquis nūc
ergo ab istiusmodi infami ex hac vi
ta egressa te quam maximè præser
uari cupis, illud operam vnicè da
bis, nunquam vt Dei gratia spolie
ris, peccatum in animam ius exerce
re nunquam permittas, & quemad
modum D. Augustinus ait, benè &
religiosè viuas, si sanctè, si felicite
mori concupiscas. Neque enim pos
sibile est mala cum morte defungi,

Mors sibi illata, nō fortis animi indicium, sed mollis, sed fracti, sed superbi.

Qui bene mori vult bene viuat.

qui

qui vitam ex instituto Christiani hominis traduxerit, licet à lupis deuoretur, à tyrannis trucidetur, & horrendis alijs quibuscunque vijs ad quas iudicia humana aditum muniunt, è vasto illo theatro orbis eijciatur. Illud verò inter primas curas habeat necessum est, vt humilitatem excolat, virtutem admodum ad cætera bona vtilem, præsertim verò ad tentationes profligandas, & ærumnas sufferendas mirificè accommodatam: quisquis enim humilis est, patiens quoque est, & patientiæ brauiũ datur: vnde Seruator noster inquit, in patiẽtia dominabimini, & possidebitis animas vestras. Accedit huic, quod liberalẽ eũ in eleemosynis esse oportet: nec enim fieri vllo modo potest, vt stipem fructus suus nõ consequatur, etsi denarij tãtum duo sint, imò etsi vnica tantum mica panis, q̃ si profligatus ille epulo in copia & affluentia rerũ omniũ Lazaro impertiuisset, possibile erat vt morte bonorũ defungeretur, samẽq; illã insatiabilẽ, & tormẽta quibus in ęternũ excarnificandus est effuge-

S. Aug. de doctri. Christ. c. 21. 9.

Luc. 21. 19.

fugeret. At satis isthæc sunt supe
mortis timore: nunc & saturum
esse confido, & mensam leuari pos
existimo.

Meditationem mortis vtilissimam
Philosophiam & omnifariam in
ge Naturæ, Moysica et Gratia com
mendatam.

COLLOQVIVM XIX.

PHIL. QVAM verò tu me genialit
planè cibis tuis delicatissim
paseis? adeò quanto alacri
quæ apponuntur consumo, tant
maius desiderium comedendi mih
subnascitur, & cum accessione fer
culorum mihi quoque nescio quo
modo fames crescere augeriqueve
detur; age ergo hoc etiam à te im
petrare me sine, vt seriò in vtilita
tes huius cœlestis Philosophiæ in
gressus, spisso planè & copioso ora
tionis genere mihi eas pertracte
Monstrauisti hactenus veterum Phi
losophorum parũ ad eam rem accõ
modata & sufficiẽtia consilia: expli
cuisti

cuisti, quid sit mortem timere, arma cum ea cõferre, capere illam, & occidere: disputasti de duplici mortis genere, & duabus ferè speciebus, quibus eam timere soleamus. Nunc illud vnicum supereſt, vt, quoniam adeò lautè me tractare accipereque decreuisti, reliqua quoque persequenda esse videantur, & nos ab ijs rebus probè instruendi, quas præclarè admodum iam nunc auspicatus es: age itaque & in hoc velut comico actu Medicum repræsenta & Capitaneum. Quemadmodum enim iste vbi infirmum sanandum curandumq; suscepit, illud primum agit, vt omnes ab eo humores noxios depellat, tũ verò ijs ita sublatis modos præscribat quibus boni cæterùm possint generari: ita tibi admodum faciendum est, vt postquam ea quæ falsa erant refutasti, vera nunc etiã suggeras, & quis demum in specie doctrinæ istius fructus sit demonstres. Iam sicut etiam belli Imperatores vbi arma mouenda esse constituerunt, vires & copias inimicorum accuratè explorauerunt, acies instrue-

ſtruere, munitiones & præſidia di- mo
ponere, arma militibus porrigere ea tr
aggrediuntur: ita à te ego cognoſ- liqu
cere deſidero vbi ſecurè morté præ- pro
ſtolari debeã, tũ quomodo, quibuſq; men
armis cum ea cõfligendum ſit, vt vi- Quo
ctoriã vitæ reportare poſſim vehe- dare
menter admodũ intelligere cõcupi- tur
ſco. TH. Næ tu verò inſigniter me- dieb
moria vales, qui ea omnia quę hacte qua
nus à me in mediũ allata sũt, adeò fi- taba
deliter animo inſculpſiſti? Vt itaque min
rem vniuersã paucis cõplectar, dico ſtud
meditationẽ mortis vtiliſſimã pla- fi in
nè eſſe Philoſophiã & homine dig- imm
niſſimã, eiq; omnifariã cõmẽdatã, in tibi
primo nomine, q̃ Deus ipſi impoſu- non
it, primis veſtimẽtis quæ portauit, dati
primis locis quæ inſedit poſt pecca- poſ
tũ cõmiſsũ, in primis actionib⁹ quas hæſ
tã corpore quam anima deſignauit pia
Primũ itaque nomen quo hominem cat
Adam nomen protoplaſti. Deus affecit, Adam fuit, quod idẽ eſt qua
ac ſi dicas terrenus. Quid verò cauſę qui
eſt cur diuina ſapientia ſolũ homini
eo nomine compellarit, quum reli- cor
quæ oẽs inferioris huius mũdi crea- mo
turæ, de terra eſſent efformatæ, ho- pri

moq;

moq; nō nisi corpus partē viliorē ex ea traxerit & mutuatus sit? Inter reliquas omninò causas quas alio loco prosequemur, ea est, vt videl. mortis memoriā timoremque imprimeret. Quoties proinde nominis sui recordaretur, id aūt vt quispiā obliuiscatur fieri omninò non potest, digrediebatur quoq; in illius memoriam qua è terra corpus suū factum cogitabat: cum autem corporis sui ita reminisceretur, succurrebat etiam istud, quod morti subijci posset, nisi in gratia apud eum maneret à quo immortalitate dotatus fuerat. Ecce tibi graphicè admodum in primo nomine protoplasti mortis recordationē pictam & adumbratā: quod postea vniuerso generi humano adhæsit, nec in vlla lingua aliud quippiam sonat, quam terrenum: significat autem omninò aliquid amplius quam id quod mortale nominamus, quippè cùm non solùm homo morti obnoxius sit, sed quotquot creaturæ corporis vitæque participes sunt, moriantur, & longè omninò corruptione maiore, cum corpus & anima si-

Cur solus homo inter creaturas mortales appelletur.

ma simul in Nihilum resoluantur. Monet ac docet videlicet soli e mortem esse meditandam, soli exe fructum capiendum: quemadmodi etiam solus ipse pœnam mortis luit factus videlicet mortalis ex immor tali ob culpam, cui omnia quæ sub cœlo capita sunt sua natura subia cent. Ac quemadmodum primum nomen hominis mortis imago fuit, ita consequenter loca, in quibus post lapsum vixit, vestimenta prima quibus vsus fuit, & actiones prima quas exercere incœpit. Deus ergo architectus noster Adamum post quam inobedientiæ crimine sese ob strinxisset, paradiso eiecit, & velut in aliam vrbem exulatum abire iu bens, vt terram coleret, solum ver tere præcepit: tum eundem pelle non sua sed mortua instrauit, eius videlicet loco, quo omnibus bestijs pellem viuam & naturalem impo suit, vt vbicumque demum locorum moraretur, & quascunque actiones per totum vitæ mortalis decursum institueret, nunquam mortis cogi tationem abijceret, sed in ea perpe

Genes. 3. 23. 24. Prima vestis Adami & Euæ ex pelle.

dend

denda velut in curriculo aut cata-
dromo quopiam sese exerceret. Aiũt
Iureconsulti exilium mortis quan-
dam speciem esse; quapropter Adam
in dulcissimę suæ patriæ memoriam
ingrediens, & in exilio se iam con-
stitutum agnoscens, intelligebat et-
iam se in terra mortis versari, &
quotiescunque terram fodiens ocu-
los aperuisset, sepulcrum suum in-
tuebatur, vnoque tantum pellis suæ
aspectu seu comederet, biberet, seu
dormiret, vel ambularet, copiosam
materiam in mortis meditationibus
se occupandi inueniebat. Creauerat
Deus bestias mortales, vt in terra
ceu proprio sibi loco viuerent ac
morerentur, neque vlla in re mors
eis detrimentum afferebat: homo
autem immortalis factus erat, inter
omnes Creaturas, ex corpore ani-
maque compositas, vt in terra viue-
ret & imperium obtineret: aliquan-
do verò in cœlo regnaret: sed cùm
ille priuilegia isthæc sua conserua-
re non posset, mortalitate vestitus
fuit, exercitatus in actionibus mor-
talitatis: & solus mortalis appella-

Capital. de pœn. in l. Phil. Iud. l. de Abrahamo. Last. l. 1. D. Iustini.

Simile à scorpione.

tus. Ferunt eos, qui à scorpionib
morsi sunt, applicato eorummet
leo in momento cõualescere, sic h
mo à morte ictus necesse plan
rat vt morsui pernitioso mortis m
ditationem adhiberet, quo opitul
te Deo sanitatem recuperaret, q
virtutem illam, viresq; vnguento
nimæ sauciatæ infundebat. Nu
quod ad actiones vitæ spiritualis
tinet, principem illæ locum sibi v
dicant, quæ directè diuinum cult
seruitiumque respiciebant. Iam
rõ illud etiam constat inde nasc
tis mundi exordio ad nostra vsq
tempora celiberrima, quæq; sacri
cia, Dei altari imposita velut exq
sitissimo ferculo, ita mortis mem
ria fuisse condita. Omnia.n. prin
paliora sacrificia legis naturæ,
Mosaycæ ijs animalibus constaba
quæ occidebantur *a* Abel in mu
limine id vsurpauit: Næ renascan
genere humano & detecto rursu
orbe, hoc modo immolauit; Moys
hoc ritu legem rogauit: & vniue
Hebræi ista ratione Deo inseruie
runt. Erat ergo sacrificium hoc pu

Omni tẽpore celeberrima quæq; sacrificia, cũ mortis memoria ꝓsoluta sunt.

a *Genes. 4. 3. 8. 20.*

che

cherrimum & honorificentissimum ferculum, quod quidem in mensa coram Deo statui poterat, & eius solius ori nullo adscito socio sed incommunicabile prorsus offerri. Omnia autem ita mortis commixtionem habebant, vt hominem sui finis commonefacerent, & omnibus nobis illius mortẽ præfigurarent, qui nostram erat occisurus & vitam nobis perditam collaturus. Augustum verò illud sacrificium Christianorum, veritas omnium sacrificiorum, mundo iam quasi senescente institutum, quã præclarè memoriâ mortis conditum est, & illius omninò mortis, quę vita nostra est Iesu Christi scilicet, annon in sacrosancto isto & admirabili cõuiuio locus munit' est pro recordatione mortuorũ, quo soluto mortis suæ tributo, ex eo triumphum sperant sibiq; firmiter pollicentur? ipse autem filius Dei omnis doctrinæ præteritæ recapitulatio, quoties huius transitus memoriã nobis inculcauit, quoties tã verbis quam similitudinibus grauibus & præguantibus momentum etiam

huius præparationis declarauit? exi
ſtimare itaq; omninò oportet mag
nas quaſdam vtilitates & ſingulari
prorſus commoda in mortis medi
tatione latere, ſi quidem ab ipſi
mundi æuo Deus humanis eam oc
lis tam diuerſis modis ſubiecit, mo
do per loca, modo per veſtimenta
actiones, & verba, dum ei ipſe ex
honorificentiſſimum locum in ſu
menſa aſſignauit, eamque per ſua
ſapientiam Filium dilectum volu
prædicari. Atque hæc reuera cau
eſt cur intimi quiq; Dei familiare
ſingulari quadam cum voluptat
hanc Philoſophiam exercuerint,
adeò ſtudioſè excolendam ſuſcep
rint. *a* Elias pro cingulo pelle mo
tua vtebatur, ſumpta de parte &
nica aui ſui. *b* Adam verò etiam
rarò mortis memoriam animo in
gebat, quin adeò ei familiaris
ciebatur, vnam vt illam nõ ſenſu
aliquo ſed rationali & voluntar
deſiderio identidem exoptaret,
cens: *Sufficit mihi, Domine, tolle a
mam meam, neq; enim melior ſum q
Patres mei.* Quinam verò Patres

a Elias et Ioannes vno cingulo vſi ſoriacio. 4. Reg. 1. 8.

b Geneſ. 3. 21.

c 3. Reg. 19.

ſun

sunt? Adam & alij, qui in hoc exilio laborauerunt, & in miseriarũ valle degentes, per viam mortis aliam vitam aliumque mundũ introiuerunt: & quamuis voti sui quod conceperat reus effectus non fuerit, rem tamen excellentiorem longè impetrauit, *a* & à Deo speciali priuilegio mortis communibus legibus solutus, in locum quietis nobis incognitum fuit abstractus, expectãs donec tempore legitimo aduẽiente mortis suæ victor sit, & de ea triumphũ reportet sempiternum. D. quoque Ioannes eodem spiritu afflatus cingulum materiæ similis adhibebat, neque vllus dubitãdi locus est, quin quam sæpissimè tempore austeræ suæ & horridæ solitudinis, contemplationes suas, orationes, & exercitia hac sancta seueraque theoria diluisse videatur. Quid autem de alio Ioanne dicam magno etiam illo Dei seruo & Ecclesię Antiochenæ Patriarcha, Eleemosynario cognominato: Propter eius insignẽ erga pauperes liberalitatẽ? qui cum sepulchrũ sibi suum extrui curauisset, iamque

a 4. Reg. 2. 11. Eccles. 48. 13. Malach. 4. 5. Mat. 11. 14. 17. Marc. 9. 13. Luc. 1. 17. S. Ioan. Eleemosynarius sepulchrũ suum se viuo perfici noluit.

id ferè absolutum esset, iussit repen
cœpta absistere murarios, & imper
fectum relinquere, Capellano inte
rim suo illud muneris imponens, sin
gulis vt diebus se de eo absoluend
commonefaceret, vt hac ratione e
continuò cogitaret & meditaretu
quæ tanti pōderis esse sciebat, vide
licet mortem contemplari, itaq; a
eam se accingere. & præparare v
post eam in æternum viuere mere
retur. Omnes denique sancti eo s
per omnes suas vires cōtulerunt,
in hoc sanctissimo studio exerc
rentur, & ita mortis hanc schol
frequentarunt, vt in illa lection
perfectè viuendi ad amussim disc
rent memoriaque sepirent.

---

*Primum in mortis meditatione pu
ctum vtilissimum, semper sibi ob
culos habere immotam illam sen
tiam*, Moriendum est; *idq; nos
cundum Deum viuere facit, &
sanctè defungendum parat.*

COLLOQVIVM XX.

PHIL. ROGANDVS, mihi tu nunc h
loco es, vt aut propter imb
cil

cillitatem mei ingenij, aut ardentiſ-
mũ deſiderium, quo in hac materia
ita verſari volo, nõ vt ea tingar modo, verum & imbuar, paulò manifeſtius adhuc vtilitates iſtas oſtendas, locum mõſtres, armaq; illa mihi ob oculos ponas, quibus contra mortẽ tuto tegi inſignemq; fructum, & triumphum referre de ea poſſim: nam in genere, quæ ſuper hac re dicta sũt ita mihi ſatisfaciunt, vt iam velut manibus bonum iſtud contrectare poſſim, quod ab eo exercitio promanat. THE. Omnis ergo vtilitas in eo conſiſtit, quod hac demum ratione, diuina opitulante gratia, peccata fugimus, virtutumque plantas pulcherrimarum animo inſerimus, cũ ſathana confligendi modos addiſcimus, terram contẽptui habere incipimus, carnẽ, illiusq; dona repudianus, & vno verbo, feliciſſime peregrinationem hanc noſtram claudim°, & valedictiõe perfectiſſima miſerã hanc mortalitatem finimus. Vt verò mortem etiam tutus ac ſecurus laceſſere, vt prouocare audeas, meliore ac fortiore ſcuto vti non potes

Vtilitates generales ex meditatione mortis.

quam gratia Dei: itaque si armis p
bè contra Sathanam, mundum, ca
nemque instructus fueris, iam nihi
omninò est quod mortem magnop
rè pertimescas, facileque illud de
inde consequere vt cum ea concu
ras, eam capias, de ea triumphum
gas: nunc pauciſſimis verbis ea tib
explicui, quæ scire magni tua refer
re arbitrabaris. PHILOS. Fateor
sanè, itaque amœniſſimis illis ian
nunc fructibus ad libitum meum
pascar & animum oblectabo. TH
Faciam planè, & cum potuero, v
in sinum eos tibi ingeram. Primo
taque loco potentiſſimum nobis sti
mulum mortis memoria addit, qu
tantum incitamur quantum quide
natura libera & rationalis pote
incitari, semper vt parati simus d
statione nostra decedere, corpore
migrare, mundum relinquere, quan
do ab Imperatore nostro fuerim
euocati: Homo enim quãtumuis e
iam obtusi hebetisque iudicij sit, c
in transitu tantum veri conspic
tur, vt aut felicitatem, aut condem
nationem apportet, nihil sibi habe

Meditatio mortis ad præparationem nos exstimulat.

Discessus è vita res grauissima.

re de

re debet antiquius, quam extemplò se accingere, multa enim tunc conquirere super re tota fusè discurrere velle, id verò fructus & rationis expers est. Reuera in ipsa vita humana nulla deliberatio breuior, nulla veracior, nulla euidentior ista potest reperiri, *Moriendum est*, ergo præparare te debes. Veritas antecedētis & primæ partis tribus admodum infallibilibus probationibus nititur, Verbo Dei, ratione, & experiētia.[a] Verbum Dei clarum ac perspicuum sæpenumerò clamat, *moriendum esse*, neque quicquam in totis sacris literis reperire est, Ratio etiam docet, cedendum hinc esse: ostēdit enim liquido & euidenter, rem ex contrarijs rebus compositam, ijsque interitui obnoxijs, morti necessario subiacere: Experientia monstrat emigrandum esse, quam digito tangimus, dum infinitam hominum multitudinem nobis etiam viuentibus mori videmus. Prima probatio persuadere hoc ijs potest, qui in Deū credunt, secunda ijs qui luminis naturalis ductum ac radium sequūtur,

Tria genera probationū infallibiliū, Verbū Dei. Ratio, Experiētia.

a *Moriēdum est.* *Deut. 31. 4. Ios. 23. 14. 1. Reg. 26. 10. Iob. 14. 5. Psal. 88. 49. Eccles. 3. 8. 18. 9. 5. Ioan. 1. 7. 30. 8. 20. Rom. 5. 12. 6. 23. Heb. 9.*

Quæ ex contrarijs constant interitui sunt obnoxia.

Verbum Dei credentibus sufficit. Lumen naturæ probatio Philosophiæ.

tertio omnis omninò generis mor-
talibus. Quare etsi nullum argumē-
tum, nullaque foret experientia qu
nobis moriendum esse diceret, t
quamuis nemo mortalium vita fu
ctus fuisset, sola tamen Dei author
tas, instar omniū nobis esse, suffic
req; debēt: si Dei verbo illud astruē-
te, destitueremur, ratiōes ad fidē
verissimè præstandā compellere ne
oporteret: demū si nec illa quicq
euincere, quidquā demonstrare po
set, experientiam tamē haberem
quæ toti mundo bonis ac improb
fidelibus & infidelibus, stultis & s
pientibus oculos potest aperire
Potestne igitur clarius aliquid di
ac manifestius isto, *Moriendū est*? c
tribus mūdi facibus lucidissimis
declaratū sit, vt earū quælibet sa
esse potuisse videretur, ad liquidiss
me, id quod volum', cō,pbādū: qu
rū prima intellectui oēs eas res, qu
supra naturā sunt, exhibet, & fide
certissimā generat: 2. omnia quæ
natura est supra sensus existunt, qu
maximè perspicuè cognoscēda pr
bet: 3. experiētia est, quę magistra
mod

modo ſtultorũ, ſed ſapiẽtũ etiam ſe profitetur, ſenſibuſq; ea obijcit, qnę rationi ſubiacent ac parent. Poteſt in cœlo ſol clarius lucere, quam apud nos in terra certa illa immobiliſque ſententia *Moriendum eſt?* An cœlum tonare intelligibilius, quam iſta vox *Moriendum eſt?* Chriſtianus ergo hic non videt, nó audit, vel qui hic videre hic audire non vult, an non in meridie ille cæcutire, obſtinate tonitru illud ſurdus nõ excipere exiſtimabitur? non fide ſpoliatus, ratione deſtitutus, ſenſu carens, inter Chriſtianos Paganus, inter homines beſtia iudicabitur? Audite ergo, attẽdite ergo, auſcultate ergo Filij Adę: *Moriendũ eſt?* audite ex libro Dei, à ratione, à matre Adæ veſtra experientia. Aperite oculos, aperite aures, & pro veſtra ſalute alterã partẽ deliberationis adiũgite *Præparare te debes*, n. luce meridiana clariꝰ eſt, moriẽdũ eſſe, ita cõtrouerſiam nõ habet quin ad mortẽ præpare nos debeamꝰ. Tria admodũ ſũt, propter quæ rẽ aliquã ſuſcipere & aggredi cõſueuimꝰ. i. vtilitas eſt,

xperiẽtia ſtultorum et prudentiũ magiſtra.

Stupor filiorum Adæ.

Tria ſũt propter quæ aliquid agimus

secũdum honor, tertium necessitas. Cum itaque homo bonum sibi esse persuadet diuitias acquirere, glorii comparare, & ingenio illud versare incipit, lucrandum est, huic honor necessarius est, confestim conclusionem subiungit, & ait expediendi sunt ea quæ ad finem consequendum faciunt, excogitandi sunt modi, quibus diuitias accumules, inter homines emineas, alias enim discursus sine discursu esset. Verum inter omnia, quæ deliberatũ cũ animo nostro aliquid tandem in effectum deducũt validissima omnium necessitas est. Lucellum quidem & honor militem in bella immittunt, sed cum ad extremum se adactum videt, cum aut moriendum, aut vitam defendendã aduertit, nec alia via quam fortiter pugnando effugium quæri posse intelligit, quantumuis socors & abiectus sit, constituit repentè viriliter dimicare, & in magnanimitatẽ desperationem conuertit, quemadmodum apud Poetam dicitur;

Necessitas exstimulat ad agendum.

Aen. 2. *Vna salus miseris nullam sperare salutem.*

Itaque si antehac virum se præstitit,

spe

spe gloriæ, aut prædæ stimulante, nunc certè pleniore cursu ac impetu fertur, persequente desperatione, multò quam superiores illæ hoste vehementiore. Nunquam Alexander apertius & luculentius magnũ se ostendit, quam cum in obsidione vrbis Mellensis extremum vitæ periculum adiuisset. Xerxes cum nauali prælio succubuisset, mũdũ exercitus sui perdidisset, & Themistocles põtẽ quem in angustijs Hellesponti extruxerat, rumpere ac demoliri cogitaret, Aristides prudens belli imperator, & quid rerum machinaretur animo sagaci facilẽ præuidens, contra obnitens ait: Reuera si nos immanem hanc barbaricam & ferocissimam gentem eò deducimus atq; compellimus, vt aut fortiter sibi decernendum aut sub hoste cadendum esse constituat, non ludrica vt hactenus prælia, non certamina leuia expectate, sed scitote eam necessitate in virtutem conuersa, ab ipsa desperatione & omnium rerum amittendarum certo periculo vires sumpturam, & ijs ipsis armis quibus

Plut. in Alex.

Plut. in vita Themistoclis.

hactenus vsa est fortiorem euasurã quo dedecus suo nomini, & gloriæ aspersum, sanguine rursus nostro eluat atque expurgat. Volebat nimirum Capitaneus ille indicare, nullirem æquè hominem excitare oēs neruos viresq; intendat nihil vt non tentet, quēadmodũ necessitas. Quis ergo adeò deses & ignauus erit vt ad mortẽ se nõ præparet, quã vniuerso mũdo videt imminere? Qui.n. ait necessariũ nõ posse iter mari cõficere, concludit etiã nauibus opus nõ esse at qui inquit, necessario viuẽdũ est, addit qnoq;, ergo alimenta cõquirẽda sunt: sic qui Hierosolymã vidẽdã asseuerat, affirmat etiã iter arripiendũ esse, vt in Palestinã perueniatur: & in omnibus reliquis cõclusio naturæ rei, quã volumus, sẽp quã similima est. Verũ si cuncti moriẽdũ esse sciunt, cur nõ etiã cuncti ad id parare se debere intelligunt? Si vtilitate trahimur, cœlum lucrari possumus. si honore gloria, immortalis omnib' exposita est: si nec cõmodo nec laude ducimur, at necessitati cedamus oportet, quæ leges adamantinas figit,

Conclusio est eiusdem naturæ cum antecedente.

Præparatio ad mortem multum ad salutem facit.

hæc

hæc nos excitare debet, hæc abiectũ animum in fortitudinẽ commutare. Primus ergo ac ſpecialis fructus eſt, quẽ ex meditatione iſta capimus, ꝙ neceſſitatẽ finis noſtri, oculis nobis ſubijcit atque exponit, & per rationẽ velut freno quopiam nos cogit vt ſtudiosè ad eã noſmet accingamus & præparemus. Quare ſi filijs Adami in iſthac ſchola progreſſus facere cordi ſit, hoc mihi ſedulò agant, & ſeriò cogitẽt hoc intellectus ſui oculis accuratè ſupponãt, expediti' vt paulò cęlũ verſus iter habeãt, neque adeò ſtulto amore bonorũ caducorũ conflagrẽt, qui ſpe vlla aliud eſſe nõ videbũt, q̃ mortis prædã, eſcã inferorũ ſuæ libidini, cõdidiſſimęq; auidi tari impendẽtẽ, ſicq; hac ratiõe mortẽ temporalẽ meditantes, sẽpiternam illam fugient ac euitabunt.

Bona huius mundi ſpolia mortis.

Meditationem ſuper neceſsitate mortis, non modo vt ad eam nos paremus admonere, ſed etiam vt citò paremus.

COLLOQVIVM XXI.

ILLVD verò an non quantiuis eſt, quod æterna illa & fatalis

THEO.

lis moriendi neceſſitas hominem nō modo ad ſe præparandum pro ea excipienda infligat, ſed etiam ad accuratè, ad ſtudioſè, ad quam celerrimè fieri poteſt, vaſa colligenda, impedimenta conquirenda, & quæ maximum vſum ea in ciuitate habitura ſunt, vbi ſine fine erimus permanſuri, aſportanda ſecum, & deferenda monet. Principio itaque fugacitatē & breuitatē vitæ humanæ perſtringens, eam illi ob oculos ſtatuit, quæ tametſi decies longior foret, reuera tamen ſpacium nimio quam breuiſſimum eſt, ad bene præparationem iſtam obeundam. Primum axioma

Hippo. Ipho. Medicorum eſt, *Ars lōga, vita breuis*: id eſt, vita noſtra breuis nimium eſt vel ad vnam artem medicam addiſcendam. Vnde verò breuitas iſta eſt? Circumſcribitur videlicet vita noſtra anguſtis admodum finib⁹, quod ſciētijs contrarium eſt, quæ vt principium habent, ita exitum non inueniunt. Nihil, ait Romanorū quiſpiam, longum videri debet quod finitur, quod abſoluitur: cum enim finis iſte acceſſerit, iam totum illud

Cic. de Senect.

ſpa-

ſpatium quod præceſſit, nihil efficitur, adeò vt tota vita humana vel ad innumerabiles annos propagata, nihil aliquod ſit, cuius breuitatem nos non niſi iam elapſam & abſolutam quimus aduertere. Age ſanè omnes mihi Mathuſalem annos conſidera, ætatem longiſſimam exactam perpende, intuere etiam vitam illius animalculi, quod idem dies & naſci videt & mori, mentior niſi tu vnam eandemque æſtimationem habere oportere dices, & ſi ſpatium alterũ breue, longum alterum fortè videatur. Adamum perfectæ ætatis creatum à Deo fuiſſe accepimus, adeò vt in naſcentis mundi exordio, quo homines ad longiores multò annos vitam prorogabant, quinquagenarij inſtar eſſe potuerit. Verùm quemadmodum is antequam à potenti Dei digito crearetur, vixiſſe dici nõ poteſt, ita nec tunc cũ dies euoluti, annique elapſi eſſent; prorſus vt cum quinquageſimum cõpleuiſſet, quinquaginta ſe habere, dicere ei non licuerit. Iam ij etiam qui poſt eum, ad eandem ſenectam pertigerunt, nunquid

Animal quatuor alarũ & pedum; terreſtre ſimul & auis mane naſcitur, in meridie creſcit, circa veſperam moritur. Græcè dicitur Ephemeris. Ariſt. c. 2. de Hiſ. animal. c. 5. & l. 5. c. 19.

quid plus annorũ habuerũt quã eorum auus de ſuo nihil? Ipſe aũt ea iã in extremo vitæ ſuæ velut fabulæ actu verſaretur iãq; 930. annũ exegiſſet, cum in retroacta tẽpora, velut in proſcenium inſpexiſſet, an inquam videre ac reminiſci alteri⁹ poterãt, quam dolorum, quã morborum, quã ægretudinum, quibus in hoc mundi theatro corpus afflictum ſenſerat? Mihi certè cũ octuagenarios & deuexæ ætatis nonnullos, quidnam de præterito tempore ipſis videretur, ſciſcitarer, nihil omninò reſpõſum fuit, præterquam quod illius non aliter, quam per ſonnum ac nebulam recordarentur. Porrò fingamus nũc à Deo perduci aliquem, qui Adami inſtar octuageſimum agat: hic reuera plus ętatis non habebit illo, qui ipſos octuaginta vixit: ambo verè nihil planè præteritorũ habituri ſunt, cum alter non fuerit, alter autẽ etſi fuerit, nihil tamen temporis retinere potuerit, cum id admodum fumi inſtar euaneſcẽtis abierit & inſtar nihili effluxerit: niſi quod hic qui alter deſtituitur memoriam aliquã ela-

elapsorum habiturus est, quæ vt ei exciderit fieri non potest. Quare cũ nonnulli veterum *a* Philosophorũ temporis naturam inspicerent, eiusque partes examinarent, eo euaserũt, nihil vt id planè esse dicerẽt, & imaginatione tantum videri aliquid arbitrarentur, cumque ex tribus inter se commissis & agmentatis mẽbris componatur, quæ nihil omninò sunt, præterito scilicet, præsenti & futuro, adducti sunt vt phantasma tantũ illud esse crederent, ex tribus vmbris efformatũ: quod. n. præteritum est, id non amplius est, quæ autem adhuc futura sunt, iam non sunt, præsentia quoque ita sunt, vt esse nõ putes, cum celerrimo cursu è manibus elabãtur & verocissima fuga dilabãtur. Ob hęc planè illi persuadere sibi nõ potuerũt, tẽpus aliquid vt esse existimarẽt, cũ ex tribus partilis in aere pẽdẽtibus constituatur, aut veri⁹ in memoria, & spe hominũ depictis coagmẽtetur. Præterita nãque in memoria inhęrẽt & remanẽt, futura spe tenemus, præsentia fluxu repẽtino deuoluuntur, & cum oculis

a *Arist. 4. Phys. c. 10. & 4. S. Thom. opus. 44. Auer. in 4. Phys. com. 131. Iand. ib. quæs. 27. Patres temporis nihil ferè sunt. Patres temporis atomi imo nihil.*

lis cerni videriq́ue putantur, absunt illa & euanuerunt: sicq́ue totū quod ex ijs constructur, in cogitatione consistere, & tempus dormientibus omninò nihil videri, possumus opinari. Author est Nicephorus Calixtus libro 14. c. 45. hist. Ecclesiastic. septem fratres sub persecutione Decij in cauernam subterraneam se retrusisse, & vsq; ad Imperium Theodosij Imperatoris in eadem tercentum admodum & septuaginta duos annos dormiendo exegisse, qui tamē totum hoc spatium vnicam fuisse noctem arbitrabantur, quod illud videlicet operam non dederant, vt clam ipsis elapsi temporis particulas ceu titiuilitia recolligerent, & solidos vltra ter centum septuaginta duos annos contexerent: quos nisi alij numerauissent, quiq́ue vixerant docuissent, iam reuera consectarium aliud non erat, quam totum illud tam vastum, tamq́ue immensum spatium nihil fore futurum. Aduertit hæc etiam ipse Aristoteles, dū probare nititur tempus animæ opus esse longè tenuiori filo appensum, quam

Nicephorus.

Arist. 4. Phy. c. 20. 14.

quam illud erat cui Sica affixa Damoclis ceruici imminebat. Nam lõgissimum tempus ait dormienti nihil videtur, quia ad id numerandum animum & ingenium non appellit atque intendit. Plato quoque ab hac opinione feciſſe videtur, cùm ait, tempus ab intellectu humano concipi, & ab apprehenſione rationali generari: adeò prorſus, vt abſq; Syntheſi intellectus iſtius foret, quo omnia membra & particulæ referũtur, nihil aliud videretur eſſe appellandum. Verùm faciamus id aliquid amplius eſſe, hoc tamen opinor manebit, naturam illius paruam admodum, exiguam, & ſomnio quam ſimillimam eſſe iudicandam: noſtræque etiam vitæ longitudinem ex his filis contextam, in hoc cõſiſtere, & illius alis fulciri: Quod ſi omninò tẽpus vniuerſum nihil eſt, quid tandem vitæ noſtræ tenorem futurum exiſtimas, qui aliud nihil eſt quam temporis huius putidũ aliquod ſegmẽtum? atque ſi illorum vita etiam, qui ætatem quã longiſſimam duxerunt, nihil iſtius præcidaneũ quoddam

Cicer. 5. Tuſcul.

Pluta. de Platone Philoſ.

Vita humana sõnium de vmbra.

Pindarus in Pythijs hym. 8.

dam est, quid de nostris dicendum erit, quæ cum ad annum octuagesimum excreuerunt, iam flaccent, languét, atque expirant, cumque ad centesimum fortè peruenerunt, viatico quo vlterius progrediantur, destituuntur? eæ autem quàti æstimabùtur, quæ quinquagesimum quadragesimum, trigesimum aut annos etiã pauciores vix ac ne vix quidem attingunt? An non vita hominum plerorumque saltem somnium de vmbra erit, sicut eleganter admodum & subtiliter Pindarus eam appellat? Ac vide mihi nunc sis quam omnes Sancti, qui saluti suæ non indormiebant, sed pro ea, vt qui diligentissimi, excubabant, præclarè admonum hanc breuitatem & volubilitatem temporis intellexerunt, nec vllo modo faciendum sibi putauerũt eam vt nobis non præscriberent aut indicarent. Dauid & Iob nomina reuera doctissima sanctissima, & in his super morte considerationibus *b* exercitatissima, cursum vitæ nostræ fumo, *a* vmbræ euanescenti, ac *c* guttæ aquæ comparauerunt: at nota mihi hoc

S. *Studiosi breuitatem vitæ meditati sunt.*

Vita humana vmbra.

a *Iob. 8. 14. 2. Par. 29. 15. Psal. 101, 12. 180. 23. 143. 4.*

b *Ps. 101. 4.*

c *Iac. 4. 14.*

hi hoc loco loquendi genus, quo Dauid vtitur, nam cum quasi parum se dicturum arbitraretur si solum vmbra dixisset, addenduum esse putauit, quæ transit, quo videlicet, constaret vitam rem esse longè quam vmbra vaniorem. *d* Sapiens etiam idcircò vitam nostram vmbræ transitum nominauit. *e* Diuus Iacobus vaporem ad modicum parentem, quod minus est, quam vel fumus, vel aquæ guttula, nuncupauit. Denique quidquid eruditorum hominum, & legis Dei peritorum ac funebri gymnasio addictorum nunquam humana ætas admirata est, hoc loquandi filo vsos fuisse compertum est. Faciendum itaque eis erit, & omninò faciendum, vt qui in propriam perniciem faciles esse nori nolunt, qui salutis suæ rationem habere, non modo necessitatem mortis, mentis, oculis & obtutu defixo intueantur, sed breuitatem temporis etiam quo ad eam parare nos debemus diligenter admodum perpendant, ac cum

d *Sap.* 2. 5.

e *Iac.* 4. 14.

Regio

Ps. 101.12 Regio Propheta dicant: *Dies mei*
Ps.108.23 *ut vmbra declinauerunt. Sicut vmb*
cum declinat ablatus sum. Cum
Iob. 14. patientię illa Idea Iob: *Homo nat*
15.5. *de muliere breui viuit tempore.* Et
tium Doctore Paulo ac sexcentis
lijs Sanctis. *Tempus breue est.* Tu
quemadmodum ij absque vlteri
deliberatrone dicant, accingam
ergo, colligamus vasa, absit torp
Isa.55. absit oscitantia, quærendus est De
Ad Gal. dum adhuc inueniri potest: bene
6.10. laudabiliter viuamus, dum per te
pus licet: arripienda occasio est,
se offert: ire oportet, in viã se di
Ioan. 12. dum lucet, ne fortassis mortis te
35. bris inuoluti, in præcipitium ad
ctemur, vbi pedes & manus ligat
Mat.22. benefacere & mereri vellent; ha
13. que ita sancta & sapienti consult
Eccles.9. tione præmissa manum operi adm
10. ueant, & confestim ad iter facien
se parent.

Vitam humanam mortem semper
mitari, nec veram vitam esse, &
tribus circumstantijs maxima
leritatis.

Co

COLLOQVIVM XXII.

POSTQVAM ita nunc sapiens mihi quispiam, & in peregrinationis suæ negotijs exequēdis minimè deses, temporis breuitatem fuerit contemplatus, curabit etiam vt illius velocitatem accuratè perpendat, qua vniuersa hominū vita ad mortem vsque deuoluitur, eamque vt occasionem apprimè accommodatam habens allaborabit, vt quam maturrimè in optimo statu reperiatur; cum omninò ista velocitas adeò magna & extrema sit, vt vix comprehendi possit, aut verò etiam declarari. Nūc illud te opinor latere non potest, tribus admodū circūstantijs celeritatem rei cuiuspiam circumscribi: prima est vt maturè eam aggrediamur & accedamus: tū ita inchoatam pertinacissimè prosequamur: ac denique quantam fieri potest celeritatē adhibeamus. Cum homo quispiam Lugduno Parisios contendens quam maturrimè iter ingreditur, videlicet sub exortum auroræ, aut nocte concubia, in ipsa verò etiam via nihil tanti esse existimat,

THEOL.

Breuitas temporis maxima, celeritas maior.

Tria vt summam celeritatem adhiberi dicamus necessaria.

mat, vt propter id moram sibi adferri aliquam patiatur, sed cursorio gradu ac veluti vno spiritu iter hauriat, reuera tantum diligentiæ, tantum celeritatis adhibuisse putandus est, quantum ab homine potest præstari. Hunc verò quisquis cursum cum itinere vitæ nostræ ad mortem compositurus es, agnosces reuera euidentius tres istas circumstantias in isto reperiri. Inprimis enim homo nihil maturius, nihil citius properat, quã iter illud quod ad mortem perducit: simulac enim natus est, imò in ipso matris vtero mori incipit, quemadmodum id accurate vidit ille qui ait:

Homo nihil tẽpestiuius incipit q̃ mori.

Nascẽdo morimur, letũ incunabula nostri
Occupat, & vitã quæ dedit hora demit.

Interpres

Et quemadmodũ Sol eodem instãti quo supra Horizontem attollitur ad Occidentem vergere incipit, & cubile suum accedere, sicutq; etiam candela cum lucem spargendi, momento quoque decrescendi initium facit: ita homini accidere præter alios Manilius lib. 4. Astronomicon aduertit: confestim enim cùm terram ingressus est, viam arripuit ad

eam reuertendi, & ex sepulcro animato ad sepulchrũ exanime decurrit, cumque eam vitam ordiri putas, iam principium fecit moriendi: meritò ergo maturrimè in viam istam, quisquis sapis, te dabis. Iam quandoquidẽ cursum hũc primo capiti seu circumstantiæ, quam maximè ostendimus conuenire, secundam accedamus, quæ est quod absque mora vlla cõtinuetur: & quẽadmodum ex materni vteri velut quodam proscenio in vniuersitatis huius theatrũ, vita non absq; morte ingreditur, ita eam illa toto reliquo decursu sequitur, ac nunquam non comitatur. Quod cũ omnes in retro repetita memoria Sancti, imò veri Philosophi cõsiderarent, non immeritò in mentem ijs venit dubitare, vtrum tempus illud quod in hoc mundi labyrintho trãsigimus, vitam mortalem an mortem vitalem appellarent. Ex horum admodũ numero sunt Dauid & Iob cũ 600. alijs Dei seruis, qui cum ad sanctissimũ vitæ institutũ nati fuerint, tamen veriti sunt eam alio quã vmbræ nomine afficere, quasi nimirũ ea

Homo nõ nisi sepultus mori cessat.

Vita humana vmbra vitæ, & mors corporea vmbra mortis.

iam non vera vita foret, sed chaos quoddam aut mixtura ex morte ac vita, sicut è contra mortem hãc corpoream, vmbram mortis nuncupauerunt, cùm eam non mortem, sed mortem cum vita confusam, aut similitudinem seu figurã mortis vocitandam arbitrarentur. Vnde D. Augustinus quodam in loco ambigit, *vitamne mortalem an mortem vitalem appellet.* Et alibi ait: *Ex quo quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, si tamen vita dicenda est, vt veniatur in mortem. Nemo quippe est qui non ei post annum sit quam ante annum fuit, & cras quam hodie, & hodie quam heri, & paulo post quam nunc, & nunc quam paulo ante propinquior: Quoniam quidquid temporis viuitur, de spatio viuendi detrahitur, & quotidie fit minus minus quod restat: vt omninò nihil sit aliud tempus vitæ huius, quã cursus ad mortem. In quo nemo vel paululum stare vel aliquando tardius ire permittitur. Sed omnes vrgẽtur pari motu, nec di-*

Lib. 13. de ciu. c. 10.

uers

uerso impelluntur accessu, neq; enim cui vita breuior fuit, celerius diem duxit, quam ille cui longior. Sed cum æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud est autem amplius vitæ peregisse, aliud tardius ambulasse. Quibus omninò verbis liquidò ostenditur, quam celeri ac pleno cursu, quamq; sine intermissione ad sepulchrum festinemus, & vt omnes Comœdiæ nostræ partes & actus mors comitetur, eam vt corpus vmbra prosequatur, ac quemadmodum iam vita nostra non propriè vita, sed mortis dimidium nuncupãda esse videatur. Idem planè Thales Milesius indicare voluit, cum nullã admodum inter mortem vitamque differentiam assignari posse docuit, & à nonnemine cur ergo non moreretur interrogatus: idcirco respondit; quia nihil vita à morte differret, & ipse etiam viuendo moreretur. Alijs magis placuit finem eum quem nos vitæ appellamus, mortis finem contra nuncupare, & homi-

Vitam mors comitatur, sicut vmbra corpus.

Diog. Laert. l. 1.

nem tunc mori desistere arbitrari, cùm in sepulchro decumberet, non autem inter mortales obiret. Cicero verò etiam Scipionem loquentem introducit, ea, quam vos appellatis vita, talis reuera non est, sed mors potius videtur esse nominanda. Apud Platonem quoque Socrates, ambigere se fatetur, nec omninò dispicere satis posse, vtrum vita hæc potius vita, quam mors videatur esse nuncupanda; & ante istum Euripedes, ac omnes planè Sapientum antiquorum scholæ nunquam aliam ab hac sententiam propugnasse leguntur. Paret nunc opinor itaque vitam hanc non puram, non sinceram, non meracam vitam debere appellari, sed mixtam, sed conflatam, sed coalitam ex morte ac vita, cum ea omninò vesci non possimus, nisi moriendo, & quam diu ea fruimur ad mortem velut carceres in hoc vniuersitatis stadio à DEO designatos contendamus, nunquamque, vel leuissima remora in pleno illo ad hanc impetu supplantari nos patia-

In somn. Scip.

Plato in Gorgia.

Vita humana mortis cõmixtio

patiamur ac retineri. Quicquid aliarum rerum est suas quasdam parentheses habet, prælia induciæ excipiunt, Musica in pausis respirat, labor etiam nonnunquam conquiescit: nos quoque semper nec comedimus, nec continuò bibimus, nec indesinenter dormimus: ambulamus certè, at etiam postea fessi considemus, agimus multa, at non nisi subinde recreati, multa machinamur, at iuxta animum vt arcum intensum laxamus: quæ omnia etsi fines quidam sunt, parenthesin tamen non admittunt, inducias nesciunt, pausas reijciunt, quietem auersantur: adeò comedentes, bibentes, dormientes, respirantes, quolibet loco, omni tempore, nulla non ratione, quotquot cæli hæc conuexa intuemur, curribus ac velis ad mortem rapimur & properamus. Thales in conuiuio septem Sapientum, Regem Agyptiorum Amasin reprehendens, Symbolum hoc velut deposuit cùm ait, nihil inter mortales communius haberi quam

Oēs humanæ actiōes præter mortem pausas admittunt.

Spes hominibus res cōmunissima. Plutar. in Symp.

quam ſpem, quod nimirum eaillis etiam pignoris loco data ſit, quibus rerum omni penuria vitam miſerabilem ducere cogantur. Ipſe verò Rex Amaſis nihil admodũ hac correctione commoueri ſe patiens, nullius & vero haud aliquantò ſimilium Regi Aethiopiæ reſpondit, cùm eidem rem quid videlicet mors eſſet ab eo doceri voluiſſet. Mori enim omni in loco ac tempore, ea omnibus conſtat quæ vitæ mortalis expertia non ſunt, tam beſtias quam plantas; ſperare autem ſoli homines poſſũt, quibus vnicè in futurum cogitationes referre, & quæ aduentura ſunt ſibi promittere applaudentibus licet: etſi & nec hominibus quibuslibet id conuenire videatur, cùm neque infantes, neque qui dormiunt, ſperare quippiam poſſint, facilè verò delirare: vero autem verius illud eſt, omnes homines occidere, quolibet tempore mori, quolibet in loco expirare; atque quo vniuerſi præſtare id poſſint, quilibet ſibi in hoc opificio feliciſſimus magiſter eſt, ad hoc abſque tyrocinijs, abſque rudimen-

mentis, absque catechesi peruenitur: imò aliud agendo, & quantumlibet multa sapienter ac seriò volutantes, ad hanc metam labimur atq; deuoluimur. Et hæc reuera etiam causa est, cur admodum ea tantum laboris sui fructum reportet. Nunc quia præclarè omninò duas priores celeritatis circumstantias iam cõsiderauimus, ac quam maturè & sine intermissione mori incipiamus: ad reliqua sanè licet nos expediamus.

Homines celerrimo cursu ad mortem feruntur: deq; temporis velocitate.

COLLOQVIVM XXIII.

AGE ergo, quia duas istas circumstantias quę minus principales, sed accessoriæ quasi sunt probè te perspexisse ais, tertiã illam propriè omninò rem aliquam vrgentem & accelerantem, quæ est præproperè iter suũ prosequi, accedamus. Atque, quo liquidius intelligas quonam passu ad mortẽ iter habeamus, intuebimur paulò attẽtius THEOL.

currum quo illuc deuehimur, cuius rotas quanto celerius volui conspiciemus, tanto euidentius etiam velocitatem noſtri curſus cognoſcemus. Primum itaque currus illi temporis fluxus eſt, auriga Tempus. Curſores qui ab illo ſunt, ipſa temporis celeritas & paſſus multò quam velociſſimus: quorum omnium magiſter Tempus, omnia fluxa ac cadu-ca in occaſum propellit, quidquid hoſpitum, quidquid peregrinorum eſt, ex humili & intricato huius vniuerſitatis labyrintho ad ſecuriſſimam ſtationem & quietem multò quam gratiſſimam deducit. Hic immanis ille meſſor eſt qui omnia demetit, qui omnia conuectat: hic ſenex ille & effœtus Saturnus quiomnia deuorat, & nec ſuis liberis comeſtis famem explere poteſt atque ſedare: quicquid enim naturenixa eſt, quidquid ab hac naſcitur, confeſtim ille abſumit, neque vnquam inueteratum hunc dilapidandi, abliguriendi, & ingurgitandi morem abrogari ſibi patitur aut abolori. Hic ille eſt cui antiquitas alas qua-

Cic. 2. de nat. deor.

Cyrill. de idijs gent.

quatuor appingebat, quatuor oculos affingebat: duasque alarum ad volatum explicatas & panſas eſſe aiebat, quæ nunquam volando finẽ imponeret; reliquas deiectas demiſſasque comminiſcebatur, quod ab eo curſum impetumque rerum caducarum inhiberi arbitrabatur. Iam verò & inter oculos differentiã aſſignabat, quos partim clauſos, partim apertos eſſe mentiebatur; vt iſti vitę indiciũ eſſent, cui porta ab illo obſtruatur: iſti verò nunquã cęcum id eſſe declararent, tot quotidie virorum fortiũ ſtrages edendo, & funera hominũ aceruis numerãdo. Et quoniam ex cæli rotatu ac commotione temporum varietates inueximus, & ex reuolutionibus orbium illius ſęcula, annos, menſes, dies, horas, ver, hyemes, æſtates, autumnos, omniaq; cætera temporum ſpatia metimur, libet hoc loco eorundẽ celeritatẽ ex illis colligere & coniectare. Primũ ergo cũ Cælum ex Oriente in Occidentẽ deuolutum, integrũ diem cõſtituit, nos diẽ naturalẽ numeramꝰ: cum luna duodecim Zodiaci domi-

Cæli motus ſeminariũ & origo tẽporis. Ariſto. 4. Phyſ.

Calũ incredibili celeritate voluitur.

cilijs peragratis cursum suum absoluit, nos mensem eum solemus interpretari: cùm Sol accedens nobis modò vicinus, modò à nobis recedens eundem Zodiacũ emensus fuerit, nos annum fluxisse dicimus, & & centum istiusmodi excursibus annos ipsos centum assignamus. Firmamenti autem cursus, quod pluribus veteribus adeoque ipsi etiam Aristoteli primum cælorum placuit nominare, talem nobis doctissimi quiq; Mathematici cursum esse persuadent, vt illius stellarum aliqua quæ omnes mediam eius regionem supra Aequatorem occupant, secundum diurnum motum ex Oriente in Occidentem qualibet hora 2119218. leucas, & 18. 24. conficiant: sicque ratione subducta quolibet horę quadrante, 5299804. leucas: medio quadrante 2649902. minuto 353320. l. 6. & 18. 60. l. Si istiusmodi auis reperiretur aliqua, quæ spatio salutationi Angelicæ sufficiente transeundo Insulas Fortunatas & Malucanas, septies vniuersum terræ orbem volatu suo ambire posset, qui maximus

De firmamento.

illius

illius est, neutiquam tamen stellam aliquam cælo suo giratam cursu æquaret, non dico superaret; & si eadē omninò auis vnica hora terram octies millies, centies octuagesies quater circumiret, fieri tamen omninò non posset, vt viam quam fidus istiusmodi absoluit, ipsa quoque emetiretur: & addo, plus illud itineris vna hora conficere, quam homini nouies mille centum & quadraginta annis exhaurire per vires liceret, etsi quotidie viginti leucas decurreret. Et quoniam tu istarum rerum demonstrationes non ignoras, licebit mihi eas hoc loco cum bona tua venia præterire: ipsa autē celeritas temporis, sicut te fugere iam non debet, tanta est, vt vix à ratione penetrari, vixque à cogitationibus & animo vastum illud spatiū queat peragrari. Ad me enim quod attinet, apertè rem tibi dicam, perdo me in hoc exercitio ac frustra sū, nec imaginatio mea vllo modo satis est, totum vt terrarum globum septies possit circūire, & immane hoc spatium ita exhaurire, nunquam vt

Ratio vix potest assequi celeritatem motus cælestis.

existat, nũquam vt in Insula aliqua consideat, aut in marium angustijs aliquando quiescat atque respiret. Neque verò hoc loco ita quæ à me dicuntur, à te accipi velim, vt ea quę viuis demonstrationibus sapientissimi quiq; veterum æuo de hac celeritate computarunt, vana esse existimes, quod propter tarditatem ingeniorum nostrorum minus ea à nobis possunt comprehendi: imò istud potius te scire velim, quod quanto maiorem admirationem ea habẽt, tanto iustius eum nos laudare extollereque debeamus, qui corpori tantã celeritatem & volubilem motum contulit, vt iam non modò animam æquare, sed superare etiam posse videatur. Quid enim de Sole dicam? quem nostri oculi sicut stellas etiam pigerrimo & tardissimo lapsu volui arbitrantur, cum nihilominus quolibet medio quadrante horæ, 611254. leucas; & quolibet minuto 9500. & 30.60. singulis horis 570039. & 1.24. singulis diebus 13680937. l. lucidissimum hoc astrum singulari Dei cõsilio emetiatur, qui dies faciat

Celeritas motus cælestis superat ferè motũ animæ.

atque

atque distinguat. Nunc ergo his ita examinatis, facilè omninò in cognitionē istius velocitatis ingredi nos posse vides, perspecta quidem longitudine itineris, si vastum illud atque immane volumen cæli, eiusque capacitatem probè comprehenderemus: quod reuera licet, comparatione terræ ac stellarum cum cælis instituta. Terra ergo cum cælo collata instar pisi cum vastissimo monte compositi est, & imo haud aliquanto minus, cum centrum ac punctum orbis sit, nec plus proportionis aut quantitatis ad cęlestia corpora habeat, quam centrum ad suā circumferentiam. Tu qui istius rei Astronomorum placita ac demōstrationes nosti, quam vastum cælum esse debere suspicaris, cùm terra quam nobis oculi adeò immanē & spaciosā esse persuadēt, instar puncti, pisi, ac etiā nihil sit cum cælo cōparata? Quid? an non minima quā nos videmus Firmamenti stella multis partibus, Sol aūt centies sexagies sexies terrā magnitudine vincit? quē tamē nos sicut & astra minutissimas cæli por-

Vastitas cæli ferè incōprehensibilis

Terra punctum respectu cæli.

portiones esse suspicamur? Non ergo vastissimus, non amplissimus, nó admirabilis iste locus omnibus videatur? non solus deniq; dignus qui Dei regnum ac sedes sit? ô præclarú admodũ responsum vindicis ac Seruatoris nostri IESV CHRISTI, quando ad Pilatum ait; *Regnum meum non est de hoc mundo.* reuera enim terræ angustiæ non patiebantur, tantam vt ea magnitudinem caperet ac maiestatem! meritò itaque terra, imò nó integra sed præsegmina eius tantum ac particulæ hominibus habitandæ assignatæ sunt, Deus autem Rex Regum cælum incoluit, sibique vendicauit. Ex hac quemadmodum dixi cæli vastitate celeritatem cursus ipsius colligimus: nam cùm iter illud tam longum, tamque immensum sit, reuera relinquitur suprà quàm dici potest enormem agilitatem esse oportere, quæ adeò breui tempore illud exhaurit atque emetitur. Quænã verò vastitas illa est? nosti tu credo quam valdè Astronomis placeat, vt peripheriam firmamenti supra Aequatorem quingentos & octo milli-

Ioan.18.

Ps. 113.25

ones

ones, septingenta octuaginta & mille & ducentas, & triginta duas leucas continere putent: quod iter quolibet die naturali quælibet stella absoluit: iam tu ipse coniecturam fac, quam omninò cursorio motu cælum circumgyrari necessum sit. Nunc etsi terra minima sit, præsertim cum cælo comparata, comprehendit ea tamen ambitu suo, vndecies mille leucas: adeò vt si auis aliqua viginti quatuor horarum spatio eam peruolitare posset, qualibet hora 458. leucas & ternarium conficeret, & si eadē eodē temporis interuallo Solis orbitā posset circumire, cuius circumferētia sexagies sexies terra maior est, qualibet hora conficeret septuagies sexies mille ducētas & quatuor leucas: huiꝰ auis totū terrarum orbem vno die circumuolantis celeritas multis parasangis omnia corpora quæ ab arte sunt superaret, vt globum tormenti bellici & bombardas: quippè quæ singulis minutis septem leucas emetiretur, quod plumbū excussum aut ferrum igne eiectum præstare non potest: sicque

Ambitus terræ habet 11000. leucas.

ficque etiam eiusdem auis istius celeritas corpus solis circumquaque obeuntis primā volubilitatem sexagies sexies vinceret: & qua nos celeritate stellas allas ferri arbitremur quæ firmamento infixæ, non modo terræ, sed omnium etiam astrorum magnitudinem anteuertūt. Ac ecce tibi hoc loco aliud Dei miraculum quo tres admodum res obstupescendas procreauit, vt videlicet non cœlestes illas circumuolutiones & gyrationes facilius intelligeremus. Primum enim catadromum immensæ & incredibilis planè longitudinis ac latitudinis efformauit: secundò illum maxima altitudine ceu theatrum excellentissimum eleuauit: tertiò facibus ac tædis condecorauit, quò tam noctu quàm interdiu conspicere illum valeremus: quartò infinito spatio à nobis eum separauit, & propter hanc distinctionem incomprehensibilem eius celeritatem effecit: quæ oculis nostris quam familiarissima, illud consequitur vt tardiuscula esse videatur, facitque vt id contemplando

in

in cognitionem eius etiam nos penetremus; quod omninò oculi nostri præstare non potuissent, si cæli viciniores fuissent, quemadmodum neque solem recto obtutu aut propiores intuentur, sed incredibilem illius splendorem ac lucem in corpus transuersum impactum aut effusum, ac deinde reuerberatum cõtemplantur. Et possumus planè propter has rationes verè dicere quod cæli testimonium de Dei gloria ferant, eumque sedulò ac frequenter laudare, qui adeò admiranda producit atque designat, & nihilominus nobis abiectissimis hominibus similis effici non auersatur. O fugam temporis celerrimã, non modo cursum primi mobilis, sed ipsius etiam animæ nostræ superantem! ô currũ perniciissimum, qui vno lapsu, vno volatu, & absque vlla intermissione feliciissimè ad finẽ nostrũ nos vehit, & omnia incitatione sua anteuertit! Age nunc ergo hanc probationis cõclusionem assumamus atq; dicamus, si omninò tẽpus quod breuissimũ illum vitæ nostræ tenorẽ ad mortẽ rapit, adeò pleno cursu fertur, ecqs vel

minutum horæ dilaturus est, vt
præparet, accingat atque expedi
quis non magnoperè timeat ne
extrema hac volubilitate, & mir
bili temporis intercipiatur veloc
Psal. 18. tate? Quis non admodum vereat
ne curru illo quo vehitur excide
& in terram inconsideratè deuol
tus, crura & collum luxet atq; co
fringat? quis iam pœnitentiam & vi
tæ correctionem in crastinum pro
rogabit non aliter ac si centum a
nis se victurum certò sibi constare
& diplomata haberet, quibus mill
anni ipsi indulgeantur? an verò ip
tium istud aliud quã nihil esse qui
piã arbitrari potest, qui adeò cele
ri cursu id volui & pernicissimo
motu vniuersa secũ rapere nõ igno
rabit & quomodo is dies & mẽses s
bi promissur⁹ est, qui de vno minuto
gratulari sibi nõ potest? quomodo
listã fragilibus niti, quomodo in ha
aui, tẽpore dico, spem firmã defigere
quæ ipsa leuitas, ipsaq; incertitudo
est? Satis hæc iã nunc copiosè ad pri
mam vtilitatem, quę ex mortis me
ditatione promanat, à nobis opinor

con

congesta sunt, planeq; illud me cõsecutum spero, vt quæ ad eam rem facere videbantur, perspicuè affatim declararim. PHIL. Quantum tu verò hominum fuisse putas, qui ista quemadmodum tu præclarè me doces, attentè considerarint? THEOL. Fateor reuera admodum paucos extitisse ea qui perpenderent: paciores etiam qui intelligerent, aut fructuosè pertractarẽt. PHIL. At istud vnde tu proficisci arbitraris, cum res perspicua prorsus sit & vero etiam momentosa? THEOL. Verum loqueris, nihil euidentius, nihil maioris ponderis in isto quidem genere potest reperiri. PHILOS. Verùm quisnam iste stupor est humani generis, ita viuere ac si nunquam mortem metueris, ita agere ac si nihil vnquam de ea relatione acceperis? THEOL. Id verò peccato adscribendum est, quo miserrimè occæcati, quo minus cœlum ad quod aspirare debebant contemplentur, abstinẽtur, ac oculos in terram defigere prohibentur, in quam mox diuertent & conijcientur: atque si etiam mani-

Cur mũdani de morte nõ cogitent.

manifestius nec quod aiunt riuulis, sed toto fonte scaturiginem deplorandi istius stuporis libet inuestigare, reperimus amorem sui ipsius & bonorum caducorum esse, qui miserrimè eos fascinat atque perstringit, qui illud vnũ agit vt sensim & paulatim eos cerebro priuet, & à mentis gradu dimoueat. Ac primũ quidem quo facilius id effectum dare possit, omnem eis futurorum curam euellit, ita vt nec retrò referre animum, nec à præsentibus eam auellere liceat, & sanioribus cogitationibus occupare. Deinde solidam illam gloriam in vanitatem, aurum in stipulas, dona æterna in caduca, cælum in terram, Paradisum in infernum migrat atque transmutat: quæ reuera negotiatio nõ nisi hominis mente capti & ratione destituti esse potest: & sicuti amor iste omnium vitiorum formularium est, & quorumlibet scelerum ac flagitiorum confluges, ita spe mendacissima falsissimaque eos pascit certò vt ea sibi promittere non vereantur, quæ amant atque desiderant:

Negotiatio stultorum.

Qui

Qui amant ipsi sibi somnia fingunt, *Vir. ecl. 8.*

videlicet equorum somnia sunt, fœnum, auena; Theocritum de piscibus, asinos de carduis, de pane canes, de larido feles ineptire ac somniare cur credamus nihil obest, quia quilibet spes suas in illis collocare amat, quæ optat ac diligit. Isti ergo quoque vt pręclarè stupidos & absurdos sese fateantur, quàm vnicè expetunt, quàm ardentissimè semper desiderant, vitam sibi longissimam futuram sperant ac sempiternam. Ergo cum iam etiam viribus exhausti, ætate fracti, annisque obsiti sunt, fore tamen adhuc confidunt, vt menses, vt anni accedant aliquot: cùm autem in ætatis flore constituti sunt, iam ipsa iuuentus animos addit, & spes firmissimas facit: cùm debiles, cùm infirmi sunt, aliorum ærumnis suas consolantur, qui ad annos plurimos peruenerunt: vbi verò firmos & vegetos se sentiunt, iam ipsam mortẽ animo ad se inuadendum deiici arbitrantur: cùm ex morbo decũbunt,

Cic. in senect.

Mundani malè sibi consulunt in omnibus.

eorum

eorum exemplis se recreant ac erigunt, qui etsi à Medicis forẽt desperati, meliusculè tamen iterum habuerunt, & in cymbam Charontis pedem impositum retraxerunt: iam ci sani, cum integra valetudine sunt nec dolores corporis, nec mortem ipsam reformidant: denique quanti potest nugarum ac ineptiarum congregant, vt in ijs spes suas extruant, & quam longissimè, opinione salu semet morti suffurentur. Atq; hinc etiam illud est, quod eam non nisi minus intuentur, & volubilitatem illam temporis nunquam contemplẽtur, cum oculos intellectus perdiderint, & ijs tantum vtantur ac videant, qui sensualitatis appellantur. Et quemadmodum corporei isti oculi cæli motum tardum ac lentum esse arbitrantur, propter vastum illud spatium, quod inter nos ac illa interiacet, & celeritatis illius intuitu nos priuat: ita etiam ij qui mortis accessum nonnisi post multos annos sibi expectãdum autumant, eâ eminus tantum spe firma ac secura intuentes, laneis pedibus adrepere tem-

Cur mũdani celeritatẽ mortis nõ cognoscant.

tempusq; adeò ipsum graui se passu inferre opinantur, dum in grauissimum errorem delabuntur, alterum non minorem multò incurrunt, quod cum quotidie sexcentos & innumerabiles mori, mixta funera efferri, tam senes quam iuuenes expirare; æquè doctos ac illiteratos defungi, vt diuites ita pauperes tumulari conspiciant, ijs tamen non plus moueantur quam si nihil omninò intuerentur. Efficiuntur adhæc surdi, nec quasi satis sit oculis captũ esse, aurium etiam vsu destituuntur: itaque non modo Dei vocem nõ admittunt, quæ eos sui rationem habera iubet, & rationis quæ finem eos suum docet, sed experientiæ etiam salutaribus monitis, quæ sæpenumero aurem ijs peruellit, repudiatis, non intelligunt istos bellum absumpsisse, hos in priuatis domibus & lare domestico exspirauisse, alios in terra alios in mari mortem oppetijsse: multos catharris, multos pleuritide, febri etiam multos fuisse extinctos: illum à lupis deuoratũ, hunc fame oppressum: hunc à leoni-

bus laniatum, istum crapula & in-
gluuie præfocatum, & deniq; innu-
merabilem hominum multitudi-
subitò ac inopinatò fato corruisse.
At quam ob rem? quod videlic-
eorum memoria in tenebris im-
probæ ac malæ conscientiæ sepul-
ta est, & tunc etiam cum videre v-
dentur, nihil minùs quam istud a-
gunt, & quod de leporibus fertur
oculis apertis somnum capiunt, &
veterno profundissimo opprimun-
tur: aures habent, & quod mirum
possis apertas, & tamen surdi v-
cem eam prætereunt, quam quo-
tidie terra, quotidie cælum, quotidi-
deniq; ratio ipsa clarissimã edit. I
quo mihi admodũ ad eorũ similitu
dinem accedere videntur, qui mon
tes Lunæ incolunt, & propter con
tinuum aquarum ex ijs locis defl
entium ac detonantium strepitu
auditum amittere perhibentur:
ta ergo iam sensibus propè omn
bus captis, & diuturna acedia torp
di ac enervati, in pessimè viuend
instituto nimium quantum se con
firmant, & tertiana affecti febre i

Lepores dormiũt apertis oculis.

Cicero in somnio Scipion.

Negligẽtia benefaciendi parit obstinationem.

phr

phreneſin incidunt: iamque nec imminentia pericula conſiderare, & verò etiam auribus oculiſque remedia ac pharmaca omnia auerſari incipiunt: adeò vt quam maximè ſtomachum ijs moueas, ſi ſalutis eos ſuæ curam ſuſcipere, & morti ſe accingere ſuadeas; cuius illi non nomen, non memoriam tantum, ſed etiam vmbram ac picturam ipſam pertimeſcunt & deteſtantur. Quam verò tu amentiam eſſe arbitraris, ſi miles iam iam cum hoſte conflicturus & manum conſerturus, eum peſſundet, à quo arma capere, cõtra aduerſarium ſe munire, & pugnæ ſe accingere iubetur? Quæ iſta mentis peruerſitas eſt, cũ inimicũ in ſingulas horas operiaris, helluari, cutem curare, luſtrari, & aſſiduò pergræcari? An verò ſaniores perditi illi ac profligati videantur, quos in ſpecula dormiẽtes mors opprimit, inimica capitalis diabolus inuadit, & in momẽto quẽadmodũ Iob ait, in infernũ præcipitat captiuitatem ſempiternã perpeſſuros? tunc ijs oculos ſuos ac aures aperiẽt, tũc ſtultitiã præteritã *Iob. 21. 13*

& miseriam præsentem intuebũtur, tunc tempus pessimè collocatum ac fœdissimè perditum dolebunt, & recuperari illud non posse intelliget. Tunc segnitiẽ suam accusabunt propter quam crudelissimè excarnificantur: tunc cœcam suam obstinationem detestabuntur, tunc intempestiuè sapient, quæ stultis propria sapientia est, pœnitentia superborum & salarium obstinatorum. Ex istorum admodum numero helluo ac epulo ille erat, qui postquam quotidianis cõuiuijs vacauisset, cutem bellè curauisset; tandem in inferno positus ad Abraham cuius hospitalitatem imitatus nunquam erat, nequidquam clamauit, vt fratrum suorum saluti saltem ipse consuleret, quoniam sibi id denegaretur, quibus perditæ viuendi exempla suggesserat, cum virtutibus essent imbuendi: clamabat ille tunc inquam & obsecrabat non vt aurea sibi phiala generosissimo vino plena inter tormento à pocillatore regio adferretur, sed vnica aquæ gutta in linguam illius digito immitteretur, quem viuens contemnebat.

Prudentia intempestiua mera est stultitia.

Luc. 16.

nebat, & canibus domesticis postponebat. O vicissitudinem! ô miseriã! ô ærumnas! eum votis frequentibus, & assiduò cum gemitu illud orare quod pauperrimi etiam in hoc mũdo non petere, non mutuari solent, & tamen non impetrare. At quemnã illum? qui regio luxu vitam exegerat, omnibus delitijs circumfluxerat, & quotidiè genium lautissimè curarat. Non paupertas ista extrema est, non modis omnibus deploranda, non iusta etiam, non æqua eum qui in omnium rerum copia micam panis ei denegarat, cuius vulnera crudelissimum quemuis flectere debuerant & commouere iam sitire, iam cruciari, iam excarnificari? pænituit illum vitæ profligatæ, fateor, at serò, at stolidè: quemadmodum etiam nequidquam pro amicis curã suscipiebat, eos ad meliorem frugem reuocari volebat, & saniora cõsilia suscipere desiderabat. Prouidẽdum illi erat de bonis operibus, quò gratus & acceptus aliquando Deo foret, parandi amici, non omnia in vastissimum ventris gurgitem inij-

cienda : tunc fratribus consulere, tunc necessarijs opitulari, cum eos promouere posset, non pertinaciter & obstinatè malè agendi institutum tenere, nõ in peccatis vsq; ad sepulchrum volutari, quò aliquando et in inferno expiaret & inter vltrices flammas deploraret. Hic vnicus finis, hic infernus filiorum procrastinantium est, filiorum confusionis & impietatis, qui nunquam bene agendi, laudabiliter viuendi, religioseque conuersandi occasionem inueniunt, & quò recta ad ruinam & sui perditionem nauigent, continuo vento puppim propelli experiuntur. Faciunt contrarium admodum veri Christiani, & qui in suam perniciem & salutis propriæ iacturam faciles esse non volunt, sed diuersissimum viuendi institutum consectantur, & studiosissimè vitam suam ad honestatis ac virtutum regulam conformant. Dum enim illud animo volutant suo, ideò in terra se esse vt cœlum lucrentur, & circumstantias vitæ nostræ suprædictas perpendunt, eius breuita-

Differre bona quid sequatur.

tem,

tem, velocitatem, & inconstantiam examinant, ne vnicum sibi minutum effluere patiuntur, quod præparationi non consecrent atque impendant: resecant illi amputantque omnem vanam incerti temporis spem: cum ætate & annis effœti sunt, tum verò quantò plus morti appropinquare, vitamque decrescere conspicantur, tantò impensius properant, præmium ac mercedem præstolantes: cùm iuuenes & vegeti adhuc sunt, facilè se mori posse persuadent, & morti recuruam falcem esse credunt, qua tam iuuenculas plantas, quam annosos caules demetat: cùm viribus valent, cùm robusti sunt, mortem vt fulmen se habere cogitant, quod plerumque ea afflat, quæ sibi obniti viderit & reluctari: cum secunda valetudine vtuntur plurimos irretitos, plurimos illaqueatos fuisse recordantur: cùm corporis aliquo dolore tenentur, tum illi quam maximè mortem prouocant, & itineri conficiendo accinguntur:

denique quocunque oculos suos cō uerterint, siue in prosperis, siue in aduersis obtutum defixerint, omnia negotia, omnes vicissitudines temporum & mundi ruinas contemplētur, eas vt veluti occasionem semper bene viuendi habeant, & ceu stimulum ad viaticū itineris cōquirendi vsurpent, illud sub finē experientes, quod Apostolus ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

Incitari nos debere ad mortis præparationem, cum quantum bene mori referat consideramus.

COLLOQVIVM XXIV.

THEO. OSTENDIMVS hactenus quanti apud nos moriendi necessitas valere debeat, vt ad id expediremur: demonstrauimus breuitatem & velocitatem temporis, quo saluti nostræ non indormiremus: nunc itaque & illud declarandum esse videtur, quomodo ceu acutissimo stimulo ad sollicitè nos præparandum, & ad apparatum generalē omni-

omnium modorum fœliciſſime rebus humanis valedicendi excogitãdum, ea conſideratione nos incitare & exſtimulare debeamus, quæ quãtum piè mori referat examinat atq; perpẽdit. Huius nos pondus ac momentum ex ſimilitudine negotiorum, quibus mundus diſtinetur, liquidius aliquanto cognoſcemus: Tres enim admodum res ſunt, propter quas aliquid magni momenti eſſe poſſis arbitrari. Prima eſt, cum in ea bona fortunæ vertuntur, quæ poſſeſſiones, honores, dignitatesq; appellantur. Secunda, cum corporis ea bona concernit, ſanitatem libertatem, aut vitam. Tertia, cum animi bona attingit, artes, ſcientias, ac virtutes: Quæ omninò diuiſio, atque partitio ex ipſis veterum Peripateticorum ſcholis eſt deducta. Habent autem res iſtæ ſingulæ, tantum apud homines ponderis ac authoritatis, vt nemo non omnibus viribus annitendum ſibi putet, aut ad eas acquirendum, aut vero etiam conſeruandum. Ac primum quidem genus mirabiliter eos excitat atque

inflammat, qui vt rem augeant, ope
accumulent, honores aucupentur
quidlibet laborum ac moleſtiarum
deuorare non verentur: ſecundum
vniuerſo orbi faces admouet vt de-
ſes non ſit, neminem enim reperias
qui non aliquid ſibi laboris & oper
ſumat, pro vitæ ſuæ conſeruatione
tertium accedit efficaciſſimum a-
pud eos, qui ingenijs exceſſerunt
ſunt, quemadmodum præclare
Philoſophiæ veſtræ anteſignanus
Ariſt. 3. Topic. 1. ma. mor. c. 3. 2. Eth. c. 8. Ariſtoteles docet: ſingulæ autem ci
ſignis euidentibus notisque clariſ-
ſimis, extremum noſtrum de rebus
humanis diſceſſũ illiusq; apparati
ita comitantur, vt preſſius eum om-
ninò ſequi non poſſint. Ad primum
enim quod attinet, vertitur in eo
poſſeſſio non parui alicuius domi-
nij aut exigui principatus, ſed am-
Felicitas eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfect⁹. pliſſimi regni, ac regni non terre-
ni, ſed cœleſtis: Vertitur in eo æ-
terna gloria, vita immortalis, &
vt vno verbo omnia complectar,
fœlicitas, quæ omnia bona animi
& corporis continet abſque vl-
la mali commixtione. Si mundi in-

finitis

finiti producerentur, quemadmodũ olim Democritus somniabat, non modo nostro huic similes, verumetiam illo pulchriores, eisque Monarcha præesset tranquillus & florens, iuxtaque omni scientiarum genere apprimè instructus, is tamen abiectus foret & minimus etiam eorum qui beatorum superna fœlicitate perfruuntur. Nam etsi ad honores, scientias, animique dotes, accessio ei fieri nulla possit, ea tamen cum ipso regno finem suum & interitum tandem sortiuntur, quod ab æterna illa possessione, multò quam alieniſſimum est. Iam verò secunda etiam circumstantia, quæ nobis calcaria subdere, stimulos admouere, facesque debet adhibere, vt tempestiuè & quam maturrimè potest operi manum injciamus, rationemque in consilium adhibentes, persuasissimum nobis habeamus, si has diuitias, hanc gloriam, vitam, ac beatitudinem vilipenderimus, neque vt eam consequamur annisi fuerimus, fieri omnino non posse, quin

Plut. l. 1. de opinionibus Phil. c. 1. Simile.

æternam paupertatem subire, confusionem, supplicia, exilium, mortem & miseriam sempiternam sustinere debeamus; nec primum illum statum deseri, absque alterius infœliciſſima acquisitione. Id nos hoc loco accuratius aliquantò considerabimus, quemadmodum reuera digniſſimum est, oppido vt anxiè, attentè, ac studiosè perpendatur. Nam cum sicut sanctus Dionysius docet, bonum malo fortius sit, maioremque semper animis altis & exaggeratis vim adhibeat vbi ignorantia aut corruptio aliqua metuenda est, sicut plerumque rebus humanis accidit, ita potius dolor in gyro rationis nos continet quam voluptas, minæ quam promissa, timor quam spes: Ipsæque adeò bestiæ quemadmodum D. Augustinus aduertit, reliquis efferaciores, sæpenumerò à voluptate se abstinẽt, ab eaq; potentiſſimo doloris freno retrahũtur. Hominum autem ita plerique habentur, vt nec promissa & pollicitationes æternæ vitæ eos morentur, nec verò etiam iacturam illius per-

S. Dionysius. c. 4. de diuin. nomin.

S. Thom. 1. 2. q. 35. a. 6.

S. Aug. l. 15. q. 36. c. 4.

pertimeſcant; ſed iſtud ſibi antiquiſſimum ducãt porcorum Epicuri inſtar in turpiſſimarum voluptatum cœno & fœdiſſimarum libidinũ ſordibus ita volutari, nunquam vt ſurſum oculos attollere, aut cœlum ijs liceat contemplari. Verum longè aliud viuendi inſtitutum diuerſa vitæ ratio, & agendi conſuetudo admodum ab hac diſſimilis ſequenda eſt: nimirum aut Paradiſum aut Infernum inſpicias oportet; reddes exactiſſimam rationem magno illi Patrifamilias, qui pecuniã tibi ſuam credidit, vt ea fideliter & bene ad negotiandum vterere: proferes illi inquam tabulas accepti & expenſi, qui ipſa ſcientia eſt: explicabis ei tua facta, qui eſt ipſa iuſtitia; quo ijs aut tormenta aut præmia conferat: ipſa potentia quo placita ac ſcita ſua obſeruari faciat, ijsque authoritatem conciliet: Neceſſario aut corona pro laboribus ac bonis operibus dabitur, aut infidelitas, & ſupina negligentia pœnis infernalibus punietur. Poteſtne ergo ratio reperiri vlla, vlla merces, vllũ ſup-

Deus exactiſſimã rationem à noſtris actionib⁹ repoſcet. Mat. 12. 36. 18. 23. 25. 15. Luc. 16. 19. 2. Rom. 14. 12. 2. Cor. 5. 10.

plicium, quod maioris ponderis ac momẽti sit? Potestne excogitari aliquid, quod nos vehemẽtius moueat, potentius impellat, & efficacius stimulet. Potestne negotium reperiri vllũ, quod nostram libertatem absque violentia ad officium præstandum plus vrgeat, quam promissio ista summi boni, & minæ sumi mali? Si itaque nos nobismet deesse volumus, ecquem tãdem coram generali illo iudice Patronum sumus habituri? Quis nostram causam aget? Quis rem nostram tractandam suscipiet, si nos eam modo prodimus, atque deserimus? Econtra autem quis tunc nos non accusabit? Quot habituri sumus qui cum nostra conscientia ante Dei tribunal condemnationis sententiam in nos ferant? Omnes reuera creaturæ dicent, & nos adeò ipsi sine illis scimus, quam industrij, gnaui solertesque simus, quot lites intendamus, bella moueamus, cum de bono vel honore aliquo amittendo agitur, de fama aut retinenda aut adipiscenda. Cùm verò vita etiam nostra periclitatur,

tur, quam non opibus, non pecuniæ, non amicis parcẽdum esse arbitremur. Et cur ista negotia tanto cum ardore ac cura administrantur? Cur adeò solicitè eas res seruare studemus? Cur tantum propter illas molimur, quæ sua leuitate ac inconstantia illud effectum dabũt, vt non modo te de medio tollant, sed etiam ipsæ breui tempore tollantur? Vide mihi sis, quod tu adeò diligenter custodis: pugillum terræ, fœnum, fumum, & vanitatem: nam quid sodes mundus iste aliud est? aurum, argentum, cibus, nunquid aliud quidpiam sunt? Quid aurũ est, si flaua terra non est? Quid argentũ, si nõ terra alba? Quid cib⁹, si terra pascuosa nõ est? Demũ quid est omninò vniuersa caro nisi fœnum, omnis voluptas nisi fumus, omnis mundi gloria nisi vanitas? Videmus hæc, audimus, sentimus, & indies experimur: & cùm videmus mundum adeò auidè has nebulas venari, quid nobis faciendum erit in studijs rerũ cœlestiũ, incõprehẽsibiliũ, & immortaliũ? Quid etiã vt sempiterna supplicia effugiam⁹?

Si cen-

Si centies mille admodum vitas haberemus, nunquid eas profundendas existimaremus? Si modi, si rationes ex oriente, ex occidente petendæ essent, an molestiæ, an labori vlli supersedendum nobis putaremus? Quis nos tunc tutaturus est, cũ conscientia nostra omnia ista hæc nobis suggeret atque proponet? Nunquid allegare poterimus intempestiuè aut serius eorum nos cognitionem accepisse? Non opinor, sex enim admodum milia annorum sunt, ex quo Deus cæpit per se, per angelos, per homines, per rationem, & per exempla nos inuitare, blandiri, minari, castigare, vt ea disceremus & perspiceremus: Ex quo inquam auxilia & subsidia necessaria ad hęc nobis obtulit, vt ea exequeremur, & quam nos denique excusationem excogitaturi sumus? Concludamus ergo considerationem istam super momentoso hoc nostro discessu, exstimulare nos debere & excitare ad diligentem præparationem adhibendam. Et quemedmodum in eo bona nostra, hoc est, æterna, immortalia

talia, ac sempiterna vertuntur; ita nos obligari certo nobis persuadeamus, omnes vt industriæ nostrę neruos intendamus, & omni tempore, omni loco, summo studio, diligentiaque ad ea adspiremus.

Vera præparatio vltimi nostri discessus in peccatorum expurgatione, & Christianarum perfectionum exercitio cosistit.

COLLOQVIVM XXV.

THEOL. ISTIS ergo ita constitutis, quæ hactenus à nobis in medium prolata sunt, facilè omninò intelligitur, præparationem hanc aliud nihil esse, quam virtutum Christiano homine dignissimarũ studium. Et quo luculentiùs paulò quod dico intelligatur, notandum est in tribus punctis eam versari: Primum est, vt ea omnia remoueamus, quæ in hoc itinere aut impedire nos possunt: Secundum, vt ea conquiramus, sine quibus commodè id haberi non potest. Tertium, vt ab ijs instruamur quę pretiosa sunt, quæque fidem nobis

bis eo in loco concilient ad quem tendimus, & præclaram parent mansionem. Porrò locus iste mundus alter est, mansio autem ipsum cœlum, terra nobis promissa: Aliæ verò mansiones aut in Aegypto spirituali sunt, quarum vna est Infernus, cui diabolus Princeps tenebrarum, & verus Pharao imperat, aut in locis desertis, & gaudij expertibus, vti lymbus, aut in locis tristitiæ, vti purgatorium: Via verò, vita ista est, cuius principium est mundi istius ingressus, finis autem sepulchrum: Hoc iter & fœlicissimè ingredi, & iucundissimè continuare, & securissimè absoluere possumus, cum ad patriam nostram properantes suprædicta capita seruamus, quæ generalem nobis apparatum præscribunt, omniaque illa continent, quæ facere & habere eum oportet qui in longinquam ciuitatem cogitat, domicilium in ea sibi fixurus, sibique aduentum gratulantes habiturus. Nam si quis homo istiusmodi est, is illud sibi inprimis faciendum esse arbitratur, omnibus vt impedimen-

dimentis amotis ea secum sumat, quæ necessaria sunt, vt pecuniam, & vasa pretiosa portatu facilia, partes auri, gemmas, & similia quibus possessionem sibi coemere, & commodè illic viuere possit quo aspirat. De Heluetijs memoriam accepimus, quod cum sedes suas deserere decreuissent, & Gallos subiugare constituissent, villas suas, pagos, omniaque ea quæ necessaria sibi non futura arbitrabantur, & portari non posse opinabantur (quò omne sibi desiderium ac spem etiam ad sua redeundi resecarent) flammis absumpsisse, vt necessitatem sibi pulcherrimam, & nouum regnum pariendi, & ignominiam turpissimam fugiendi imponerent. At melius adhuc Alexander Magnus, qui cùm in Indiam exercitum moueret, Dominia sua vniuersa amicis suis elargiretur, & nec vnicum Macedoniæ Regnum sibi reseruaret, Perdicæ dona ista & prodigalitatem admiranti ait, spem sibi

Cæsar l. 1. belli Gal.

Plut. in Alex.

sibi reliquam esse longè amplior
Imperij, quam à Patre Philippo sib
traditum fuisset. Isti ergo prude
tissime in viam se daturi, omnia pr
mum ea amoliri voluerunt, quæ v
eorum itineri obessent, vel à propo
sito suo eos abstinerent. Deinde ve
rò ab omnibus necessarijs probè
instruxerũt, pecunijs, milite, equis
armis, & munitionibus ac sexcentu
alijs belli instrumentis. Nunc quo-
niã sæpenumerò Deus à bestijs etia
benefaciẽdi normam addiscere no
vult: adeò vt & scholam abiectiss
mæ formicæ prudentiam in ea hau
stum frequentare nos iubeat; nihil
planè inconueniens est ab Ethnicis
istis discere, quomodo nos ad dis
cessum è rebus humanis præparare,
ac iter cœlum versus habere debe
mus: Et tanto diligentius ad offi
cium nostrum præstandum incitari
quantò propositum nostrum illorũ
cæptis excellentius & nobilius est.
Qui cum terram tantum sibi acqui
siturí essent prudentissimè se nihil
ominus ad iter accinxerunt, & la
bores molestiasque grauissimas de-

Prou. 6. 6.

uora

uorauerunt, vt caducum sibi imperium pararent. Verùm vt hoc in ijs imitari non debemus, ita si assiduos discipulos in reliquis nos exhibuerimus, breui admodum magistros nostros anteuertemus. Noster enim apparatus bona æterna & immortalia spectat; illorum autem tantum ad fumos aucupandos instruebatur, qui momento temporis in auras euanescũt: adeò vt si fieri posset multis nos partibus eorum diligentiam, industriamq; superare deberemus; quippè cum id pro quo nos labores suscipimus, ne quidem in comparationem cum illorum imperijs possit venire. Verùm si illud omninò consequi non possumus, vt singularem illorum diligentiam nostra superemus, satagendum tamen est, vt saltem eos imitemur, ac nulli labori, nulli rei parcamus, nisi iudicium seueriſſimum condemnationis ęternæ forsitan incurrere malimus. Videamus itaque primum, quænam illa impedimenta sint, quæ amoueri debent: Tum verò ea etiam consideremus, quorum ope peregrinationem

nem noſtram ad multò quam fœli-
ciſſimum finem perducere vale-
mus. Hæc Dauid, & poſt hunc S. Pe-
trus paucis admodum verbis com-
prehendit cùm ait: *Declina à mal*
& fac bonum. Inquire pacem & pe-
ſequere eam; id eſt, omnia à te pec-
cata remoue, virtutibus te inſtrue,
bonis operibus muni, in quibus pa
animæ tuæ cum Deo cõſiſtit, & ſpe
æternæ gloriæ potiũdæ: In his duo-
bus punctis tota iuſtitiæ Chriſtiana
ſũma verſatur, ſicut quidã ſanctor
Eccleſiæ ait. Et omnes diuitiæ laten
quas aſportare debemus. Peccatum
itaque primum itineris noſtri impe
dimentum eſt: quod animam excæ
cat, ligat, debilem cum corpore red
dit, quæ moræ & obſtacula maxim
ſunt, vt bene ambules: fœliciter a
commodè pugnes: obiecit etiam
peccatum peſſulum ſpei, qua patri
& regnũ ampliſſimum nobis poſſi-
cemur. Virtutes verò & bona ope
ra veri modi ſunt, quibus iter no-
ſtrum fœliciſſimè abſoluimus, &
cœlum introimus. Hæc arma ſunt,
hoc viaticum quo inſtruendi ſumus,

Pſ.33. 15. 36.27. Pet.3.11.

Proſper cent. 98. ex.S. Aug.

& ad terram viuentium perducendi; nisi nostramet negligentia reluctetur ac refragetur : hi nummi sunt, quibus cæleste regnum nobis coememus. Nec verò hoc loco arbitrari te velim, cum peccatum dico esse amouendum, ea me tantum intelligere quæ Dei legẽ manifestè violant, sed omnes omninò occasiones quæ nos ad illa inuitant: adeò vt in ingressu ac progressu itineris quã longissimè à nobis arceamus, principio peccatum, vt capitalem nostrũ inimicum: Deinde omnes illius fautores & principes Diabolum, mundum, ac carnem: qui omnes coniurati in nostram pernitiem hostes sunt; Ita iisdem armis opitulante Diuina gratia à nobis delebuntur, & profligabuntur. Atque hæc satis opinor sunt, vt vniuersus iste de quo loquimur apparatus, integra peccatorum expurgatio, & perfectionum Christianarum exercitium esse videatur.

Con-

Continuatio præcedentis Colloquij sub per figura Hebræorum AEgypto e gredientium; & exempla Christia norum in Ecclesia Primitiua.

COLLOQVIVM XXVI.

THEOL. ACvide mihi nunc sis, quomodo singula, quæ à nobis hactenus in medium allata sunt per Hebræos ex AEgypto migrantes, & ad terram promissionis contendentes præfigurata & adumbrata nobis sint. Primum enim non contra magnam difficultatem ac molestiam AEgyptum deseruerunt: secundo pro viatico farinam secum asportauerunt: ac tertiò omne aurum & argentum quod ab AEgyptiis Deo præcipiente mutuari poterant abstulerunt. Porrò nostra terra promissionis cœlum est, vera patria ad quam adspiramus: Ex AEgypto egredi est relinquere peccata & delinquendi occasiones, quæ multò superiorem seruitutem nobis conciliant, quam ea fuit, cui AEgypti subiacebant: & maiora longè obstacula nobis vt cœlo priuemur obi-

ciun-

ciunt, quam Pharao terram promissionibus intrare volentibus præbebat. Difficultas cum qua egressi sũt, significat factum planè heroicum & illustre esse, nec nostræ imbecillitati sed diuinæ tantum gratiæ peccato scilicet liberari, & è seruitute diaboli, qui spiritualis Pharao est, vindicari. Farina vires ac facultates exiguas significat, à natura nobis datas, & ad id negotij adhibendas, quæ vbi defecerint, iamque viatico destitui inceperimus, Deus in deserto Manna pluet. Aurum, argentum, & vasa pretiosa, secundum D. Paulum, & doctorum veterũ plurimorum sententiã, bona opera sunt facta in Base S. Crucis, & super fundamentũ charitatis, quæ principem semper locum sibi vendicant inter omnes eos modos, quibus difficultates nostræ peregrinationis superamus, & coronam cœlestem consequimur. Hoc aurum materiale & mutuo acceptũ, cùm in Aegypto esset, pro solo Pharaone & Aegyptijs erat: At postquã id in manus Hebræorum Aegypto egredientium peruenit, insumptum

fuit muneribus, oblationibus, & ar-
cæ fœderis fabrefaciendæ, alijſqu
operibus ſacris in honorem Dei in
ſtituendis. Ita quam diu nos in pec
catis ſumus, aurum & argentum, i
eſt, opera noſtra, inimici & princi-
pes tenebrarum ſibi vendicant, qu
nunquam finem nos perſequendi, ſ
affligendi faciunt: Cumque in dom
Domini facta non ſint, nec ad hono
rem illius, nullam quoq; nobis gra
tiam aut ius cæli acquirunt. Talia o
lim erãt, & etiamnum inter impro
bos ſunt, facta Babyloniorum, Gra
corum, Romanorum, dictorũ Hel
uetiorum, Alexandri Magni, & plu
rium ſimilium Ethnicorum, qui pa
ce belloque illuſtres in ſcholis
tribunalibus admirabiles erant; v
rùm nihil hoc aliud erat quàm a
rum & argentum Aegyptiorum
quò pauperes illi ac famelici h
nores tantum & opes coemeban
quæ aliud nihil ſunt, quàm vmb
imò priuatio gloriæ ſempiternæ;
ideo continuò ſpiritualiter affli
bantur, mancipia diaboli erant,
ciu

ciues tantum opulenti tenebrarum. Econtrà quæ Sancti in lumine legis diuinæ faciebant, aurum & argentum erat ex Agypto transportatum, è quorum numero multi in lege naturæ & Moysis fuerunt: præcipuè verò Christiani in lege gratiæ, quando in feruore illo nascentis Ecclesiæ, è spirituali Aegypto egressi, & per Baptismum è tyrannide & tenebris peccati liberati, vacantesque studiosissimè diuinis & deuotis actionibus, aurum & argentum ex possessionibus venditis collectum ad pedes Apostolorum deferebant. Erat hoc aurum ex fodinis naturæ erutum, & è cistis Aegyptiorum depromptum, verùm liquefactum in fornace charitatis, & accommodatissimũ ad monetam optimam ex eo procudendam, qua amplum illud Regnum Dei emeretur. Hic fructus erat scholæ illius quam IESVS CHRISTVS sapientia Patris viuens in hoc mundo aperuerat dicens: *Date eleemosynam, & ecce omnia sunt vobis.* Luc. 11. 41.

En habes quo aurum tuum ab omn
ſcoria ſordibuſq; repurges. Et quan
do adoleſcentem erudiendum ſu
Matt.19. cipiens ait: *Si vis perfectus eſſe, va*
2. *& vende omnia quæ habes, & da pa*
peribus, & habebis theſaurum in cæ
& veni ſequere me. Et quando in
Matt.6. lio loco omnes docturus inquit: N
20. *lite theſaurizare vobis theſauros*
terra, vbi ærugo & tinea demolitur
vbi fures effodiunt & furantur: Th
ſaurizate autem vobis theſauros
cælo, vbi nec ærugo nec tinea demo
tur, & vbi fures non effodiunt nec f
Ioſue 10. *rantur.* Item, *Vendite quæ poſſide*
24. &c. Ecce tibi hic modum Farina
in Manna conuertendi, æs noſtru
in aurum mutandi, terram in cæl
ac mortem in vitam transforman
Ex hac ſchola & ludo prodierun
qui vanitatibus ſæculi valedicẽt
& mundi ſuperbiam peſſundante
fæliciſſimè ſicut quoque Hebræ
lim prophanorum Regum colla c
culcauerunt: relinquentesque ciu
tates, fortunas, pompas, & omn
carnis illecebras, trãſierunt in Er
mos, loca deſerta incoluerunt, &

fam

familias Religiosorum ac numerum cælestium bellatorũ auxerunt: Merentes stipendia sub vexillo crucis à filio Dei in medio terræ erecto, vt ad illud vnumquemque inuitaret: Quorum adhuc nostra etiam tempestate ringente Sathana vestigia supersunt, quibus Deus similẽ magnanimitatem istiusmodi exequendi inspirat. Hi athletæ & pugiles Iesu Christi idem planè videns, quod olim maiores ipsorum conspiciebãt, videlicet bona huius mundi supellectilem tantum esse Aegyptiacorũ latrunculorum, perireque prorsus, nisi à nobis adhibeantur & expendantur; collocata autem in fundo cęlestis patriæ, aut illic fœnori exposita, vbi centum pro vno penduntur, inserere nos numero ciuium cœlestium, & pensiones nobis acquirere sub dominio diuinæ maiestatis. Quæ negotiatio amplior, quæ versura fructuosior, quod lucrum denique maius isthoc esse potest? & quæ stultitia maior reperietur mundanorũ tam opimam conditionem reijcientium? Quæ amentia est, malle aurum

Ps. 73. 11.

Matt. 19. 29.

ſuum rubigine corrumpi, & faculta-
tes ſuas latronibus ac furibus pig-
nori opponere, quàm cælo eas cre-
dere, & pauxillum expectando reg-
num florentiſſimum obtinere? Vi-
debant ijdem gloriam mundi tem-
pore imminutam decreſcere, quo-
lima quæpiam ſurda eſt atterens &
arrodens omnia quæ nanciſcitur
& dente longè peſtilentiore ea car-
pens quàm tinea; quod mille & in-
numerabilium hominum illuſtri-
um ac famoſorum gloriam deuora-
uit, quorum memoria ad nos perue-
nit, verùm ita ac ſi nunquam exti-
tiſſent. Hanc ergo gloriam aſperna-
ri, Dei honorem quærere, noſtrum
ingenium, ſcientiam, omnesque ad-
eò vires ad eum honorandum a
reuerendum adhibere, illud ver
reapſe eſt ædificare arcam fœderis
& ornamenta domus Dei ex ſpoli-
Aegypti longè meliore modo quam
Hebræi conflare: qui ſolum figur
iſtorum erant, hoc eſt, viatico ſe
inſtruere, arma, aurum, argentum
& lapides pretioſos aſportare, a
iter noſtrum fæliciſſimè proſe-
quen-

Tempus eſt lima ſurda.

quendum, & tandem cælorum regnum venale coemendum. Adhæc autem quantum memoria mortis faciat, incredibile propè est: dum enim breuitatem & incertitudinem vitæ, & quantum bene mori referat consideramus, adduntur nobis calcaria ad præparationem celerandã, iterq; reiectis & amotis omnibus impedimentis ingrediendum; Primum itaque hoc agit vt vitia fugiamus, & virtutes amplectamur. Nunc quoniam tu sancta quadam curiositate singulatim semper huius doctrinæ capita pensiculatius examinari vis, per partes quæ in genere diximus consideremus.

Meditationem mortis plurimum ad peccata euitanda conferre.

COLLOQVIVM XXVII.

QVISQVIS itaque virtutis amore flagras, & timori DEI studere desideras, modumq; singularem aliquem peccata euitandi discere concupiscis, THEOL.

frequentibus ſupplicijs Deum vene-
rare, quo ſtudioſè mortis memor
habere poſſis & cõſeruare: eſt enim
hæc reuera lorica & armatura valli-
diſſima contra omnia genera vitio-
rum. Docet autem hanc nos Deus
docet experientia, docet ratio, vt ar-
dentiſſimo affectu eam excolamus
& proſequamur. Sapiens certè cùm
varia & compluria diuina documẽ-
ta, quibus vita noſtra ad virtutum
normam poſſet cõformari, præſcri-
pſiſſet, ſubiungit: *Memorare nouiſſi-*
matua; & in æternum non peccabis.
Eccleſ. 7. 40. *Quatuor hominis nouiſſima.*
Eorum aũt quatuor admodum ſunt,
Mors, Iudicium, Paradiſus, & Infer-
nus. Mors princeps eſt ac porta reli-
quorum: Vnde in eorundem medi-
tatione primam etiam eſſe cõuenit,
quemadmodum in ordine prima re-
peritur. Ait ergo Sapiens, Si felicite
vitæ tuæ curſum moderari vis, ſi cõ-
ſilia quæ tibi ſuppedito in effectum
deducere, ſi à peccatis alieniſſimus
eſſe, ſtatue tibi ob oculos nouiſſima
tua. Et primo quidem loco mortem,
quæ in ordine primam ſe offert. Hæc
enim inſtar ſtimuli tibi erunt qui-
bus

bus ad benefaciendum inciteris, & velut potentissimo freno in stadio ac gyro rationis retinearis. Porrò Deus qui hoc documentũ seruo suo tradiderat, longo ante tempore eodem fine idipsum exercuerat: Nam postquam protoplastum Adamum creauisset, donisque naturalibus & supernaturalibus, ac quemadmodũ etiam vero simile est, regni cælestis promissione ad se amandum, & leges diuinas obseruandum obligauisset, mortis comminationem adiunxit dicens: *Ex omni ligno Paradysi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 3. 17

Ecce tibi hic bonorum copiam, illic omnium malorum comminationes: vnum amoris erat, & vehementissimè ad virtutis exercitium attrahebat: Alterum timoris, fortius multò hominem & potentius à peccato abstinebat. Et quoniam magnus nomotheta præclarè intelligebat, rem se habere cum natura mutabili, leuissima, & peccato obnoxia: voluit eã in officio suo continere, non amore

tantùm, sed etiam timore; atque eiu
omninò rei, quæ si Aristoteli cred
mus, omnium terribilium terribi
lissima est. Atque hi omninò duo
stimodi sunt, quibus omnium re
rum publicarum salutem, & legum
authoritatem inuiolatam conser
uari posse, ipsi etiam mundi sapien
tes agnouerunt: Et certè si meliore
ijs excogitari potuissent, nunquam
ad eorum modulum & libellam o
mnes Respubl. benè constitutæ fuis
sent stabilitæ: Et si aliquando no
adfuissent, non continuò ruina, no
excidiũ fuisset subsecutum. Verùm
progenitores nostri & protopla
sti susque deque præceptum id ferè
tes, nec profundè satis mortis timo
rem memoriæ insculpentes, confe
stim laxatis frenis in peccatum &
mortem pariter proruerunt. Atec
ce tibi hoc flagitio etiam designato
salutarem illam mortis medicinam
rursus adhibuit, quãdo Adamum &
vniuersos qui ab eo descensuri erã
alloquens ait: *Quia audisti vocem u
xoris tuæ, & comedisti de ligno ex qu
præceperam tibi ne comederes: male
dicta*

Respubl. metu malorum & spe bonorum conseruãtur.

Gen. 3. 17 18. 19.

dicta sit terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris. En tibi itaque condemnationis sententiam quam Deus contra Adamum in Paradyso tulit; ecce tibi mensam quam illi strauit, nec nisi funeralibus epulis, & laboris ac mortis ferculis onerauit. Ecce tibi Dominum iustissimè irritatum verborum asperrimorum, durissimorũ & acerbissimorum repetitionibus detonantem, *Terræ, laboris, maledictarum spinarum, carduorum, sudoris, & pulueris.* Ac si dicat, Quoniam tu immortalitatis donorumque vitæ quibus te ad me amandum obligarã ratione seposita, & mortis comminatione qua à violatione præcepti abstinere te volebam contempta, in peccatum & mei offensam incurristi, nunc demum mortẽ mihi cõsidera, cuius cliẽs effectus es: Colloca eã in sinu tuo, & fructũ ex malo q̃ tibi

machinatus es, si quem potes cape. Incipe iam nũc peccatum odio prosequi & euitare, postquam clade & ærumna te affecit. Cùm fructus terræ labore fractus & exhaustus comedes, vitam tuam cinerem esse cogita: Cùm tellurem coles, cogita sepulchrũ: Cùm spinas, cùm carduos illa tibi progignet, flores eos esse puta, & tumuli tui ornamenta. Memento mihi mortis in omnibus tuis actionibus, ac in omni loco occasionem recordandi capias, quòd opus, quod factura puiueris, quod mortis plasmasis: Cura vt huius memoria saltem iam flagitio designato & naufragio facto superbiam tuam compescat: Faciat te sapientiorem experientia, illamque vt frenum habeas, ne sæpius me offendendo pœnam longè hac morte temporali grauiorem incurras, ad quam ego te nunc cum tota tua posteritate condemno. Hac ita sententia pronuntiata amictum ei criminis testem, pellem iniecit, quemadmodũ antea diximus, & in exilium locumque capitalem eiecit in eo moriturum: & ecce se-

pultus

pultus fuit in monte Caluariæ ciuitati Hierosolymorũ metropoli populi Dei vicino, & postea ad id deputato, vt in eo supplicia de improbis ac sceleratis sumerentur, reuera ac si DEVS per humanas leges ostendere voluisset, locum hunc capitalem esse in quo ille sepultus foret, qui non tantum sibi sed & vniuersæ posteritati mortem conciliauisset. Fuit hæc admodum sententia veterum & constans opinio Doctorũ Ecclesiæ præcipuorũ (solo D. Hieronymo excepto) *a* Ambrosij, *b* Cypriani, *c* Augustini, *d* Athanasij, *e* Origenis, *f* Theophylacti, *g* Euthymij, & plurimorum aliorum Scriptorum, quibus admodum placet Adamum eo in loco sepultum fuisse, vbi Christus fuit crucifixus. En protoplastũ, & protoplastam! paulò ante ditissimos, nunc pauperrimos: en capita nostri generis Adã & Euam, ex nobilibus plebeios factos, in terram plebeiorum & reorum expulsos. Et audent se filij Adam de sanguinis antiquitate mirabiliter efferre & iactitare, cum solam domus suæ ha-

a *In c. 27. Matth.*
in c. 5. ep. ad Eph.
b *lib. 5. ep. 19. & in c. 23. Lu.*
c *In serm. de Res.*
d *Ser. 7. de immolat. Isaac.*
e *libr. de Pass. Do.*
f *Trac. in Matt. 25.*
g *in 27. c. Matth.*

beant & adferre possint antiquitatem? Et audent nobilitatē monstrare velle ij, quorum maiores plebeij & terræ filij erant, quiq; adeò ipsi turpissimis flagitijs obsiti sunt, reuera omnis contemptus & abiectionis fontibus? An ergo eorum scientia, consilia, arma, facultates, & vires vniuersæ magno huic Regi seruire non malunt, qui solus nobilitatem & illustres titulos conferre potest? Cur potius vitijs suis diabolo inseruiunt, qui aliud nec scit, nec vult, nec potest, quam seruos, quam mancipia ex ingenuis ac liberis hominibus efficere? Sic Adam, sic Eua pulsi sunt, quia voci illius auscultauerāt, sic à Deo edocti fuerunt per vestimenta, habitationem, & labores, vt mortis meminissent, illiusque recordatione velut alexipharmaco contra peccatum vterentur.

De Vestimentis & loco Filiorum Adæ.

COLLOQVIVM XXVIII.

NVNC quoniam de vestimentis & loco parẽtum copiosè satis disseruimus, incipiam' iam nunc eadem in illorum filijs considerare, fateamurque tandem ijsdem nos qualitatibus prędditos esse, qui hæredes tam illorum quam mortis sumus: agnoscamus etiam considerationi nostræ ea inseruire debere, quo à peccatis quam alieniſſimi semper inueniamur: videamus quomodo mortem vt hæreditatem acceperimus, quomodo id experientia doceat, & plerique magno cum dolore deprehendant. Verùm quousque vestimenta quibus vtimur non agnoscemus eiusdem qualitatis esse cum nostrorum parentum amictu, & nostræ conditioni quam maximæ accommodata? quousque sensus nostri vi consuetudinis prędstricti & fascinati splendida nobis esse illa persuadent? si præ-

THEO.

præsertim ita elaborata sint, vt hominibus præclarum quid & graphicum præferre videantur? An verò illa aliud sunt quam sacci doloris atque mœstitiæ, & testimonia nostræ paupertatis, ac texturæ ex mortis spolijs & excremẽtis? Nam quidquid pellium, quidquid serici, quidquid pannorum est, quidquid telarũ, auri, argenti, gemmarum, aliarumq; rerũ quibus homines naturali turpitudini fucum facere, & se exornare solent, ab alijs mutuata & accita sunt, ab vna autem morte omnia profecta: & quanto quis cupidius ardentiusque ea consectatur & appetit, tanto se pauperiorem & morte plus suffarcinatũ esse profitetur. Nam qui plurimarum rerum indigus est, reuera etiam pauper est: ille enim qui pallio, sago, thorace, pileoque indiget, plurium rerum inopia laborat illo, qui galero tantum destituitur: & duo milites opibus pares si sunt, vnusque eorum omni ex parte armari velit, quis non videt indigentiorem istum eo esse, qui solum gladiũ sicamve desiderat? quiq;

mille

mille aureos concupiſcit, maiore auri ſiti flagrare illo cui decem ſatis ſunt? Ecce tibi itaque cur auarus, cur ſordidus, cur illiberalis tanto pauperior ſit, quanto locupletior ditiorque efficitur: nam quantum bona accreſcunt, tantum etiam illius cupiditatem creſcere augerique neceſſe eſt, & indies effici pauperiorē. Ille ergo qui plus veſtimentorū circumfert egentior eſt: nec enim illud accidere poteſt, niſi aut propter corporis aduerſam valetudinē, aut ſtatum aut conditionem id requirentem, aut ambitionem vnicè eo gaudentem & indigentem, ex quibus omnibus illud ſequitur inopem iſtiuſmodi eſſe, & ad talia vſurpanda compelli. Adam in paradiſo terreſtri corpore nudus erat, animam autem pulcherrimis virtutum ornamentis condecoratus, cumque nullius admodum rei indigeret, pauper nō erat, at poſtquam eo eiectus fuit, quemadmodum iam interius egenus erat, ita quoque exterius confeſtim inops eſſe incepit. Filij ſui indies de malo in peius ruerunt, & patre

S. Baſil. hō. quod Deus non ſit auctor mali. & S. Ambr. lib. 1. de Par. c. 13.

tre ipso pauperiores effecti sunt: nam pro pelle veruecis opus habent exuuijs bestiarum & plantarum: itaque cum parens habitu mœroris vteretur, isti plures multò sibi injiciunt, quod & sui curam non gerũt, & quod miserandum prorsus, in funebri pompa superbiunt atque inflantur. Verùm si omninò fieri potest, aperiamus oculos, excitemus dormientes, & fructum vberrimum huius considerationis non negligamus. Ille qui serico tegitur, auro riget, lapidibus pretiosis splendet, quibus sodes ille vestitus est, vnde gloriari, & se iactare potest, nisi de spolijs & spumis maris? quænã conuenientia inter corpus viuentis est, & putrefactas particulas quibus cõtegitur? quæ similitudo inter artem affectatam & simplicem naturam? Cùm simiam quampiã, aut struthiocamelum braccis indutum conspicamur, in risum soluimur, quod videlicet amictus iste naturalis non est; cumque eum bestijs adhibitum videntes, propter nullam conuenientiam & proportionem, in risum effun-

Multa vestes arguunt inopiam.

effundimur, quid amabo aliud quam nostros solœcismos ridemus? Nam miserum illud animal etsi nihil possit aut promereatur, scopus tamen nostrorum cachinnorum & sibilorum est: verùm si omnes bestiæ absurditates nostras notare, insolentiã in habitibus à nobis vsurpatis & excogitatis capere possent, si eodẽ modo ridere & propter vestimenta nos exsibilare, quæ eorum dorsis ac tergoribus detraximus, nostrisque imposuimus, quid tu obsecro dicturas illas esse arbitraris? quãto, sodes, iustiorem ob causam cachinnum tollerent, hominem bestia vestitũ cõspicantes? quid oues balarent vellere suo quempiam mirificè superbiẽtem vidẽtes? quid lupi vlularent, qd vulpes gannirent, quid feles baubarent, leones rugirẽt, boues mugirẽt, equi hinnirent, asini ruderent, totus deniq; bestiarum mũdus quid diceret; istiusmodi nonneminẽ pellibus suis vestitũ, calciatũ, & suffarcinatum contemplantes? quid struthiocameli, quid pauones clamitarent, si plumas suas, caudas, & alas in homuncionis cuiuspiam capite ac

galero viderent? Et si quælibet be-
stia iure suo vti vellet, sua vbicung
reperiret abducere, quid demũ pau-
peribus istis relinqueretur, asciti-
tijs tantum & mutuatis cultibus vt
Scenici & theatrales Reges exorna-
tis? Quid demum si intelligere pos-
sent mortalium ita plerosque emo-
tæ mentis esse, vt earum excremen-
ta vendere, ijs negotiari, vestimen-
taque perspergere non dubitẽt, quo
aliquanto gratiorem afflent odorẽ?
Iam verò quid tu cælum dicere pu-
tas intuens puellæ Christianæ mun-
dum muliebrem, & præcipuè caput
grauatum gemmis ac lapidibus pre-
tiosis, vt vano ita verè monstroso
fastu effictum & efformatum? crines
intortos & serpentum spicas imi-
tantes, erectos in morem vespertili-
onũ? vestes feneſtratas, distinctas,
variegatas, plicatas, & mille modis
deformatas & decoloratas? aures
traiectas, annulis flauentibus & al-
bicantibus grauatas, ac lapidibus
pretiosis insignitas? An istud est sui
qualitatem, suam conditionem, sta-
tum denique suum agnoscere istud
est?

est? hoc videlicet est modestiã Christianam conseruare, hoc pœnitentiam in terra exilij facere? an non est hoc fateri animam suam sordidam, leuem, inconstantem, & vanissimis nugis pastam? Et quid tu Iesum Christum capitibus istis serpentinis ridiculè deformatum, cincinnatis, & calamistratis putas facturum? quid cum auribus istis, fractis, circinatis, & perforatis? annon eas scopum quẽdam in extrema iudicij die esse volet, in quem omnium illusiones ac risus colliment? De antiquis Tartaris accepimus, quod pelles vnà cum ipsis pilis hominum capitibus detractas, loco palliorum aut prętegminum seu præligaminum quibus stomachum ac pectus foueret vsurparint, & quanto quis pluribus te suffarcinauisset, tanto magis graphicus & nitidus fuerit iudicatus. Tu verò si istiusmodi aliquem conspicari potuisses, quam præclarè risum non tenuisses? quàm lepidè barbaram illam stultitiam exibilauisses? an verò Angelos nostrorum hominum ineptiam & absurditatem conspicien-

Plin. lib. 7. ca 2. Habitus barbar.

ſpicientes non ridere putas centies iſtorum fatuitate maiorem? Illi humanis pellibus nullo artificio politis aut elaboratis induebantur, nos verò extrema curioſitate inſtigati, beſtiarum exuuijs amicimur: Illi vno genere contẽti erant, noſtra paupertas omnibus expleri non poteſt. Non eſt hoc alienis bonis abuti, mẽrorem ſuum pro lætitia vſurpare, & flagitia ac ſuperfluitates pro pompa & ornamentis circumferre? annon eſt hoc tanto ſe opulentiorem arbitrari, quanto pauperior ſis, tanto comptiorem & venuſtiorem, quanto pluribus pannis premeris & oneraris? An verò veſtimenta etiam noſtra tanti ſunt, vt propter ea inflari & efferri debeamus, cùm reuera ne minima quidem beſtiola non ſplendidius, non ornatius, non melius veſtita ſit, quam vel omnium huius mũdi comptulorum comptiſſimus? An verò beſtias tantum dico? Ieſus Chriſtus reuera amplius ait, quando Apoſtolis ſuis ſpem & curam omnem in Deo defigẽdam eſſe inculcabat: *Et de veſtimentis quid ſolliciti eſtis?*

Matt.6. 28.29. Luc.12. 27.

estis? considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neq; nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua compertus est, sicut vnum ex istis. Præfert ergo non modò tunicas bestiarum, sed etiam plantã agrestem omni Regum fastui & ornamentis, quantumuis auro, purpuraq; coruscãtium, & vestibus superbissimis cõdecoratorum. Quis verò veritatem istam arbitraretur nisi ipsa veritas euidenter docuisset? Age ergo eam intelligere studeamus, & glossam istorum verborum nõ perfunctoriè aut aliud agentes præteruehamur. Ait itaq; Dominus noster, lilia neq; nẽt neq; laborant, hoc est, eorum vestimenta sicut cæterarũ plantarum ac etiã animaliũ omniũ nõ arte ficta aut elaborata sũt, sed à natura formata, atq; excogitata. Tria ferè sunt quæ in quolibet vestimẽto perpendere solemus & considerare, facilitatẽ, vtilitatẽ, & pulchritudinẽ: lilia ergo suũ vestimẽtũ cõsequũtur ipso incremento, maxima facilitate absq; mutuatione, absque molestia, absq; labore: ignorant illa

cholum

cholum, textrinam non adeunt, fullonem non accedunt, nõ tinctorem, non limbolarium, non sartorem. Nunc illorum etiam vestimentum vtilissimum est: nam folia illa grandiuscula quę sub hyemem ad pedem enata sunt, non aliter quam densissimæ tunicæ solent, à frigore ea defendunt, sub æstatem verò eadem omninò iucundissimæ illa refrigerant, etsi sub id tempus alteri quoq; vsui sint: nam diu in altum excrescunt, erectoque caule cælum intuetur, primo suo cortice tenerrimo planè teguntur, non aliter quam nos delicato indusio, qui per folicula inserpens paulatim contegit, & velut tunica inuoluit. Pulchritudo autem ipsa in materia & forma consistit, quæ vtraque si vllibi, hic reuera excellentissimæ sunt: nam materia viuens seu vita prædita est, omnibus pannis quantumuis pretiosis vt Philosophis placet venustior atque nobilior: nec verò pro se tantum viua est, sed plantam quoque quam tegit, alit atque sustentat: ipse verò color, viridis, candidus & flauus, qui cum

muſco naturali in hac tunica repe-
riuntur, annon quodlibet tinctorum
artificium, quemlibet odorē phar-
macopæorum lōgiſſimo poſt te ſpa-
tio relinquunt? Forma porrò ipſa an
non mirabilis eſt? Nam menſuram
iuſtiſſimam habent, & proportionē
vna cum corpore creſcentem, nun-
quam deficientem, nunquam ſuper-
fluam. Veſtimenta autem Salomonis
nunquid ſimile quid præ ſe ferebāt?
Nequaquam: Erant enim propria
mendicorum, magna cum difficul-
tate & labore facta, à natura mutua-
ta, & arte elaborata. nō ſufficiebant
ea illi tempore brumæ, non calefa-
ciebant Regem ſuum, niſi ipſamet
ante luculēto igni admota fuiſſent:
non refrigerabāt illum, nec ab eſti-
uis caloribus defendebant, niſi ante
ſub tectum, & ſub vmbraculum cō-
fugiſſet: materia à mortuis petita e-
rat & nimioperè à corporis natura
diuerſa: forma autem ipſa curioſa:
& quid quæris? moleſta etiam, quip-
pè quę menſuram iuſtam excedebat.
Vides ergo iam nunc optime à Sal-
uatore lilium vnum Salomone

ipso ornatius esse. Vides quomodo bestiæ à natura amictæ ac tectæ melius nobis vestiantur, quos sarcinæ premunt vestimentorum. Vides vt earum cultus & habitus quam maximè naturæ conueniens sit, nostet autem immani cum labore ab arte elaboratus. Barba virum, comæ mulierem longè mihi crede, venustiorem faciunt & ornatiorem, quam mundus ille fœmineus & accita aliunde ornamenta, quæ à natura ijs data sunt: ipsa verò etiam corporis proportio, & membrorum viuus ac sanguineus color barba & capillis speciosior est, quia naturæ conuenientior. Salomon ergo in gloria sua coopertus purpura & serico, rigens auro, horrens adamantibus, flammicans smaragdis carbunculis lucens, sapphyris coruscans, & alijs lapillis quos hominum industria & vanissima curiositas pretiosos voluit appellari, non ornatum, non cultum, non vestem liliorum æquabat. Habitus illarum vitalis est, istius verò Reg quemadmodum omnium alio

Habitus naturæ artificiali speciosior.

Adæ filiorum mortalis & capitalis etsi aliquando regalis fuerit: am si Adam notorio illo inobedientiæ crimine se non contaminauisset, nec ipse, nec Reges, nec nos, istis ascititijs indigeremus : vestimenta illius erant, ait Sanctus Bernardus post Diuum Ambrosium, virtutes: delictum ergo illi necessitatem imposuit vt vestiretur, ad verecundiam contegendam : Hoc inquam delictum non modo Patrem sed filios etiam ad isthæc vestimenta confugere coegit : etsi vero planè verius sit posteritatem multitudine scelerum post primum progenitoris admissorum, eò erupisse, prorsus vt in obliuionem suæ conditionis prolaberetur, & cum gemere deberet tripudiaret : reuera non aliter quam si Iudæi flauis suis galeris, qui patribus suis in sempiternam ignominiæ notam imposti sunt, mirificè gloriari vellent, postquam eos serico concinnauissent, aut è materia splendida consuissent. Porrò Dominus quoque

Noſter qui paupertatem & vanitatē
noſtram, comparatione inter Salo-
monis & liliorum veſtimenta inſti-
tuta, luculenter demonſtrauit, in ſua
etiam perſona & corpore præclarè
Mat. 25. oſtendit omnia noſtra indumenta &
35. iuſdem cōditionis eſſe, & amictui
Marc. 15. protoplaſti multò quam ſimillima.
24. Ille enim duplici admodum veſti-
Luc. 23. mento vſus eſt, vno quod ei glorio-
34. ſa Virgo & Mater Maria conſuerat,
quodque poſtea in paſſione porta-
uit, & ſacrilegæ tandem militumā-
læ expoſitum victori ceſſit: alterum
Mat. 27. purpureum quo Herodes & Pilatus
28. eum induerunt, ſuperiniecta iuxtā
Luc. 13. in humeros alba ſtola, qua omnium
11. ludibrijs & cachinnis ꝓpinabatur
& velut criminis publici reus ſpe-
ctandus obijciebatur. Et quid obſ-
cro aliud hoc clamat, quid indicat
quid teſtatur, quam omnia ornamē-
ta & veſtes hominum, quorum pec-
catis grauatus ipſe fuit & oneratus
veſtes reorum eſſe, veſtes ludicrā
ſtultorum, & delirorum? Certè ſi
ut ij qui in carcere patre conſtitu-
ipſi quoque in carcere naſcuntur

nihil incommodi, nihilque molestiæ ex habitatione illa persentiscunt, sed hilares, sed exporrectæ frontis sunt. Sic nos filij tenebrarũ angustis huius mundi terminis circumscripti, stolidè in eo gaudemus & exultamus: etsi qui ingenijs melioribus non crasso illo aere nati sunt, facillimè agnoscant, vbi gentium, vbi loci res nostræ sint atque versentur. Certè magnum & illustre illud nomen Thomas Morus Cancellarius quõdam Regis Anglorum eum propter religionem carceri mancipatus, omnibus bonis euersõ, & dignitatis insignibus spoliatus, quotidiè mortem præstolaretur, & aliquando à compluribus Dominis magnoperè ipsi compatientibus visitaretur, nihil aliud post grauissimè nonnulla dicta respondit, quãmundum hũc vniuersum carcerem esse, in quem è Paradiso depulsi omnes simulac nascimur, conijcimur, & ineuitabili necessitate rursus egredimur causam nostram coram Iudice immortali acturi: se autem quam maximas Deo gratias agere, quod ex

Sand. l. 1. de schis. Angl. 1533. Hen. 8.

duobus malis minimum sibi elargitus fuerit, seque in angustum potius quam in vastum illum ac spatiosum carcerem compegerit. Quanto ergo melius diuini iudicij vir conditionem vallis huius miseriarum agnouit, quam mundi illi aulici, & carceris olidissimi immò Augiæ stabuli inquilini?

Plurimis iudicijs & legibus mortis terrorem Deum mundo iniecisse, quo peccata puniret & extirparet.

COLLOQVIVM XXIX.

THEO. VIDEAMVS nunc quomodo eadem diuina prouidentia virga hac vsa fuerit, vt effrenes illos mundi inquilinos coerceret, inque officio contineret: dum saepenumerò morte non communi aut vulgari, sed violenta, sed prodigiosa in facinorosos animaduertit, quò extraordinaria eos poena afficiens, extraordinario mortis terrore ad quidlibet aut facien-

dum

dum aut patiendum proiectos à peccatis criminibusque grauissimis abstineret. Ideo enim vastam & immanem illã aquarum conflugem & cataclysmum in Biblijs decantatum mundo perdito & profligato immisit, quo singularem & ęternum generi humano mortis ac vitiorum terrorem inijceret: hanc etiam ob causam Pentapolim Sodomorum & Gomorrhæorum cælitus delapso igne cremauit ac expiauit: Eapropter mari vt Pharaonem & populum illius inuolueret, exercitumque numerosissimum absorberet præcepit: terræ vt faucibus diductis & hiatu aperto ambitiosa & rebellia illa nomina Dathan, Core, & Abiron cũ ipsis tabernaculis ac omnibus bonis deuoraret: Serpentibus vt murmurantes & helluones vita priuarent, pro qua lautè sustentanda tantum turbarũ dederant, & iustitiam diuinam irritarant. Iam cũ leges populo Hebræorum perferret planè sibi etiam faciendum putauit, vt mortis comminationibus eas stabiliret, & à nefarijs earum transgressoribus

Diluuiũ iudicium vniuersale. *Gen. 7. 17.* *Gen. 29. 23.* *Exod. 13. 23.* *Num. 16. 31. 32. 33.* *Num. 2. 17.* *Exod. 11. 12. 14. 15. 16.* *Leu. 29. 9. 24. 17.*

inuiolatas conseruaret: cumq; iam etiã lege gratiæ post S. Spiritus missionem promulgata populum Christianum in libertatem liberali manu vindicauisset, annon etiam hoc remedio Ecclesiam suam confirmare voluit, quando Ananiam cum vxore morte subitanea castigauit? Denique si omnia mundi sæcula, si temporum ætates, orbis angulos, populos, Respub. & Magistratus vniuersos intuearis, reperturus es vbiuis non leuiter huius timoris impressa vestigia, sed ad æternam posteritatis memoriam altissimè defixa, quo peccata eliderentur, & flagitiosi à mandatorum ac scitorum suorum violatione cohiberentur. Etsi ipsa experientia præclarè etiam nos doceat, quam potens hoc frenum sit ad omnibus flagitijs cursum ac impetũ inhibendum: vides enim planè ijs in locis vbi iustitia accuratè administratur, sontes & scelerati morte è medio tolluntur, florere virtutes, flagitia autem quam longissimè depulsa exulare: è contra verò vbi timor iste hominum animis insitus non

Act. 1. 3. 7.

Experientia docet mortis meditatione peccata cohiberi.

non est, omnia pessum ire, & in quolibet flagitiorū genere vnūquemq; volutari. Itaq; si illud etiam humanæ leges mortis comminationibus consequuntur, vt improbissimorum hominum audaciam infringant, ab ijs violandis eos abstineant, ad officium suum præstandum compellāt: quantò omninò magis ac iustius sāctū hoc mortem meditādi institutū, apud Christianos valere tantum debet, vt non modo manus & pedes, sed animos etiam ijs cohibeat, ne vllo modo in præscripta legum diuinarum impingant? Nam scita illa quæ ab hominibus perferuntur, tanti reuera nō sunt, vt omnibus illa timorem istiusmodi injciant, cùm non modo Principes & Monarchæ impunè ea violent, & veluti maiores vespæ ac crabrones aranearum telas perrumpant, sed optimates etiam sed opulentiores, siquid contra ea admissum est, continuò id pecunia soluant ac expient, at plebei quoque astu ea elabātur. Idcircò mortis isthæc consideratio non nisi in certo hominum genere obtinet, ea autē

Magnates impunè leges violant.

que à Christianis frequentari debet, quam planissimè tibi persuade, istiusmodi est, vt tibi demonstret mortem omnibus omninò rebus interitum adferre, æquare sceptra ligonibus, & inter funera rationem non habere: quodque nemo in vasto | hoc mundi theatro reperitur eam qui effugiat, aut propter opes, potestatem, gratiamque euitet, aut astu aliquo modo declinet: quod tempus ad viuendum concessum breuissimum sit, hora egressus vt incerta ita semper præsens: quod ea ianua sit per quã immediatè cœleste illud & rigidum consistorium ingredimur, sententiam capitalem aut verò salutarem de nostris actionibus, dictis, & cogitatis excepturi: quodque demum eodem in iudicio qui præsidebit ipsa potentia sit contra rebelles, ipsa iustitia contra facinorosos, puritas contra libidinosos, sapientia contra insensatos, pietas contra incredulos, doctrina contra peruersos: quodq; in hoc iudicio & paradisus bonorũ & infernus malorum vertit. Hæc denique medi-

Rigidum iudiciũ post mortem.

meditatio conſcientiam multò fortius quam humanæ leges conſtringit, hominemque nõniſi cũ tremore & remorſu peccato ſe obſtringere facit & contaminare: itaque dum per hanc quilibet ſciam nunc in hoc mũdo cum patre Adam morti temporali videt eſſe adiudicatum, niſi prorſus ſenſus cõmunis expers eſt, ſtudioſè prouidet ne æternæ quoque morti adiudicetur. Reus quiſpiam qui iamiam extremo ſupplicio multandus eſt, niſi omninõ grauiſſimo letargo ac animæ veterno opprimitur, ſerio operam illud dat, vt conſcientiam peccatorum ſcrupulis & ſarcina liberet, & quantum fieri poteſt ſtudioſſimè vſque ad ipſum ſupplicij locum morti imminenti accingitur ac præparatur. Iam aũt nemo admodum eſt, qui nõ manifeſtè ſententiã illã definitiuã ſibi inſcriptam reperiat, ſe ex materno vtero hanc condemnationem collo appẽſam mũdo inferre, & quolibet tempore, quolibet loco, de medio poſſe ſuſtolli: mortemque ipſam latronẽ Lunaticam eſſe, quæ nullo diſcri-

Simile à reo.

Mors latro lunatica. Simile.

mine horarum aut locorum supplicia sua à mortalibus exigat, iustitiamque in humanum genus exequatur. Et quemadmodum in causis criminalibus videmus, nonnullos tempore aliquo post condemnationem elapso ad supplicium educi, & plerumque horis diei diuersis: nonnullos etiã ipso in facto, sicut excursores militares, infelici arbori appẽdi: Ita etiam humano generi in hoc mundo aduenire videmus: quod cũ olim à supremo iudice in Adamo condemnatũ sit, hinc illud est quod nonnulli sub vesperam senectutis, nonnulli in meridie adolescentiæ, alij sub diei initium vt iuuenes & impuberes, & plerique etiam eo ipso tempore quo esse suũ acceperũt, & in ventre matris vitam hauserũt, in sepulchrum deferantur, morte afficiantur, & lucis communis fura priuẽtur. Sunt ergo iustitiæ illius executores, aqua, ignis, aer, terra, bestiæ, homines, angeli, & omnes creaturæ, nulla omninò excepta ac immuni. Illud verò vt admirabile prorsus est, ita accuratè memoriæ

Nullus hominũ diem integrum vixit.

nostræ

nostræ & animis omnium infigendum est: nam quemadmodum ita ferè in causis criminalibus fieri amat, vt reus eodem die quo condemnationis sententiam excepit, morte afficiatur; ita sicut præclarè S. Iustinus Martyr & D. Irenæus aduertũt, nullus omninò hominum secũdum Dei Calẽdarium integrum diem vixit, post mortis sententiam in protoplastum Adamũ perlatam. Mille anni quemadmodum Apostolus cũ S. Dauide ait, annum vnum coram Deo constituunt, itaque hanc interpretationem secuti neminem omninò reperire possumus qui ad hanc ætatem pertigerit. Itaq; ipse Adam postquam fructum vetitum comedisset, mortuus est antequam dies efflueret, sicut ei Deus fuerat comminatus: nam annos 930. vixit, plures assecutus non est. Mathusalem verò etsi longiorem ætatem duxerit, nongentesimum & sexagesimum nonum attigerit, millesimum tamẽ nõ aspexit: nostra autem tempestate qui plurimum & pedibus valuerũt, & peregrinando obiuerunt, ad cen-

Iust. in Triph. S. Irenæus l. 5. cõtra Hæres.

2. Pet. 8. Ps. 89. 4.

Gen. 2. 27.

tesimum vsque annum decurrunt: abijcientes cæterum scipionem suũ, & hospitium sub magnæ Falcis intersignio ingredientes; vbi hospitam præter morem aliarum argillaciam inueniunt, quæ tametsi nihil eis ad manducandum apponat, symbolum tamen sibi solui vult nó crumena sed pelle. Quod ergo nos excitatorium certius sumus habituri? quam buccinam clarius resonãtem & immugientem? quam impressionẽ & conclamationem terribiliorem, quam egressus nitius meditationem? iudicij considerationem, noctis contemplationem; quo à graui veterno si ei immersi sumus excitemur, aut si vigilamus, in eum saltem non incidamus? Si reus quispiam sceleris sibi conscius timore percellitur, & ante mortem suam iam animo linquitur ac moritur, quoties iudicis sui potentiam, scientiam, & æquitatem cogitat, quid nobis faciẽdum est qui confestim à morte ei nos præsentãdos scimus, qui non ipsa tantum sed infinita etiam iustitia est, qui omnes

Mortis meditatio excitatorium est.

iuris

iuris apices numerauit, omnesque quam accuratissimè seruari vult? qui cuncta nostra peccata aspicit, eaque punire vult? qui sententias perfert & exequi scit? qui infinitè sanctus, infinitè iustus, infinitèq; potens est? Quam studiosè rerũ nostrarum obsecro satagere debemus, & attendere num aliquid nobis adhæreat, propter quod æterna ignominia affici valeamus? quam diligenter, quam sedulò sapientum consilia exploranda sunt, testimonia ac tituli locupletes cõquirendi, quam anxiè omnes modi circumspiciendi, quibus hunc iudicem facilem reddere queamus & misericordem? Quid ergo cunctamur? quid agimus? quid cogitamus? vbi intellectus, vbi prudentia nostra est, si hæc non intelligimus, si gratia, si virtutibus, si iure non instruimur?

Mor-

Mortem cum præparatione metuere, prudens vigilantia est, & verus modus eam vt intrepidè præstoleris, & demum victor illius euadas.

COLLOQVIVM XXX.

THEOL. DIc tu mihi nunc amabo, quid facturus ille est, qui sæpenumerò momẽta istius rei examinarit, & ob oculos sibi posuerit, nisi vt anxiè & vigilãter iter arripiat, nunquã vt in eo cespitet, nunquã impingat, nunquam in via tam breui labatur, quæ ex carceribus vteri materni vsque ad sepulchri metas porrigitur: ne ex improuiso à latrone illa occupatus opprimatur, quæ continuò clam illi iugulum inuadere molitur? Si quispiam in horas singulas inimicum suum præstolaretur, an tu eum securè super loricã dormiturum esse existimas? At nos quolibet momento mortẽ expectamus aut saltẽ expectare debemus, an ergo quidquid impedimẽtorũ est nõ remoturi sumus, non arma comprehensuri? an eam non formidaturi, hoc

hoc est ne nos opprimat, ne imparatos ad rebus humanis emigrandum inueniat? Nec tu mihi verò timorem hunc ignauiam interpretere, sed sãctam, sed fortẽ, sed religiosam prudentiam: qui enim Præfectus belli aut Capitaneus istiusmodi est vt armis suis noctu & interdiu hostem præstoletur, hic demùm reuera prudens & magnanimus existimatur. Iphicrates Athenienſis laudatissimus Imperator pacis etiam & induciarũ tempore, imò amicos inter ac necessarios propugnacula extruebat, excubias agebat, speculas occupabat, & reliqua omnia defensionum militariũ capita accuratissimè tractabat & exercebat, non aliter quam si vndique periculis vallaretur, & hostibus cingeretur; cũque ex familiaribus suis aliquando non nemo sciscitaretur, ecquid timeret, respõdit, ne ex improuiso inuaderetur, & aliquando eò res suæ prolaberentur, vt ad triuialem illam maleferiatorum hominum excusationem confugeret, id futurum non suspicabar. Apostolus in hac vitæ pugna multò quam

Dictum Iphic. ex Plut. de dictis Reg. Imperat. bonus sẽper excubat.

Non cogitaui, communis imprudentum excusatio.

quam exercitatissimus nos exhor-
Mat.24. 45. tatur dicens: *Cum timore salutem vestram operamini*; id est, Aduigilate, timete, aut potius in timore viuite, ne in extremo die intercipiamini, & Deũ offẽdatis. IESVS CHRISTVS supremus Capitaneus qui omnium victoriſſimè è ventre matris ad mortẽ decurrit, ſæpenumerò Apoſtolos & Diſcipulos ſuos docebat, & per eos vniuerſum genus humanum dicens: *Vigilate & parati eſtote, quia neq; diem ſcitis neq; horam*. At vide mihi nunc hoc loco ſit rem admodum mirabilem, præparatorium videlicet metum iſtum inſignem animi magnitudinem cõtra mortem generare: cuius quidem rei etſi innumera exempla ſunt, nos tamen ex maximo eorum cumulo quę illuſtriora ſunt in rem præſentem
Ruff. Vit. PP. Palladi⁹ vita 19. & 20. adducemus. Author eſt Ruffinus in Hiſtoria quam de Vitis SS. Patrum conſcripſit D. Macarium Alexandrinum adeò felices in hac ſchola progreſſus feciſſe, nullum vt in ſe mortis aut diaboli proaui mortis horrorem experiretur: nam cum qua-

quadam vice à nocte in deserto oppressus alio diuertere non posset, in sepulchrum se abdidit, vbi meditationi mortis impensissimè vacans ac somnium capiens, mox strepitum & collisionem ossium à diabolo excitari sensit, quantam præter eum nemo perferre potuisse videatur: at mansit ille tamen, neque vllo modo hospitio se expelli ferens, fortissimus athleta tres hostes terribiles, Mortem, Diabolum, Noctemque contempsit. Iam de Philotomo Sacerdote Galatino narrat Palladius adeò firmo eũ robore cõtra mortem polluisse, sex vt ipsos annos in sepulchris agere nõ dubitarit. An ergo illud etiam iam non dicere posse videmur, hominem hac mortis meditatione tantum virium, roboris, ac neruorum sibi acquirere, vt de morte victoriam referat ac triumphum agat? Etenim cum nunquã non paratos, à peccatis perpurgatos, ac virtutibus armatos inuenit, naturam quidẽ terrefacere potest, de medio tollere, corpus eripere, spolio hoc gaudere, at ijsdem animæ

Pallad. in Vitis Patrũ Vita. 113.

Mors cũ paratos inuenit, nocere nõ potest.

animæ noſtræ portam & aditum ad cælum facit, & ad reſtituendum nobis corpus noſtrum ſolutum mortis legibus, immortale, & triumphans obligatur. Nunc quemadmodum diligens illa prę paratio hominem imperterritum facit, ita è contra ignauia nimio quantum puſillanimum & vltra modum reddit meticuloſum: atque hinc omninò eſt, quod qui eiuſmodi ſunt, ſolo mortis nomine audito terrefiant, palleant & contremiſcant, non aliter quam ſi lupum ex improuiſo conſpexiſſent. itaque nunquã de ea ſermonẽ inſtituí, nũquam de Paradiſo etiam verba fieri volunt, ne fortè mortis mẽtione immixta eam cæli portam eſſe aſſeratur; vnde meritas omninò ignauiæ ſuæ pœnas luunt, ac quantò propius ad mortem accedunt, tantò abiectiores, ſegniores & infirmiores ad illius impetum ſuſtinendum efficiuntur. Sequitur nunc magnanimitatem ac fortitudinem illam alter fructus qui ex conſideratione iſta promanat, videlicet odium maximum, quo peccatum non modo exe-

Conſtae ratio mortis cõdiũ pec cati generat.

execramur, sed etiam effugimus ac deuitamus. Dum enim illud latere nos non potest peccatum mortis causam esse, ac tãtum etiam in morte horrorẽ inesse cognoscimus, colligimus planè, & consectarium esse arbitramur, peccatum mirabiliter enorme esse oportere, cum effectum adeò fœdum sit ac metuendũ, planè vt ex fructu malo arboris malignitatem metimur: sicque cognitionem effectus & causati assecuti, odio mirabili in causam ferimur, & peccatum, cuius turpitudinem in morte velut in impressa imagine contuemur, execrantes sancta & religiosa iracundia stimulamur ad id oppugnandum penitusq; profligandum: sicque spirituali quodam modo Moysen imitari possumus, qui cum Deo præcipiente serpentem cauda apprehendisset, protinus eũ in virgam trãsmutari, illam tot miraculorum postea ac rerum stupendarum effectricem, & reapse vnicam Pharaonis domitricem. Serpens nãque iste peccatũ significat, qui inter omnia animalia primum Sathanæ

mille

milleartificis fuit instrumentum. Cauda verò serpentis seu peccati mors est, quia finis & effectũ peccati est, caput autem ipse diabolus radix & origo peccati vniuersi: Serpentem ergo cauda tunc arripis & apprehendis, cùm seriò mortis meditationibus incumbis, quibus adiuuante gratia Dei, qui eam arripere nos iubet, in virgam mirabilium operatricem conuersis, spiritualem Pharaonem Diabolum expugnamus, vires illius frangimus, ac regnũ eius funditus pessum damus, & quod caput sermonis nostri erat, magnanimi contra insultum huius hostis efficimur, & postea quoque victores.

De causis mortis.

COLLOQVIVM XXXI.

PHIL. TETIGISTI tu planè in hac dulcissima suauissimaque dissertationum tuarum harmonia atque concentu chordam præ reliquis, quam magnoperè pulsa-

rivt audiam, & mortis causas luculenter cognoscam, aueo atque expecto. Nos enim qui in Philosophorum & Medicorum verba iurauimus, alias longè quam peccatum causas allegamus. THEOL. Nætu verò me egregiè exhilaras & gaudio singulari prorsus perfundis, dum ad hanc me tabellaturam remittis, quò breuiter tibi fidei nostræ caput pulcherrimum explicem, & veterum nonnullorum hæresiarcharum commenta explodam, quæ nostra adhuc etiam tempestate in nonnullorum maleferiatorum cerebris obtinere mihi videntur, iuxtaque tibi nostri ç scholç placita explicem super corporis humani excellentia atque præstantia, herculè nostri ipsi' cognitione pulcherrima, & ad liberalitatẽ Creatoris nostri, peccati magnitudinem, ac subiectũ mortis perspiciendum mirum quãtum accommodata. Nos autem qui à Theologia sumus, cum de morte verba instituimus, causas morales intelligimus, non naturales i las quæ à Medicis aç Philosophis ferè adfe-

Diuersa causa vnius effectus.

adferuntur. Ac primum quidem latere te non potest, plures sæpè vnius effectus causas assignari: vt cum de Hæretico combusto verba facimus, causa efficiẽs mortis illius est iustitia, & executor, qui gladium portat: mortalis materialis est flagitium, quo Iudex prouocatus carnifici eũ tradidit, naturalis est dissolutio corporis per ignem, qui corrupta harmonia, quatuor admodum qualitatum, & exucta humiditate primum nata, calorẽ naturalem expulit, animam corpore eiecit, & mortem cõciliauit. Itaq; cum Anacreonta grano vuæ strangulatum veriùs bibendi assiduitate suffocatum dicimus, causam moralem intemperantiam assignamus: naturalem verò instinctionem caloris naturalis in vino submersi. Veterum ferè æuo qui Philosophiæ studijs animum oblectabant suum, aliumque librum non legebant quam naturæ istum, (etsi vix bene nec accuratè satis eũ legere non dico intelligere possent, (propter corruptionem & fastum) mortem naturalem esse asserebant, qui

vide-

videlicet nihil præter naturam cõspiciebant, quæ causas istas infert, videlicet contrarietatem humorum ex quibus humanum corpus componitur, & continuam diminutionẽ humidi radicalis, quo deficiente calor etiam naturalis extinguitur, dũ cui inhæreat non habet, & anima alio euolans mortem generat : prorsus vt domesticus noster ignis, lignis aut materia subtracta extinguitur, quippè qui cibo necessario ad se nutriendum atquè pascendum caret. Hallucinantur itaq; grauiter admodum, dum hominem mortalem sẽper fuisse affirmant vti nunc est, & eundem cum bestijs naturæ titulũ ac ius habuisse, nũquam vt corpus fuerit immortale.

Error Pelagij Adamum mortalem creatum fuisse asserentis. Adam eo die quo peccauit mori incœpit.

COLLOQVIVM XXXII.

PELAGIVS natione Anglus, professione hæreticus, Sectariorum more plus in Philoso- THEO.

phicis quam in Dei Eccleſia videns, eam admodum ſecutus eſt opinionē quam Naturales illi & nonnulli noſtro æuo ex Lutheranis propugnādā ſuſcipiunt ac defendendam. Hæc opinio apud Philoſophos à fidei veræ cognitione alienos error erat & veritati contradicebat: in noſtris autē qui Chriſtiani profeſſione ſumus eā obtinere hæreſis eſt & fidei Catholicæ ex diametro oppoſita ſententia. Scriptura namque ſacra, quæ liber eſt doctiſſimorum omnium & Philoſophorum Chriſtianorū, perſpicue & euidenter doctrinam iſtam inuexit cum ait, *Quoniam Deus mortem non fecit*, item, *Deus hominem immortalem fecit*: quorum nos admodum verborum interpretem locupletiſſimum D. Paulum habemus, cum ait, per hominē peccatū mundū intraſſe, & per peccatū mortē. Loqui autem eū de morte corporis, meridiana luce clarius eſt: vnde illud euidēter cōſequitur hominem ante peccatū immortalē fuiſſe, non modo, quantum ad animā quæ mori non poteſt cum ſubſtantiæ immate-

Adam creatus fuit immortalis. Sap. 1. 13. Rō. 5. 12.

ria-

rialis sit, & idcirco morti exempta, sed etiam quoad corpus: mortemq; adeo ipsam in primi hominis corpore & suæ propaginis possessionẽ non accepisse ante crimen peccatumque designatum. Iam si homo mortalis creatus fuit, inutiles illæ Dei Omnip. minæ erãt, quibus mortẽ ei intẽdebat, si è vetito ligno fructũ esset comesturus. quid opus erat huius pœna meminisse, huius cõminationis frenũ adhibere velle? poterat nãq; Adã respondere, Probe ego admodũ moriturũ me scio, etsi fructũ istũ non gustauero; vnde liquet Legislatoris illam cõminationẽ efficaciæ nullius esse debuisse: nõ aliter quã si Iudex ei quẽ iã morti adiudicauit, dicat, si cõtra meum præceptum istud designaris morte afficieris, itaque si reus malefaciẽdi adhuc cupidus est, quo minꝰ id faciat, à nemine prohibetur. Nam facile ipse cum animo suo hæc cogitaturus est, etsi benefecero, mortem tamen effugiturus non sum: minæ istæ nouitiæ non sunt: alteri eæ qui condemnatus necdum est, intententur,

Si Adam mortalis creatus est, frustrã Deꝰ mortem ei minabatur.

mihi eas adhibere ſuperuacaneũ eſt, qui iam collum reſti inſerui. Quibus admodum efficitur, poſtquam Deus protoplaſto comminationem iſtam ceu frenum quo in obedientiæ gyro eũ contineret iniecit, dicens: *In quocunq; enim die comederis ex eo* (ligno) *morte morieris*, hominẽ fuiſſe immortalem; alias minæ iſtæ & rationis & verò etiã vtilitatis fuiſſent expertes, quod de ſuprema illa ſapientia cogitare tantum ſacrilegũ ſit. Eodem ergo etiam die quo peccatum commiſit, mori incępit, nõ quo ad animam tantum, cuius mors peccatum erat, gratia Dei vera animæ vita expulſa, ſed quoad corpus etiã quod tunc priuilegijs ſuæ immortalitatis ſpoliatũ atq; exutum ad mortalis naturæ conditionem deuolutũ fuit, & mortis laborem inchoauit, quotidiè languens atque fatiſcens, in hac miſerrima vita mortuus verius quam viuus, donec nongentis triginta annis poſt ſuam condemnationem obſitus ſpiritum exhalauit: quod omninò ſpatium, ſi noſtrorum horologiorum punctis ac momentis me-

Gen. 2. 17.

S. Aug. l. 12. Gen. ad Frã. c. 32.

S. Thom. 2. 3. q. 164. art. 18. m.

metiaris, longum videri potest: verum ante Deum ne vnum quidem diem constituit, sicut antea fuit declaratum.

Quomodo homo planè immortalis factus fuerit. Pelagius condemnatur.

COLLOQVIVM XXXIII.

NVNC etsi homo immortalis fuerit, tam propter animam, quã corpus ipsũ, magna tamẽ inter duas has immortalitates differentia fuisse nobis vidétur. Animæ enim illa perfecta & absoluta erat, naturalis, & exceptione carẽs: corporis verò cũ Si data, hoc est, si Adã Deo morem gereret & præcepto diuino obediret: & ideo D. Augustinꝰ quæstionem hanc tractans, ait, Homo immortalis erat, quia mortem euitare poterat: verùm immortalis per beneficium ac priuilegium à suo Creatore acceptũ, & mortalis propter naturam corporis fabrefacti ex partibus contrarijs, & causas mortis generantibus: ad quã infirmitatem corrigendã Deus animæ vim super- THEO

naturalem indidisset, cũq; alijs gratijs cœlestibus partem ei ligni vitæ inseuisset, quæ corpus cõpegisset,& nodũ pacis immortalẽ inter has qualitates sua natura seditioni domesticæ studentes, & bello intestino mutuò se conficere cupiẽtes continuisset:si homo fidẽ ei datã nõ violasset. Atq; hoc illud est quod Deus ei exprobrauit, & ob oculos statuit, quando condẽnationis sentẽtia perlata durã hanc conclusionẽ subiunxit, *puluis es & in puluerẽ reuerteris*, ac si dixisset, Fecerã te ego, quę liberalitas mea fuit, omnibus numeris immortalẽ cum altera naturæ tuæ pars puluis esset & mortis legibus subiecta, nũc verò quoniã priuilegijs te meis indignũ ostendisti, mãdatũ meũ neglexisti, iure tuo te spolio, sicutque antea eras mortalem te facio, corpus caducum, & putrefactioni obnoxium relinquo, animam immortalẽ esse permitto. Atque in hunc modum ait D. Augustinus, mors pœna tantum Adami fuit cõstituta & imposita contra suam naturam priuilegiatam immortalitate,

Gen. 3. 19.

Aug. lib. 13 de ciuit. Dei Mors pœna Adami & filiorũ suorũ naturalis possessio.

te, ad delicti commissi expiationē: filijs autem suis non modo pœna, sed etiam naturalis est, quo illius causas in natura corruptibili circumferunt, quæ corpus est, priuilegio paterno dudum perdito spoliatum: planè quemadmodum filij patre nati cui ob flagitiū nobilitas fuit ablata, pœnā hanc sufferunt & plebei natura sunt, cū parens forte fuerit & punitione tantum, & animaduersione. Veritati sacrarū literarū proinde reclamare, hoc est, statuere hominem istiusmodi fuisse, qualis nūc est, & eadē ratione mortis legibus illigatū extitisse. Repugnat hoc fidei Ecclesiæ Dei, & hæresis est, id credere, quod quondam in concilio Mileuitano anno supra quadringētesimum sexto celebrato, fuit condemnatum, cui D. Aug. interfuit, & 1. cap. cōdemnationis verba hæc habet. *Quicunq; dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.*

Error Pelagij condemnatur. Concil. Mileuit.

Ecce tibi verba concilij, & decretũ Ecclesię, quę veritatis supremũ Parlamentum est.

Deum hominis corpus immortale fecisse.

COLLOQVIVM XXXIV.

THEOL. FACTVRVS nunc operæpretiũ mihi videor, si huic materiæ nonnihil inhæsero, tum quo luculentiorem instructionem fidei nostræ tam in Creatoris nostræ liberalitate cognoscenda, quam in nobismet ipsis probè perspiciendis, accipiamus, & euidẽter prorsus demonstremus, supremã illam sapientiam, quæ disponit omnia suauiter, in mensura, numero, & pondere, sibi maximè conuenienter hominem immortalem modo supradicto procreasse. Nam cum in omni suorum operum productione, inter materiã & formam, corpꝰ & animã pulcherrimam planè symmetriam, & ad cuiusq; creaturæ finem consequendum accommodatissimam obseruasset, instruens materiam qualitatibus & in-

Sap. 8. 1. 11. 21.

Proportio formæ ac materiæ in omnibus creaturis.

& instrumentis aptissimis ad virtutibus & facultatibus formæ subseruiẽdum, necesse prorsus erat singulariter vt eam comprimis q; in homine ceu creaturarum Principe iret vsurpatum. Videmus certè in lapidibus, plantis, & bestijs mirabili eã prorsus societate & conuenientia copulatas duas has partes adiunxisse, & proportionem fini ipsorum quam maximè congruẽtẽ adhibuisse: addidit enim lapidibus grauitatem quo ad centrum suum quieturi vergerent, ac delaberentur; igni leuitatem quo ad sphæram suam sursũ ascenderet & emicaret: pisces alis aquaticis, vt natarent, aues vt volarent, bestias pedibus, vt ambularent pulcerrimè instruxit. Adamas forma rariore & excellentiore quam marmor dotatus est, finique etiam longè nobiliori destinatus, quippe qui maioribus virtutibus pollẽs ad hominem exornandum aut vsui æquè preclaro procreatus sit: marmor autem minoris virtutis ædificijs tãtum natum sit condecorandis. Ea omnino causa in corporibus est, cur

Proportio formæ & materiæ in insensibilibus.

vnum altero durabilius, firmiusque natura efformarit. Malum punicum formæ excellentissimæ est, dum non modo ægros reficit, sanos recreat, sed quoad exteriorem etiã fini suo respondentem proportionem insignia Regis inter fructus præfert, coronam scilicet & purpuram. Aquila animæ nobilis ac generosæ corpus qualitatibus suis conueniẽtissimum habet, grande illud, vastũ, forte, agile, rostro vnguibusq; armatum, quo præclare in pugnis ac certaminibus versari, ac strenuè possit dimicare: alas adhæc habet quibus infra nubes ferri possit, & super eas euolare. Lucius anima rapaci & prędatorio præditus, corpus ad vim faciendam expeditum accepit, ilia ad natandam agilia, os dẽtibus cumprimis instructum & acutissimis hamis in rapinas obarmatũ. Anguilla lenta & desses ne magna moliatur, corpus. n. ipsum conuenientissimũ ignauiæ habet & quod solum ad lubricandum labendumque datũ esse videatur. Leo pugnax & bellicosus, robust' ac crudelis, corpus

Proportio formæ ac materiæ in animatis.

pus mensurã animæ habet exactissimã, nimirum ossibus firmis ac validis, plenis & medullæ expertibus, & adeo duris, vt impacto in ea ferro ignem effundant non aliter quam globus tormentarius, è musculis probe contextum, neruis fortibus ac robustis cõnexũ, vnguibus terribilibus armatum, dẽtibus acutissimis instructum, quo in certaminibus animæ satis facere possit. Lepus animi meticulosi, cũ nullis à natura corporis armis munitus sit, pedũ tamẽ agilitatẽ accepit, lanceã reuera illã ignauorũ. Porcus helluo & gurges est vt larido & carne abũdet, corpus totũ gulã tantũ & ventré arbitreris, quo id vt sedem habere & venatoribus opimã prædam relinquere possit. Simij animi ac ingenij præ cæteris animantibus lepidi & ridiculi, corpus appositissimũ ad risum excitandum habent, & secundũ animæ prototypon efformatum: nõnulli glabrum id habent: nonnulli cercopitheci longam & prolixam caudã trahunt: pedes autẽ cum nec manus nec pedes sint, ad vtriusque

Arist. 3. de hist. c. 7. & 20. Galenus lib. 11. de vs. c. 18.

tamen similitudinem accedunt: facies eorum nec hominem plane nec bestiam refert, plicata, aspera, verrucis, lanugine obsita, gula hialca ad aures vsque, demum extremæ turpis ac artificiosissimæ & iucundissimæ deformitatis. Elucet autem clarè & euidenter in istis admodũ magni illius artificis sapientia, qui corpus adeo perfecta cum anima symmetria copulauit: & existimandum prorsus ac pro certo habendũ est, eandem à Deo conditore in minimis etiam bestiolis adhibitam esse, etsi à nobis deprehendi intelligique nõ possit. Sequitur ergo, animã & corpꝰ hominẽ eadẽ illud proportione copulasse, & cũ qualitatũ pulcerrima correspondentia cõposuisse & coagmentasse: Et quoniam anima speciosissima Creatoris i suimaginem impressam circumferebat, conueniens erat eam corpori eiusdem pulcritudinis & immortalitatis inseri: Atque si is, qui vas pretiosum habet aliquod, honesta id sibi & splendida pixide arbitratur esse asseruandum, an nos Deum oblitum fuisse

fuisse existimabimus, vt naturã hãc excellentissimam, insculpta diuinitatis lineamenta circumferentem hospitio digno excipi vellet & honorari? Ferunt Alexandro Magno, cum victor bello contra Darium gesto excessisset, Imperatorum quẽdam, auream ei capsam gemmis mirabili artificio distinctam & inter spolia repertam, dono obtulisse: quã vbi rex intuitus fuisset, munus admirans ait, Næ verò digna pixis hęc sit, quæ Homeri poema concludat? putabat videlic. ille poema illud q̃ mundi omnibus poematijs nobilissmũ ipsi videbatur, nobilissima plane cista esse asseruandum. Iam si carmen, quod animæ solum pictura quædam est, adeo honestè huic custodiendum videbatur: quanto omnino iustius animã protoplasti purã & innocentem, qua nihil nobilius, nihil cœlestius in terris, nihil quod excellentiori fini destinatum foret, reperiebatur, thecæ tali inseri conueniebat, quæ pulchritudinis rarissimæ, durationis immortalis esset, nũquam vt se nudam inueniret, sed idcir-

Plut. in vita Alexãdri.

idcirco creata, vt corpori innexa maneret, & cum eo beatitudine immortali perfrueretur, necesse erat subiecto eã affini & qualitatib⁹ suis proportionato copulari, & tanto melius apposito & congruentiore, quanto societas firmior erat, & finis reliquos omnes longissimo post se spatio relinquebat, qui est visio Dei propter quam homo in hunc mundũ fuit introductus. Erat hoc admirandũ plane & primum matrimoniũ, quod miraculo singulari Deus suã vim potentiãq; demonstraturus, inter duas creaturas ex diametro sibi inuicem oppositas, corpus & animam, cœlum ac terrã voluit instituere. Copulauit itaq; eas vinculis conuenientibus, vnicuique propria sua ornamenta, & electissima dona ex thesauris potentię ac bonitatis vniuersæ appendit.

Inter corpus & animam perfectissimũ matrimonium reperiri.

COLLOQVIVM XXXVI.

THEO. VERVM vt in quolibet coniugio iusta proportio quam ac-

cura-

curatissimè obseruetur, duo admodum solent considerari, alterum est qualitas partium, alterum ætatum. Nec enim vlla conuenientiæ ratio haberetur, si iuuenculam Principé rustico in matrimonium dare cogitares,& vero,copiosissimam æternę litis & rixarum materiam suppeditares:iam eandem etiam si Principi octuagenario copularis,nobili eam sepulcro associasse iudicaberis. Ea ergo vt ambo sapienter euitemus, dicendum illud est, quod ex Poetis nonnemo cum Philosopho Pittaco decantauit;

Si vis nubere,nube parī.

nobilem videlicet nobili aut saltem nobilitatæ,diuitem opulentæ,iuuenem adolescenti adiungito, quo cōnubio fides sit,& copula inita perēnet. Et si hic ferè vltimis & exulceratis nostris temporibus mos inualuit, vt non modo nobilitatem, sed iuuentutem etiam & ætatem quamlibet auri & pecuniarum magnitudine metiamur, isque demum natu minimus sit qui ditissimus,ille sapiētissim' qui nobilissimus. Nouit

autem

autem Deus accuratus omnium censor ac arbiter, quæ sæpenumerò matrimonia contrahantur: & quã graui pœnitentia subinde breuis lætitia excipiatur. Maneat ergo Deum, qua sapientia pollet, duos hos articulos studiosissimè obseruasse, & animã pulcherrimam iuxtaque nobilissimam, corpori speciosissimo & qualitatum quam simillimarum inter se proportione nobilitato adiunxisse, Principiique perpetuo iuuenculæ & mortis legibus solutæ, corpus à necessitate senectutis liberũ, & à sepulcro immune consociasse, quo aliquãdo ambo gaudio immortali perfundantur, quod beatitudo sempiterna est & à mortis violentia quam maximè aliena. Atque hæc ferè sunt propter quæ Deus hominem pulcherrimum adeoque mortalem procreasse poterat videri.

Mirabilẽ quandã inter corporis qualitates & animam Symmetriã esse.

COLLOQVIVM XXXVI.

THEOL. VIDEAMVS nũc itaque sigillatim corporis venustatẽ, quo in hanc

in hanc cognitionẽ digressi, plausibilem illam & à nemine sanorum hactenus explosam, conclusionẽ inferamus, hominẽ necessariò immortalem fuisse procreatum. Nã postquam illud firmis rationum monumentis confirmatum constiterit, Deum corpus excellentissimũ, speciosissimum, & ex præscripto primi capitis circa matrimonium nostrũ exactè absolutum fabrefeciſſe, facilè huic opinioni assentiemur, qua secundi etiam diligentissimam illam rationem habuisse, qui de ætatum æqualitate est, affirmamus. Spectanda autẽ est corporis illa pulcritudo ex illius cum anima comparatione instituta, propter quam magnus ille Vniuersitatis faber, corpus humanum fuit architectatus. Animæ itaque pulcritudo in eo consistit, quod diuina, quod immortalis, quod cœlestis est, quod à Dei spiritu afflata, hoc est, quod originem suam per creationem è profundiore omninò Dei consilio traxit, quam animæ bestiarum, quibus à supremo illo numine vitam afflatam nõ legi-

legimus, nec cum conderentur, hãc præfationem deliberatiuam, euidẽtem reuera illam & significatiuam à plaſmatore fuiſſe vſurpatam. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: quia nimirum illæ animæ iſtiuſmodi tunc erant, quales adhuc ſunt, hoc eſt ex ipſo corpore tractæ & efformatæ. Huic nunc venuſtati quàm pulchrè humanum corpus reſpondet, quod Deus erigi voluit, de terra eleuari, & cœleſtem quãdam auræ nobilioris particulam habere ac poſſidere?

Ouid. 1. Meta.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumq́ue tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cic. 1. de leg.

Et reuera creatura ſub cælo nulla eſt ad hominis craſſitudinem accedens, cuius cõrpus inter ambulandum minus illo terram attingat, parumq́ue ad modum deeſt, vt non in aerem ſubleuetur & quodammodo cœleſtis ſit, portans in ſe, & ſibi impreſſam gerens imaginem pulchritudinis diuinæ, animam

mam scilicet suam consortem: vnde verò status ille adeò rectus, sursum vergens cœlumque intuens profluxisse existimandus est? certè astrui afferriq; aliud nō potest, quā quod ab anima promanasse, ab anima scaturiuisse, ab anima denique profectus fuisse videatur. Nam si in aliud ea corpus concluſa fuisset, fieri omninò non poterat, eandem vt rectitudinem obseruaret, ac in altum porrigeret & eleuaret: quēadmodum claudos claudicando incedere cernimus, non quod eorum anima facultatibus suis prædita non sit, sed quod corpus ea dispositione destituatur, quæ ad rectè ambulandum à natura fuit requisita. Neque verò etiam dicere possumus rectitudinem illam à spina dorsi instar lineæ recti proficiscī, cum illud ita necessarium sit, vt absq; eo rectè ambulare non possis: Serpētes enim à natura idem prorsus acceperunt, & incedunt ij nihilominus gradu quo vides, terrā verrentes & repetentes. Verius ergo duas ipsius causas assignabimꝰ, in anima formalem in cor-

Causæ formales & materiales cur corpus humanū erectum sit.

in corpore materialem: anima vim ſubminiſtrat, qua corpus cum recta oſſium diſpoſitione ſe ſubrigere poſſit, quæ accommodatiſſima eſt vt eleuetur & attollatur: corpus calorem vitalem ſuppeditat, quo anima vtẽs ſtatu illud alto & cœleſti effert, corpus verò eandẽ ſtatu conſimili, licet diſſimiliter portat: anima corpus fert, corpus animam: anima ſpiritu in cœlum erigitur, corpus ſitu ſuo ac inceſſu. Vis ac rectitudo animæ adiuuat corpus quo ſe ſuper terram attollat, corporis rectitudo animæ hoc præſtat facilius, vt cœleſtibus rebus vacare & cœlo immiſcere ſe poſſit: & quemadmodum anima humana plus viuacitatis conſecuta eſt, quam omnes reliquæ quæ corporibus infuſæ ſunt, ita corpus plus caloris proportionati vitalis poſſidet, quam omnia cætera corpora animata, ſicut accuratè ab *a* Ariſtotele veſtro, & noſtris *b* Theologis memini eſſe animaduerſum. Cum itaque Deo hominem cœli inſpectorem & rerum diuinarum contemplatorem eſſe

a Ariſt. li. de reſp. c. 6. prior ſect. 10. proble. 53

b S. Tho. 1. q. 91. d.

esse voluisset, inseruit illius corpori cœlestem hunc calorem, cui animæ potentia innexa, erigit corpus, & instrumentum fini suo appositū efficit, & suæ excellentiæ magnoperè accommodatum: cumque ea maximè idonea sit altissimis spiritibus considerandis, qui sunt Deus ac Angelicum vniuersis spirituū proprijs ornamentis. Atque hæc omninò vidit *a* Plato ille, qui notionem græcā ἄνθρωπος examinans, dictum hominem vult sursum videntem & alta meditantem. Habes ergò nūc quatuor admodum causas propter quas corpus humanum statu erecto & alto incedat: causa efficiens est Deus; formalis, virtus animæ; materialis, rectitudo spinæ dorsi cum calore vitali, præcipuo animæ instrumento; finalis est, contemplari homine digna, hoc est, alta, sublimia, cœlestia, exaggerata. Vnde illud etiam sequitur, eum, qui in omni genere vitiorum sese volutarit, animam curuam & abiectā in corpore recto & eleuato imo animam serpentinam in humano corpore circum-

a Plat. in Cratylo.

circumferre, quo ecquid tu vnquâ monstrosius conspicatus es? Nihil indecentius, nihil absurdius reperi-potest, ait D. Bern. quam spiritũ gibbosum eo in corpore habitare, quod rectum quod elatum sit: nihil fœdius, nihil inconuenientius, quam oculos corporis liberè cœlum contemplari, & ex contemplatione astrorũ incredibili voluptate perfũdi, & oculos animæ terram & carduos tantum intueri. Pudeat te, ait corpus, ô anima mea, pudeat te inquã quę ad prototypõ perfectissimi Creatoris efformata es, dum me vides famulũ & seruũ tuũ alta contẽplantem, te autem cæno isti rerum fluxarum immersam: ad hunc ferè modum S. Doctor ait.

Rectitudo humani corporis maximè conueniens, quippe cum homo euidens testimonium ferat de animæ natura.

THEO. COLLOQVIVM XXXVII

CVI ergo non admirabilis elegantissima illa constitutio, pulcri-

pulcritudo excellens, forma venusta, situs regius, habit⁹ nobilissimus esse non videatur, modo in illius cognitionem penetrare se possit? An non diuinum illud planè est, quantitatem adeò exilem, molem tam abiectam, corpus ex elemento crasso conflatum & coagmentatum in humili huius mundi loco qui cẽtrum orbis est se cõmouendo, adeò presse corporum illorũ à terra remotissimorũ, cælorũ dico gyrationem & motum imitari? Qui circum terram voluti, nihil tamen minus quam eam contingunt: & homo in via ambulans vix eam pedibus signare videtur? An non opus illud singulare prorsus est, & tantum supremo isto artifice dignum, quod corporeo huic incessui progressum & finem animæ è diuina scaturigine promanãtis adeò graphicè impressit, qui est, viuere diuino quodam modo, & finem non aliu m quam diuinum præstolari? Dum enim corpus in cœlum ita sursum erigi-tur, testimonium locupletissimum de origine animæ edit, & dum vix terram

terram commotum attingit, vitam cœleſtẽ demonſtrat, quam animam agere conuenit ſuperioribus rebus occupatam: docet ergo cœli ille intuitus domicilium beatitudinis & finem animæ celare non poſſe. Arbores & beſtias ita natura effinxit, vt capitibus terram intueãtur, quoniam ex ea excitatæ ſunt, ad eamque finis eorum porrigitur; arbores velut animam longè humana humiliorem ſortitæ, caput quod radix eſt, terræ inſertam habent. Ea propter Plato dicebat hominem arborem inuerſam eſſe, cum caput ille ſuum cœlo oſtendere non in terrã abdere videatur. Beſtiæ, quarum animæ medium inter plantas & hominem locum tenent, an non quoq; pendulo capite animæ ſuæ præſtantiam ſeu qualitatem præ ſe ferunt ac teſtificantur? Inter illas etiam quæ plus materiæ habent, an non quoque plus terram deſpiciunt & intuentur? anima porcorum magis terreſtrium corporibus infuſ. eſt, non vt ea facinora præclara & dant, ſed vt à putrefactione velut

Plutar. de orat. Pythia.

viua aliqua muria conſeruentur. Iã aſpectus ipſe tellurem cõtinuò obſeruat, oculi eam intuntur, roſtrum oſculatur. Vnde Plutarchus ait, eum, ſi nonnunquam in tergum coniectus, cœlum aſpicere cogatur, penitus ſtupore perfuſum grunnitus ſui obliuiſci, & clamore quo aliàs admodum valet, compreſſo nouo hoc aſpectu obmuteſcere. DEVS quoque Sathanæ monſtraturus quomodo primo ſuæ malitiæ ſpecimine in Adamo edito præſtantiam illius omnibus creaturis viliorem effeciſſet, ait: *Super pectus tuum gradieris: & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Serpentes per terram repũt: qui modus incedendi eſt omnium turpiſſimus & abiectiſſimus: arbores verò capite & ore in terra abſcondito eam comedunt, quæ reuera cibus eſt omnium aſperrimus atque duriſſimus. Volebat ergo dicere, ſerpens eris, cuius corpus hilari & deliberato animo aſſumpſiſti, ſerpens dico terræ viliſſimus, qui olim Angelus erat ſuper cœlos exaltatus, ſerpens ſpiritualis, animum

Cic. l. 6. de finib. & l. 2 de nat. Deo. l. 4. Sym.

Gen 13 14.

Diaboli cibus eſt terra.

& affectus tuos, per terram trahens; nihil appetens præter abiecta, humilia, & sordida, peccata videlicet, quæ nihilominus semper tibi aduersabuntur, & instar viperarum pectus tibi disrumpent. Planta eris, hoc est, similis plantæ, non fructus germinando, sed terram comedendo, caput tuum, voluntas tua, consilium, memoria, quid quid demum partium nobilium in te est, terræ infodietur, terram mordebis appetitus tuus nutriendo, ingenium tuum, recordatio tua illius boni quò mensæ diuinæ pensionarius fieri poteras, humo sepelietur. Quænam verò illa terra est? reuera peccata, in quibus gibbosi illius ac maligni spiritus affectus serpunt, & voluptatem rabiemque suam explent ac pascunt. Vides nunc itaque quo modo per serpentinum hunc ingressum omnium turpissimum, exprobratum fuerit, quod infra omnes bestias sese abiecerit, & pro manducationem terræ, quæ alimentum planè crassissimum et

Peccatũ diaboli cibus.

plantarum vitam agere occæperit: nam quemadmodum ſpirituale illud ſerpendi genus multò quam corporale peius eſt, & etiam ſpiritus in terram defoſſio, peior illa eſt qua caput in terram abditur, & paſcua terræ ſpiritualis, quæ peccatum eſt, ſpiritui plus nociua, incommodo ac moleſta ſunt, qua humus illa materialis cruda, corpori animato ſuſtentando. Quo præclarè admodum D. Auguſtinus alludẽs ait. Si diaboli cibus eſſe non vis, ſi hoſpitio eum non excipere, caue terra ſis, hoc eſt, caue carnalis ſis, caue peccatorum terrenis ſordibus contamineris: eſto autem quod eſt, videlicet cœlum, hoc eſt, Iuſtus & Deum timens. Sathan enim ferculis iſtis non paſcitur, nec panem ſuum eiuſmodi embammatibus intingere amat, cùm omninò illi non cœlum, ſed terra pro penſione aſſignata ſit.

Qui diaboli cib' eſſe non vult, caueat ne terra ſit.

Figura recta homini ideo conueniens quia Vniuersitatis Rex est : & de signus superioritatis.

COLLOQVIVM XXXVIII.

THEOL. CONVENIEBAT ergo figura hæc alta, recta, atque excelsa corpori huic, non modo quia homo erat, id est animal rationis compos, & ad cœli contemplationem sicut diximus procreatus sed etiã quia Regia dignitate fungebatur, quam figurã habere decet, quã maximè maiestati interiori conuenientem. Quod quam præclarè à diuina prouidentia in alijs minoribus Regnis, aut potius similitudinibus Regnorum huius Vniuersi obseruatum sit, in quibus bestiæ insigniores notas quasdam corporibus suis præferunt excellentiæ suæ testes ac dignitatis, breuiter videamus. Delphinus piscium Rex coronatus est, sicut Basiliscus serpentum Imperator. Aquila Regina auium, caput plenum Maiestatis & corpus vastũ ac accommodatum habet. Leo Rex bestiarum terrestrium an non totus regius

Plin. l. 8. c. 22.

regius est? Ornatur ille immani iubarum monili, caput, oculi flammicantes velut gemmę coruscantes insigniunt, aspectus grauis & terribilis est, color deniq; quo melius Regi conuenire nullus potest auro per quam similis. Apum qui regnum administrat, omnes subditos venustate proportionis, vastitate corporis, & colore ipso antecellit. Primus Rex quem Deus à populo suo salutari voluit Saulus fuit, insigniter à venusta corporis forma commendatus: incorruptis enim sacrarum literarum monumentis ad nos perlatum est humeris eum super vniuersum populum eminuisse. Iam Dominus noster communis Vniuersitatis architectus ab æterno istud cõsilij cœperat, vt hominem Regem omnium animantium nominaret, in fauorem videlicet diuinitatis suæ, cuius manifestam imaginem animæ ipsius insculpserat, quemadmodum ex istis verbis luculenter colligitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli & be-*

1. Reg. 20. 23.

Gen. 2. 26.

ſtijs, vniuerſæq; terræ, omniq; repti
quod mouetur in terra. Fuit ergo
mago illius fundamentum hum
excellentiæ, quam ei confeſtim ob
oculos ſtatuit, quãdo ei faſces defe-
rens, & tenorem iuris exponens ait:
Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris & volati-*
libus cæli, & vniuerſis animantibus
quæ mouentur ſuper terram: accepti
verò poſſeſſionẽ omnium iſtorum,
quando ei gregatim ciues terræ ad-
ducens, vniuerſis nomina titulosq;
imponi ab Adamo voluit. Quem-
admodum eum ergo Deus anima
regni capace nobilitauit, ita quoque
ei corpus excelſum & Maieſtat
animę conuenientiſſimum, ac quam
maximè idoneum ad authoritatem
& reſpectum ſui, ſenſibus anima-
lium, imprimendum contuliſſe ex-
iſtimandum eſt. Verùm poſtquam
ille rebus nouis ſtudens Deo rebel-
lauit, idem omninò ei accidit, quod
Principi alicui euenire ſolet, cuius
iugum ſubditi cùm excuſſerunt, ab
eo receſſionem fecerunt, iam eum
non vt Regem, ſed vt Tyrannum vi-
olentum ceruicibus ſuis incumben-

rem

tem agnoscunt. Nec enim Optimates & potentiores tantùm vt Tygres & Leones, sed plebei etiam, sed infimi ordines, mures, auiculæ, muscæ, & id generis animantes hilari animo Dictatorem hũc suum tulissent, ei paruissent, si ipse voci etiam diuinæ morem sibi gerendum esse existimasset: ita ergo per peccatum factũ est, vt iuris illa executio & Dominij, quod homini in bestias delatum erat, possessio suspensa fuerit, & in archiuis naturæ humanæ relicta.

Hugo de S. Vict. in annot. in Gen.

Executio iuris & dominij in bestias homini collatum suspenditur.

Et ecce tamen, quæ Dei bonitas est, relicta sunt Imperatori isti designato signa quædam ac notæ, tum ad confirmandum & adiuuandum pauperculum istud animal, tum ad fidem ei faciendum, quod tantarum rerum naufragium fecerit, & odium ei sanctum quoddam ingenerandũ, quo peccatum tot malorum caput detestetur. Primum signum est quod ei vtilia nonnulla & perquam necessaria animantia relicta sunt, eius imperio subiecta, & fidei regiæ com-

commendata: quemadmodum sunt æqui, boues, asini, cameli, oues, capræ, bubali, & alia quæ turmatim sæpè pueri etiam ducere norunt minimo subiectorum & subditorum etiam imbecilliores. Secundũ, quod effera nonnulla & omnis mansuetudinis expertia hominum obedientiæ voluit subiacere, in fauorem quendam specialem seruorum suorum ac amicorum. De Iohanne Pauli Abbatis discipulo, incorruptis historiarum monumentis consignatum est, zelo eum quodã obedientiæ singulari pollentem, iussu superioris immanem continuò leænam adduxisse, & non aliter quam hædũ allegasse. Iam & locupletissimi testes sunt, qui Apostoli præcepto, omnes serpentes ex Insula Melita proscriptos affirmant, & post vnius morsum, cuius Apostolorum acta meminerunt, nullum tota in ea insula conspectum fuisse asseuerant. Author est etiam Alanus Copus eos qui 25. Ianuarij cõuersioni huius eximij Doctoris sacra nascuntur, serpentes regere, & earum pestiferos mor-

Leænam religiosus ducit ac ligat.

Obediẽtiæ vis.

Idem in Hybernia precibus S. Patricij factum aiunt.

Dial. 3. con. Magdeburg.

Res admirãda.

morsus sola saliua sanare posse: adeò videlicet id cœlesti illi numini cordi est, vt sanctis suis honor adhibeatur & reuerentia digna præstetur. Narrat D. Gregorius in Dialogis suis religiosum quendam domus Fundanæ topiarium serpenti in medio horto reperto, vt se sequeretur præcepisse, paruisse animal & præeuntem Ducem ad foramen vsque subsecutum, per quod fur olera ablaturus ingredi consueuerat: iussum ergo denuò eum locū tamdiu obseruare donec aliud ei iniungeretur, substitisse serpentem, & confestim in humo explicatum non ante cessisse, quam fur reuersus & eius conspectu territus refugisset, & verò quo vellet migrandi copiam à magistro suo accepisset. Talis nunc itaque homini in animantes potestas, tale imperium, istiusmodi vis fuisset, si anima rectus perstitisset, quemadmodum corpore permansit. At ecce idem Dominus mirabilium artifex & operator, eodem credo fine quem supra attigimus populis nonnullis, & certis quibusdam homini-

S. Greg. 2. Dia 3. Serpens religiosè obediuit.

minibus singularem planè vim impertiuit, qua ipsa animalium ferè omnium crudelissima mulcere possunt ac subiugare. Testis est post Strabonem & Diodorum Plinius, eos qui insulam Tentyrim insidet, exiguos corporis statu, animis ingentes planè esse. & cùm à Nilo Aegyptiorum flumine haud ita longè semoti sint, de Crocodilis quidlibet agere: adeò vt venatum eos exeuntes & natantes pueros obseruantes, audacia mirabili inuadant, eos vt equos subigant, & si reiecto capite morsum minitentur, claua ijs in os coniecta fauces oppleant, sicque in terram ceu captiuos protractos, vt quos deuorarunt pueros euomant, compellant: neque tantum corporum & animi vi ista geri, sed ipsa etiam voce, halitu & odore furibundas istas bestias effugari, adeò vt in tota Insula nunquam Crocodilus audeat comparere. Meminit idem qui supra Plinium post Varronem in Barbaria populum reperiri, Psylli veteribus dictum, cui illud à natura singulari bene-

Plin. li. 8. c. 25. l. 28. c. 3.

Vis Tentyriorum admirãda in crocodilos.

Crocodili deuorata corpora reuomere cogũtur.

beneficio conceſſum fuerit, vt ſerpentes occiderent atq; depellerent, adeò vt experimentum pudicitiæ fœminarum, ſimulac eæ enixæ fuiſſent, infantes peſtilentiſſimis quibusque ſerpentibus pręſentarint, vt ſi in fugam acti ceſſiſſent, ſuæ domi liberos prognatos eſſe animaduerterent. Narrat idem non eodem loco ex Philarchi relatione, *Aſpidem, cùm ad menſam cuiuſdam veniens in Aegypto, aleretur aſsiduè, enixam catulos, quorum ab vno filium hoſpitis interemptum: illam reuerſam ad cõſuetudinem cibi, intellexiſſe culpam, & necem intuliſſe catulo, nec poſtea in tectũ id reuerſam.* Ecce tibi familiaritatẽ, ac ſi etiã placet neceſſitudinis iura inter beſtias maximè virulẽtas, & Dominos ſumma fide ſtudioq; cõſeruata: atq; hæc admodũ cauſa fuit, quare Eua nullo timore ꝓpedita ſerpentẽ, per quẽ diabolus loquebatur acceſſerit, quippe cùm eam ſibi ſubditum ſciret, & vim inferre nullam aut detrimẽtum poſſe cognoſceret, quẽadmodum pręclarè D. Chryſoſt. animaduertit. Nunc quæ hactenus

Plin. l. 10. c. 74.

Chryſ. ho. 26 in Ge.

ex locupletissimi Historiographi Plinij monumentis à nobis allata sunt, si cui vana & vero parum similia esse videantur, cum necesse est susq; deq; ferre, vtrum incorruptæ antiquitati fidem arroget, an quæ ab ea percensentur leuia & fabulosa esse arbitretur: etsi in ijs nihil omninò reperire possis, quod aut fide maius sit, aut rationi reclamet, aut vero etiam experientiæ ipsi contradicat. Docet autem hoc loco potius & fides, & ratio, iure diuino pariter ac naturali hominẽ Creaturis præfectũ esse. Loquuntur ipsæ sacræ literæ, vt ante audiuimus, ipsi Philosophi naturæ, tantum lumen & aurigantem rationem secuti, id agnoscunt, etsi eo vsque ingenij acie penetrare non potuerunt, vt intelligerent executionem huius Dominij per peccatum suspensam esse, & hominem absque delicto fuisse, in bestias legitimum imperium obtinere debuisse. Scimus Magni Alexandri Bucephalum, Regem suum probè semper cognouisse, ob eamque causam præter eum Sessorem planè nullum pati vo-

voluisse. Sextus hic admodum supra trigesimum annus est, cum in Delphinatus ciuitate Biansson appellata, ancilla hospiti operam dabat, quæ non aliter quam asinas, furiosissimos quosque equos & mulos temporibus nundinarum ad herum depulsos adeò peritè tractabat, prorsus vt eos in ancilla hac, signa quædam istius superioritatis intellexisse arbitrari potuisses. Et quis nō videt Deum his ostendere velle, integrum penes hominem belluarum imperium esse debuisse, quemadmodum nunc id quibusdam adhuc cōcedit & elargitur? Atque si illud etiam verum est Leoni eum mirabilē quendam galli gallinacei timorem impressisse, Elephantem conspecto muremeticulosum esse voluisse, cū tamen cætoroqui ij longè maiorib⁹, quam isti viribus polleant, neque earum vim vllo modo pertimescāt, annon & illud fidem à nobis impetrare potest, nihil vt dubitemus serpentibus cum etiam & Crocodilis occultam quandam certorum hominum alijs superiorum formidinē

Ancilla cauponiæ mira equorum furiosorū domitrix

Leo gallum, Elephantus murem timet. Pl. l. 8. c. 16.

impreſſiſſe, quo videlicet iſtis quaſi veſtigijs in cognitionem iuris & imperij noſtri veniamus, quo abſque peccato fuiſſet, vti fruique poteramus. Vnde etiam illud liquidò & euidenter conſtat, qua arrogantia (omnium reuera illo hæreſum aut enatarum aut naſcendarum fundamento ac fonte) ſumus, ſenſus noſ ſolùm noſtri deliria ſequentes, & vani iudicij opinione perſuaſos, nihil credere velle, quod nos fieri non poſſe ſuſpicamur, ſicque cęlum oculorum noſtrorum acie menſurando dextrã diuinæ illius omnipotentiæ ſtolidarum noſtrarum cogitationũ pede metiri. Quod reuera vt diximꝰ omnium hæreſum ſeminariũ eſt, & ſuperbiſſimorum hæreticorũ documentũ, qui iudicij ſui lance, omnia exanimãtes, nihil credere in animũ inducũt, quod illi putidis ſuis cerebris capere aſſequique non poſſunt, ipſamq; adeò etiam Scripturam ſacram occultè & ex inſidijs lauernionum inſtar tot crucibus & obeliſ inſigniunt, tot cuniculis quo eam euertant, ſuffodiunt, tot vineas qui-

bus

bus in diuersam eam trahant sentẽtiam, ad illam agũt, quot commentis, quot phantasijs diffluunt & occupantur.

Alia duo indicia quibus homo bestiarum imperium accepisse demonstratur.

COLLOQVIVM XXXIX.

ACCEDIT nunc istis tertium admodum indicium, quo homini in bestias dominium delatum fuisse agnoscas, dum videlicet eas aut vi domat & subigit, aut efferatas arte manfuefacit atque cicurat. Ac primùm quidem vel mediocriter literatorum latere neminem potest, veteres Orientales, & nostra etiam tempestate Indos, vulgariter in bellis Elephantos vsurpasse. Notum adhæc quoque est, cõplures ex Imperatoribus Romanis curribus leones religasse, exemplũ videlicet Marci Antonij secutos, qui *Plin. li 8. cap. 16.*

qui primus id excogitasse & tentasse perhibetur. Iam cui vel mediocriter in Romanorum Historijs volutato, ac tincto ijs aspersoque tantum non imbuto, Triumphi isti de Orbe vniuerso acti, & in orbe vniuerso celebres ac peruagati incogniti sunt, quos vrsi, quos pantheræ, quos Tygres, & immanes aliæ bestiæ arte humana manuefactæ insigniuerunt & cohonestauerunt? Hannó Carthaginensium belli imperator, adeò mansuetum Leonem effecerat, vt eum instar canis leporarij per ciuitatem circumduceret. Leo quispiã alius in celebri Siculorũ vrbe, pede in spinam impacto, coram Mentore prouolutus fuit, vt vel hinc eum obedientem Regi suo agnosceret, & vt se iuuaret petere non difficulter, intelligeres. Alius in Africa à Samio quodam sanatus & seruatus, benefactori suo tamdiu venationem exercuit, prædam retulit, quoad eius nauis in flumine Africæ permansit. Et vides tu hoc loco duos istos Leones necessitate & beneficio alterius ad eam mãsuetudinem peruenisse, qui pleri

pleriq; hominũ adhibere nõ posſũt, nec cũ neceſſitate premũtur, nec cũ innumeris beneficijs à Deo afficiũtur. Nũc ſi de animãtibus min⁹ feris quæſtio inſtituitur, quis ignorat, tãtum hominum induſtriam in hoc dominio ſolere præſtare, vt loqui, vt tantum non etiam ratione vti doceantur? Teſtis eſt cornus ille qui nomine ſuo Cæſarem compellabat ac ſalutabat. Teſtes picæ, teſtes ſunt Pſittaci & ſexcentæ aliæ aues oppidò vulgares atque communes. Iam in venationibus quid homo non capit, non auibus, non canibus inſtructus comprehendit? Qua ille non obedientia, qua non modeſtia, qua non ſubmiſſione ſeruire animantes ſibi facit ac ancillari? Verum ne me longius in matẽria adeò fertili diffundam, vnum à me accipe huius generis exemplum, quod aures tuæ admirentur, ego his oculis vidi atque conſpexi. Nutriebat domi ſuæ in Delphinatus vrbe Sanct-Valeriana, honeſtus & prædiues quidam Dominus canem, quem in delicijs habebat ac Hilarem appellabat, adeò indu-

Pl. l. 8. c. 16.

Macrob. l. 2. Sat. c. 4.

industrium illum & doctum, vt fru-
sto panis sibi obiecto, quantumuis
etiam famelicus, id intra pedes ar-
reptum, tangere non auderet, nisi
ante post quædam velut suspiria ac
gemitus, quibus difficultatem obe-
diendi declarabat, magistrum Rape
sibi dicentem audiuisset. Atq;, quod
haud aliquanto amplius admireris,
cùm nonnunquam herus canem ita
suum in officio suo reliquisset, aliò
fortè digressus, lõgo admodum post
tempore eundem id seruantem re-
perit, & ægrè gallinas depositum si-
bi aufferre molientes submouentẽ:
etsi alias quoque iam ore & denti-
bus panem tenẽs, audito verbo Ser-
ua, diutissime eum retinuerit, nec
ante deuorarit quam eleuata ma-
nu foret concessum. Itane verò? po-
testne creatura vlla rationalis alle-
gari, quæ plus Domino suo præstite-
rit, studiosius fidelitatem conseruа-
rit? Patet nunc ergo Deum qui doci-
litatẽ hãc bestijs istiusmodi infudit,
& homini eas adduxit, eadem vt cę-
tera quoq; animantia doceret, eandẽ
vt discedendi facilitatẽ belluarum
inge-

ingenijs insereret, Deũ homini concessurum fuisse, nisi præfixos sibi legum terminos improbè transijsset, & flagitium enorme contra cœleste istud numen designasset. Patet nunc etiã ex hoc extremo indicio, Deum bestijs quantũuis asperis, quantũuis immanibus & efferatis, certũ quendam respectum insculpsisse, quo diuinam istam hominis exterioris figuram, interiorem demonstrãtem, agnoscunt ac reuerentur: & fuit admodum simulachrum illud & signum, de quo hactenus verba fecimus euidenter planè confirmatum post diluuium illud, quando Deus Noacum & filios illius allocutus ait: *Terror & tremor vester sit super cuncta animalia terræ: & super omnes volucres cæli: cum vniuersis quæ mouentur super terram. Omnes pisces maris manu vestræ traditi sunt: & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Ac vide nunc mihi etiam sis, quàm præclarè ipsi id Gentiles intellexerint, causam non penetrarint: quam sagaciter Plinius hoc inuestigarit, inuenire non potue- Gen. 9. 2.

potuerit, quam luculenter id notarit, paganissimi sui tenebris nihil impeditus, crudelissimas quasque & ferocissimas bestias instinctu quodam naturali impulsas, venerabilem hanc hominis figuram reformidare. Ait ergo magnus ille naturæ sacerdos in quodam loco. *Elephas homine obuio forte in solitudine, & simpliciter oberrante, clemens etiam placidusq; demõstrare viam traditur. Idem vestigio hominis animaduerso priusquam homine, intermiscere insidiarum metu, subsistere ab olfactu, circumspectare, vias proflare, nec calcare, sed erutũ solo tradere proximo: illum sequenti, nũcio simili vsq; ad extremum: & tunc agmen circumagi & reuerti, aciemq; dirigi: adeò omnium odori durare virus illud maiore ex parte ne nudorum quidem pedum. Sic & Tygris etiam feris cæteris truculẽtior, atque ipsa elephanti quoque spernens vestigia, homine viso transferri dicitur protinus catulos. Quonam modo agnito? Sanè mirentur ipsam vestigij raritatem, sed vnde sciunt timendum esse? Imò verò cur vel ipsius con-*

Animalia ferocissima hominẽ reformidant. Plin. l. 8. c. 4.

spe-

ſpectum paueant, tanto viribus, magnitudine, velocitate præſtãtiores? Nimirum hæc eſt natura rerum, hæc potentia eius, ſæuiſſimas ferarum maximasq; nunquã vidiſſe ꝙ debeãt timere, & ſtatim intelligere cur ſit timendum. Hæc ferè nunc Gentilis illius Plinij verba ſunt, ex quibus liquidò intelligas probè eum admodum cognouiſſe auctoritatem quandam hominem apud beſtias etiam obtinere, ab ijs timeri, agnoſci ac etiam obſeruari: verũ ſi ex eo ille ludo egreſſus fuiſſet, in quo Deus aliam longè ab hac naturali docẽdi methodo ſequitur rationem ſciuiſſet iamtũ illo multò melius hanc ſuæ causã admirationis, honoraſſet etiã liberalis illius & ſapientis numinis Maieſtatẽ, quod homini cœleſtem hanc & admirabilem corporis rectitudinem contulit, imaginem ſuæ diuinitatis inſeruit, quo ab omnibus creaturis timeatur, honoretur, ac obſeruetur, non aliter quam à Vaſallis ac ſubditis Dominus & Princeps Vniuerſitatis, & ita feliciter hoc regno adminiſtrato tandẽ æterno illo potiatur.

Homo naturaliter Dominus beſtiarũ. Ariſt. 1. Pol. c. 3.

De

De Dei imagine secundum quam homo factus fuit.

COLLOQVIVM XL.

THEO. NAE verò ego nunc operæpretium facturus tibi videar, si singulas pulcherrimi huius corporis partes examinaro, & earum cum anima conuenientiam demonstraro? Ait namque Scriptura Sacra, creasse Deum hominem ad imaginem & similitudinem sui, reuera illum, non quoad animam tantum, quæ principem in eo locum tenet, sed etiam quoad corpus, quemadmodum præclarè a Diuo Augustino videmus fuisse obseruatum: non quod Deum figuram corpoream cum Anthropomorphitis habere somniemus, ad cuius velut prototypon homo depictus ac delineatus sit, sed quia cœlestis illa humani corporis rectitudo euidens de cœlesti animæ natura testimonium edit, &

S. Aug. l. 6. in Ge. c. 2. & l. 83 qq. q. 53.

quia

quia figuræ exterioris pulchritudo ac decor, velut veſtigijs quibuſdam ſpectatorem ad imaginem & ſimilitudinem DEI interiorem perducit. Atque hinc omninò ſequitur præclarè vt dictum fuiſſe videatur, faciamus nobis hominem, non animam tantum ad ſimilitudinem noſtram: quo videlicet conſtaret vtramque hominis ſpecioſiſſimi partem ad exemplar DEI fuiſſe efformatam, etſi in anima plus decoris ac adeò plura colorum lumina à ſupremo illo artificè adhibita non inficiemur. Placet *a* porrò ijs, qui à Theologia noſtra ſunt, vt hanc animæ imaginem immortalitatem vocent cum vniuerſo Zeugmate ei annexarum facultatum: ſimilitudinem autem rectum earum vſum eſſe, & virtutes quas per eam freti, diuina gratia nobis acquirimus & poſſidemus. Et ſunt omninò facultates iſtæ dona illa quæ nos appellamus Intellectum, Voluntatem, & Memoriam, & reliquæ omnes quæ in anima admira-

a *Orig. li. 3. per c. 6. S. Baſ. h. 15. in Ge. S. Amb. l. 6. Her. c. 7. & 8. Greg. Nyſſ. ho. de creatione hominis. Ench. l 1. com. in Gen. Victorinus contra Arium. Theod. qq. in Gen. q. 20. Ruper. 2. de Trin. c. 3. & 5. S. Vho. q. 93. Mag. Sent. 2. 2 d. 16.*

mirabilem istam, immortalem, & ineffabilem Dei essentiam arguunt atque testantur. Itaque cum etiam sacrosancta illa essentia in tribus diuersis personis conquiescat, ad illius planè imitationem anima nostra intelligit, videt ac recordatur, & in immortalitate sua generaliter diuinæ naturæ imaginem circumfert, & in hoc ternario facultatum numero in vna natura fundatarum, simulachra circumfert, & picturam specialem trium diuinarum personarum vnitarum & vna essentia colligatarum. Verùm quò aliquantò clarius ac manifestius huius imaginis filum aut lineamenta cognoscamus, duo admodum obseruanda sunt, quibus si imago quæpiam non caruerit, tum demum quam maximè ad viuum id quod debet repræsentare iudicatur. Primum est vt perfectè rem oculis subijciat atque exponat: & hoc modo patrem à filio repræsentari dicimus non aliter quàm a vera effigie Dei, Filium etiam imaginem Dei appellare possumus in omnibus & per omnia ipsi æqualem, quippe

Propriũ officiũ imaginis. S. Thom. 1 q. 93. ar. 2. 6.

quippe natura ab eo nihil dissidentem. Alterum est, cum in ea qualitatem solum aliquam spectandam exponit, quæ rei propria est, & naturam tamen illius vniuersam non complectitur: ita tabellam imaginem Principis vocitamus, etsi exteriorem tantum illius formam ac lineamenta præ se ferat. Ita etiam hominis animæ imago Dei impressa est & in ea adumbrata, vnde non simpliciter Dei imago appellatur, quēadmodum Iesus Christus: sed creatura facta ad imaginem Dei, & quodāmodo è regione illius reædificata, quę in triplici cælatura consistit, Intelligentia videlicet, Voluntate, & Memoria, velut vestigijs firmissimis animæ immortalitati impressis. Etsi tu hoc loco, nullus dubito, quin differentiam, qua imago hæc ab icone Principis artificiali dissidet, animaduertas: ea enim ex metallo aliquo muto conflata est, Dei autem hęc effigies animę rationali, viuæ & immortali impressa, quia videlicet subiectum quod hominis animam diximus, vitæ particeps est & immortalitatis.

2. Cor. 4. & Col. 1. 15. Genes. 1. 27.

De similitudine Dei, ad quam homo accedit.

COLLOQVIVM XLI.

THEO. VERVM annectitur huic, quod homo ad similitudinem Dei factus fuerit, id est, quod anima illa habeat, aut habere possit aliam adhuc à priore perfectionem & ornamẽtum diuinitatis. Ad quem omnino locũ veteres Patres aiunt, similitudinem istam fuisse Iustitiam originalem, quam præter Dei imaginem instructi, Adam & Eua similitudinem quandam perfectionum suarum habebant, & virtute indies in bono maiores progressus faciendi pollebant: hac verò postea per peccatum sublata atque extincta tam in ijs quam in vniuersa posteritate, fuisse gratiam diuinam, & rectum facultatum dictarum vsum, quo homo illud consequi & effectum dare potest, vt dum. adhuc in viuis est, Dominum suum quam pressissimè imitetur, ad illius similitudinem magis magisque accedat, & hac ita ratione eò euadat, vt in

Supradicti.

vt in cælo etiam illius gloriam referat & consequatur. Quibus adeo factum est, tres vt in homine imagines constituerint: primam, quam naturæ appellabant, & tribus illis potentijs supradictis adumbrari asserebant, ac bonis & flagitiosis communem esse contendebant: secundam gratiæ nomine afficiebant, quod eam iustis tantum impressam aiebant: tertiam gloriæ esse volebant, quæ tantum ijs conuenit, quos merita sua in cælo collocauerunt. Ex tribus admodum istis extremæ duæ similitudinis hoc vocabulo comprehensæ sunt, faciunt enim planè eo quo supra dixim⁹ modo, vt is cui insunt, Deo quam maximè similis esse videatur. Cain primã possidebat, secundam non habebat, gratiã Dei puta, quæ sola primã perficit atq; absoluit. Abutẽs .n. donis & facultatib⁹, quæ in animã cõgesta erãt, Intellectu videlicet, Voluntate & Memoria, planè vt cæteri oẽs peccatores, cũ insigni iniuria sui creatoris, imaginẽ diaboli sibi impressit, ac merito à S. Ioan. malignus audi-

Tres diuinæ imagines in homine. S. Thom. 1. q. 93. a. 4o. art. 9. 3. m.

1. Ioan. 3. 12.

Mat. 23. 35. audire meruit & appellari. Abel verò propter animæ naturalia dona, *Luc. 11. 51.* effigiem Dei circumferebat, & vero ad similitudinem illius accedebat: *Heb. 11. 4.* quia gratia diuina non destituebatur, & munera naturalia & supernaturalia in se congesta rectè adhibens indies seipso perfectior efficiebatur. Nunc autem glorificata anima tertiam quoque imaginem præ se fert, quæ gloriæ diuinæ similitudo illa est, *1. Ioan. 3. 2.* de qua Apostolus ait. Similes Deo efficiemur, quia eum visuri sumus sicut est.

Quomodo homo quam maximè similem se Deo facere possit.

COLLOQVIVM XLII.

PHILO. PATET nunc itaque hominem in anima sua per tres istas facultates, imaginem sui creatoris circumferre, & rectè legitimeque eas adhibendo & virtutibus incumbendo illud effectum dare, vt quam maximè ad conditoris sui similitudinem accedat. Nam dum Intellectum, Memoriam ac Voluntatem

tem ad Dei honorem promouendum excitat, bono publico ſtudet, circa virtutes occupatur, ſtudijs ſacris incumbit, ac ea poſtea in effectum deducere nititur, reuera Deū in operibus ſuis imitatur. Hinc enim omnino eſt quod cæleſtis ille Pater toties nos inuitat vt nos tractemus, quemadmodum ipſe ſe adhibuit atque tractauit. *Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum:* & Filius Dei. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter perfectus eſt.* Illud namque ſingulari cæleſtis Numinis beneficio homini obtigit, vt ſi rectè imagine iſta quam Deus in illius anima coloribus immortalibus pinxit & adumbrauit, vtatur, ſi fidem illius amplectatur, vitam ſuam ad diuinarum legum normam comparet: quodammodo ſimilis Deo efficiatur, non tantum quoad pulchritudinem illam ſpiritualem, ſed etiam quoad opera & actiones: quemadmodum plurimos vitæ ſanctimonia Illuſtres, actu hac ſimilitudine præditos, diuina plane & admiranda patraſſe ſcimus, ſigna illa reuera euidentiſſima omnipo-

Leu. 19. 2.

Matt. 5. 48.

tentis Artificis ac Creatoris. Subegerant & acuerant illi adeò suos Intellectus, cælum vt ipsum penetrarent, & maximè sublimia mysteria peruiderent. Imperauit eorum Voluntas cælis, dominata est Elementis, subiecit Mortem, & vniuersam naturam sibi subiuganit. Iam Memoria æternis vetustatis tenebris inuoluta radijs suis detexit atque protraxit, & quæ innumerabili annorum serie interiecta acciderunt, iucundissimè repetijt, & accuratissimè obseruauit. Iosue solem in medio cæli supplantauit, & nequidquam properantem repressit ac retardauit: Helias admirabili zelo æstuans, ignem cælo deuocauit: Moyses horrendo tonitru nubes dissilire, mare findi & aperiri, terræ viscera pandi atque diduci, & iam fugientem imo exoletam temporum à creatione memoriam reuocauit, & in ordinem sapientissimè digessit: Elizeus vita iam defunctos ad communis lucis vsuram resuscitauit: Apostoli, & quos post IESVM Christum singularis vitæ sancti-

Iosue 10. 12. 13.
4. Reg. 10. 12.
Exod 19. 8. 9. & 6. 20 18.
Exod. 14. 21.
Num. 16. 31. 32. 33.
4. Reg. 4. 35.

sanctimonia beatorum numero adscripsit, ecquid obsecro designarunt, aut quidnam potius non designarunt? an non vt semidei vitam traduxerunt, circumferentes similitudinem supremæ sapientiæ, potentiæ ac bonitatis? Ipse reuera protoplastus Adam hac similitudine quam per iustitiam originalem possidebat, si in timore Dei perstitisset, confirmationem gratiæ accepisset: & donationem suorum bonorum naturalium ac supernaturalium, ratam feciſſet, quam sacrum illud diuinitatis Concilium & Parlamentum innuerat, dicens: *Faciamus nobis hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: imperasset ille cum filijs suis vniuersis creaturis, vt Rex, vt Deus, & tempore à cæleſti Numine præfixo, ad æternas illas beatorum ciuium sedes euolasset, accepturus similitudinem gloriæ, absque pretio, absque tributo, & vllo mortis vectigali.

Mar. 16. 17.

Ioan. 14. 12.

Geneſ. 1. 26.

Quomodo in voluntate & libero arbitrio singulariter Imago Dei eluceſcat.

COLLOQVIVM XLIII.

THEOL. NVNC etſi luculenter declaratum eſt, quomodo imago Dei in tribus iſtis animę potentijs modo ſupradicto eluceſcat, præcipuè tamen ea in voluntate depicta & adumbrata à cæleſtis illius dexteræ penicillo mihi fuiſſe videtur, quod nimirum ea motu liberrimo fertur, & liberum noſtrum arbitrium conſtituit, quo admodum homini conceſſum eſt, quæ volet bona ac mala eligere aut repudiare, & inter plura bona quod optimum ei videtur ad ſe rapere & poſſidere. Hæc potẽtia Hydrargyron, aurum, cor, & neruus animæ eſt, hic fundus in quo Deus ad viuum ſuam imaginem ac ſimilitudinem deformauit, inducens principalia lineamenta & notas eſſentiæ diuinæ, potentiam, bonitatem, ac ſapientiam ſupremam: adijciens titulos & cognomina, quibus per omnes omnino mundi natio-

tiones illud effectum est, Deo quod Omnipotenti, Optimo, Maximo, ac Sapientissimo debiti honores, debita nomina, debita encomia tribuantur. Principio itaque liberum nostrum arbitrium in eo quam simillimum illi est, quod certo quodam modo omnipotens potest appellari: licet enim plane illi omni potestati quantumuis magnæ resistere, adeo vt nec à cælo, nec à terra influentiam vllam accipiat, aut vim patiatur. Imo ipse Deus eam non cogit, non compellit, non legibus alligat, non aliqua alia re obstringit, etsi sæpenumerò commtnationibus ac pollicitationibus suis in seipsam secundum suum motiuum flectit atque reducit; nam si voluntati vim adhiberet aliquam, destrueret reuera imaginem suam, & vt voluntas non esset tandem consequeretur: quod manifestè sapientissimæ & ab omni æternitate latæ sententiæ aduersaretur, quæ vult vt omnia naturæ suæ ductum, & quo ea aurigatur, sequantur: vt aues in sublimem aeris regionem

alis suis enitantur, pisces aquis ac fluuijs innatent, serpentes caudis & pectoribus suis humum verrant, cæteræ animantes pedibus incedant, duobus aliæ, aliæ quatuor, aliæ modo ac ratione diuersa. Tum vt quæ necessaria sunt, necessariò accidant, ignis necessario vrat, calefaciat, sursum vergat: lapis imum locum petat: equus auenam & fœnum appetat: accipiter prædæ inhiet necessitate sensuali incitatus: denique vt homo agat, moliatur, machinetur secundum liberrimæ suæ voluntatis motum, ea non cogatur, non frangatur, non obligetur, sed magistra, sed hera sit vniuersæ familiæ appetituum suorum ac actionum. Atque hæc reuera causa est, cur idem ille Vniuersitatis Conditor & Monarcha, ipsos Diabolos, ipsos condemnatos & sempiternis supplicijs adiudicatos non cogat, non ad impium suum agendi institutum deserendum vnquam compellat, etsi potentia sua facillimè id efficere posset ac obtinere. Et obseruat ille eandem planè

metho-

methodum ac rationem inter homines, quippe cum liquidò intelligamus Pharaonem illum Israelitici populi Tyrannum tot miraculis edoctum, tot pœnis affectum, tot admonitionibus in transuersum actum, nihilo tamen secius sceleratum suum institutum tenuisse, & in suscepto semel improbè viuendi consilio tamdiu perstitisse, donec tandem in abyssis pelagi remanens, & aquis rubri maris inuolutus, ad Infernum extremum damnatorum domicilium præceps ruit. Sequitur ergo præclarè illud, Voluntatem sui iuris esse, ac sui ipsius Magistram merito appellari. Iam vero Intellectus nequaquam eandem prærogatiuam in actionibus suis fuit consecutus: nam cum ei Veritas velut Achilli Pallas Homerica manu injcit, amplexatur quidem illam & vanitatem repudiat; at coacta, at compulsa, at ex necessitate. Memoria vero quoties in vita eorum recordatur, quæ facta sunt, & longis retro gesta temporibus meminit atque

Exod. 7. & 8. & 9. & 10.

Voluntas magistra actionũ.

percurrit? Itaque sapienter admodum mihi Themistocles ille dixisse videtur, quum eum non nemo memoriæ artem docere voluisset; apage tu quidem cum tua arte reminiscendi sis, nam ego obliuionis malim. intelligebat videlicet ille probè in multarum admodum se rerum subinde recordationem digredi, quas euulsas sibi penitus vellet & obliteratas. Voluntas autem etsi obiectum suum siue bonum conspicatur, aberrationem tamen ab eo deligere sibi potest cum voluerit, & Reginæ illius verba vsurpare.

Cicer. in Lucul. & 2. de Finibus.

Ouid. in Metam.

— *Video meliora proboque*
Deteriora sequor.

Voluntas omnipotentiæ Imaginem portat.

Quibus admodum efficitur voluntatem cogi non posse, & ea propter impressam sibi omnipotentiæ imaginem circumferre, qui primus titulus sui conditoris est, quemadmodum id Apostoli symbolo suo confirmant. *Credo in* DEVM *Patrem omnipotentem.* Porrò eadem hæc facultas basis est, cui secunda animæ qualitas innititur atque incumbit, quæ alterum

Dei

De titulum bonitatem scilicet concuta fuit: efficit namque primum libertas voluntatis, cum quæ bona sunt amat, quæ iusta diligit, quæ sãcta, amplexatur, vt homo bonus appellandus esse videatur. Secundò quemadmodum voluntas indies seipsa melior effici potest? ita etiam homo incrementa in bono capere, & quotidie absque vllis limitibus bene agẽdi institutum pleniore cursu persequi valet, quo nihil similius bonitati supremæ potest inueniri. Homo, ait Aristoteles, & si ingenio bono est, etsi memoriam præclaram accepit, ideo tamen boni nomine nõ affectus est: itaque & cum multarũ rerum laudabilium cognitionem sibi acquisiuit, cum multa egregia recordatur, ingenium & memoriã diuitem habet, non bonam: diabolus enim cum insignem sanctarum rerum scientiam indeptus sit, nihil tamen minus quam sanctus appellatur: homo etiam cum mala non pauca sct, malus idcircò non est, cũ nec diuinam illam lateant Maiestatem & supremam non fugiant boni-

Ter. Eth. c. 2. & l. 6. c. 12. et l. 7. c. 4.

Chryſ. Hom 33. in Matt. D. Aug. l.1.retra. c.13. 32. q.5.ſicut enim. Ariſt.3. Eth.c.1. 5.

tatem. Sine voluntate, inquit D. Auguſtinus, nec virtus, nec vitium vllũ eſt: & ideò beſtiæ etſi ſæpenumerò ad alicuius ſimilitudinem accedãt, nihilominus tamen nec virtutibus præditæ ſunt, nec vitijs affectæ ſolẽt appellari: abeſt enim ab ijs volũtas, quæ radix eſt tam meritorum quam peccatorum, tam gloriæ quã pœnæ, vt laudis, ita repræhẽſionis. Hæc itaque illa eſt, in qua velut in proprio thalamo gratia diuina conquieſcit: hæc fundamentũ, in quo oẽs actiones tam morales, quam ciuiles verſantur atq; cõſiſtunt: abſq; hac foret, nec contractus cõtractus eſſent, nec amicitiæ amicitiæ appellarentur, nec iuſtitia iuſtitia vocitaretur: hæc poteſtatẽ, vim, ac potẽtiam cõſecuta eſt, omni tẽpore, omni loco, omnib' in rebus obtinẽtem, & idcircò quaſi infinitam. Hęc etiã illa eſt, quę tertio titulo inſignita, ſupremam ſapientiam repræſentat; per hanc enim intellectus & memoria aut prudentiæ, aut ſtultiæ colores aſſumunt: cũ enim voluntas debito modo earum ſcientias ac dotes vſurpat, bene eas col-

collocat, & quod potest, sapienter eas expendit, gloriam homini conciliat & præmijs eum afficit sempiternis. Iam verò si è contrario ijs abutatur, Intellectum & Memoriam diabolo similes efficit, qui omnia q̃ nouit, quæq; recordatur, eò confert ac adhibet, vt hominem in extremas calamitates conijciat atque condemnet: quæ reuera extrema stultitia amentiaque est. Et quemadmodum hominem hac facultate præditum, indies se ipso meliorem fieri posse diximus, ita si ad bis millesimum annum vitam eũ suam proferre cõtingeret, sapiẽtior semper euaderet, & actiones prudentiores exerceret. Licet illi diuina gratia assistente ab hac parte charitate incredibili ac perfectissima æstuare, ab illa absoluto scientiarum lumine quaquauersum perfundi & irradiari, optima quæque designare, & indies meliori euadere ac sapientiori; sine terminis dico, sine finibus, sine limitibus similitudinem sapientiæ ac bonitatis infinitè nanciscì. En habes nunc vt liquidò intelligas omnes

Crea-

Creatoris bonitatis & sapientiæ radios in hominem sparsos esse atque effusos. Nunc sicut eo modo quo diximus, in particulari cœlestis illius numinis lineamenta viuis in eo coloribus expressa sunt: ita præter has facultates in quibus Dei imago ac similitudo relucet, duas admodum adhuc in se habet, homine natura inferiores: altera est facultas animæ sensitiuæ, quæ in bestijs reperitur: altera negetatiuæ, quæ plantis indita est, etsi homini longè quodam perfectiore modo & ratione haud aliquantò ista excellentiore: quia videlicet facultas tantò speciosior & nobilior est, quantò præclariorem naturam nacta fuit, cui insit & inhæreſcat. Ita olim fasces & Consulatus Romanorum illustriores erant, & authoritatis absolutioris, cum Imperatori alicui delati essent, quã cum ijs ciuis aliquis fuisset honoratus. Anima itaque sensitiua ac vegetatiua in anima rationali, reperiuntur tanto reuera, illæ nobiliores ac perfectiores, quantò pulchrius & excellẽtius fundamentum nactæ, & qua-

Anima vegetatiua, sẽsitiua, & rationalis in homine viua sunt.

quasi venustissimo aliquo angulo insignitæ sunt. Ita plantarum anima quæ in bestijs etiam reperitur, vnam tantum animam constituit, quæ sensitiua appellatur, è cuius vnione in eandem multò maximum lumen resultat, quemadmodum è duobus radijs collectis solet, & maior adhuc in animam vegetatiuam & sensitiuam, anima rationali colligatas & copulatas. Placet id admodum ex Arithmeticorum scholis fulcris adductis stabilire, aut potius accita & mutuata luce illustrare, numeri videlicet denarij introductione, cum quo corpus ac adeò ipsa etiam anima non mediocrem videtur habere affinitatem. Est is ergo vnicus tantum, & quatuor partes habet 1. 2. 3. 4. quarum prima quæ vnitas est, vt basis reliquarum se habet, & in omnibus planè reperitur, significatque esse, quod gradus primus & communis omnibus rebus est: quæ omninò esse non possent, nisi Esse aliquod, Esse dico & Vnum haberent: nam quemadmodum vos in vestris scholis dicitis, Esse & Vnũ

sese

sese mutuò consequuntur, & eiusdem latitudinis sunt, vt videlicet id quod est, vnum sit, & id quod vnum est, esse habeat. Denotat ergo numerus, Duo, Esse & Vitam, puta animam vegetatiuam: Tria, Esse, vitam, & sensum, qui animam sensitiuam facit: Quatuor Esse, vitam, sensum, & rationem, qui animam rationalem constituit. Secũda numeri pars, primam in se continet, tertia, secundam, & quarta, reliquos vniuersos: omnes verò collecti & inter se coagmentati nonnisi vnum efficiunt, videlicet Decem. Hic itaque omnes in se absorbens partes, & vnicus tãtum, maior & perfectior omnibus, repræsentat animam humanam, quę omnes alias complectens, vnica est, & excellentior vniuersis. Atq; hæc reuera causa mihi fuisse videtur, cur Plato animam numerum appellarit, id est numero similem: quod quã vero simile & affine sit, ex allato iam exemplo nemini non constare potest ac allucere. Huius admodum discipulus Aristoteles eandem rem declaraturus, compara-

Plat. explicatus.

Arist. 2. de an. c. 3.

paratione m à Pentagono petit, quæ figura quinque angularis est, & complectitur quadrangulum & triangulum, eodem planè modo, quo anima rationalis vegetatiuam in se continet & sensitiuam. Quo ergo tandem huic dissertationi nostræ fastigium suum imponamus, concludimus in anima duo facultatum genera reperiri: vnum earum est, quæ imaginem DEI circumferunt, & tres priores sunt: alterum illarum, quas homo cum bestijs plantisque communes accepit. Vos *a* Philosophi & nos adeò etiam *b* Theologi ad hanc distinctionem significandam, animam in superiorem & inferiorem diuidimus: superior prima illa est: quam DEI imaginem circumferre diximus, & vulgari vocabulo rationem ostendimus appellari: inferiorem constituunt reliquæ illæ facultates, inprimis verò appetitus sensitiuus, quem nos recepto termino in nostris scholis *c* carnem, *d* veterem hominem, *e* cõcupiscentiã, & *f* sensualitatem appellamus.

a *Arist. 3. de an. c. 9. 10. 11. l. 1. Eth. c. 3. l. 5. c. 11. l. 1. mag. mor. c. 16. l. 7. pol. c. 14.*

b *Thom. 1. 2. q. 17. art. 7. q. 53. a. 2.*

c *Ro. 8. 6. 7. 2. Cor. 11. Gal. 5. 16. 17. 1. Pet. 2. 18.*

d *Ro. 6. 6. Ep. 4. 12. Col. 3. 9.*

e *Rom. 6. 12. Gal 5. 24 Iac. 1. 14. 1. Pet. 1. 4. 1. Io. 2. 16.*

f *Arist. 1. Pol. c. 3. & l. 7. c. 14.*

Pri- 15.

Primæ partis ius est, imperare, regere, omnia more Regio, & supremi Magistratus instar administrare: Secundæ munus est subiectum ac vasallum se monstrare, & obedire, etsi sæpenumerò ea in Magistram suã, ac Dominam inuolet adque sibi ancillandum compellat. Quapropter in quo Ratio ad gubernacula, & clauum sedet, hic demum hominem verè agit & Regem se esse demonstrat; at quatenus appetitibus paret, carni subest, hic reapse bestiam se mancipiumque esse profitetur; & idcirco bene Dominus noster ait: *Quicunq; peccatum facit seruus peccati est:* quia videlicet rei, quæ se inferior est seruit, appetitui videlicet, & facultati totius familiæ abiectissimæ.

De conuenientia partium corporis cum partibus animæ.

COLLOQVIVM XLIV.

THEOL. PROLIXIVS aliquanio quam xolebam animæ pulchritudini ab imagine Dei proficiscenti expli-

explicandæ inhæsimus, & dum accuratius singulas eius partes introspicimus, quo totius corporis decor, ac venustas manifestius eluceret, & singula seorsim membra examinata in commune lucem conferrent suam, limites quos tempus præscripserat vberiore dicendi genere fuimus transgressi, constat itaque iamnunc in corpore primum superiorem & inferiorem partem reperiri, quæ iucundissima quadam conuenientia animæ respondent, eamque respiciunt. Pars enim illa quæ post diaphragma altior est, animæ nobis quam modo constituimus partem superiorem potest repręsentare, reliqua verò omnia, à diaphragmate, partis inferioris speciem aliquam subijcere & exhibere. Iam quemadmodum in superiore animæ parte nobilissimæ illius facultates constitutæ sunt, Intellectus, Voluntas & Memoria, ita in eadem præstãtissima planè corporis membra reperiuntur, caput, brachia, pectus, pulmones, & cor: & sicut pars quæ in anima superior est, inferiorem

regit

regit ac gubernat, ita in corpore quoque isto sublimiori imperat, & dominatur humiliori: caput enim neruos excitat, & lumen ceu facem præfert, quo corpus vniuersum moueri & ambulare possit, brachia, à capite primum sortita officium, cor verò spiritus ipsos viuificat atque sustentat. Et quemadmodum quoque in inferiore animæ parte fæx & plebs facultatum residet: ita in hac corporis parte quę post diaphragma infernè relinquitur minores illæ gentes reperiũtur, stomachus, iecur, intestina, splen, & reliquæ plebeiæ partes, necessariæ ad corporis seruitiũ suum bene prę-standum. Stomachus. n. vasta velut chytra est & simul coquus; hepar instar dispensatoris, oẽm istum apparatum culinarium in singula mẽbra diuidit atque partitur, reliqua verò omnia nunquã suã operam ac fidem quam debent corpori deesse patiuntur; habes nunc itaque similitudiné illam, quam pars animæ superior & inferior cum corporis ijsdem partibus habere mihi videbantur.

Nunc

Nunc numerus etiam ille quem sicut meministi, animæ hieroglyphicum esse asseruimus, quam venustè, quam eleganter ac graphicè in organis & instrumentis quinque sensuum depictus ac adumbratus est? Denarius ille est, ergo pro quolibet mihi sensu, duo quoq; fac numeres, oculos geminos pro visu, aures duas pro auditu, nares pro odoratu, totidem pro gustu, linguam scilicet & palatum, duo pro tactu, manum videlicet dextram & sinistram: & quoniam sensus iste per vniuersum corpus diffusus est, manus generalia quædam illius instrumenta sunt, & in particulari notas quasdam generalitatis præ se ferunt, videlicet Decē in decem digitis, quibus in duas partes distributis, vtrique quinq; admodum relinquātur. Secundo, caput intellectus pulcherrimam similitudinem & simulacrum nactum est; quod breuiter demonstro: officium quod ille animæ præstat, hoc corpori exequitur ac facit: nam sicut intellectus primum motiuum actionum humanarum

Arist. 3. de an. c. 9. 10. 11. 6. Eth. c. 1. 2.

& vo-

& voluntariarum est, ita caput corporearum fons & scaturigo est; itaque voluntas nihil designare potest, nihil amare, nihil odisse, nihil suscipere, nisi intellectus id ei monstret, atque præsignet. Hic enim planè ille est qui primus rerum naturam detegit atque agnoscit, hic voluntatis quidam facifer est, cum quæstio inciderit, sitne aliquod opus suscipiédum & aggrediendum, absque hoc foret, nihil ageretur, nihil fieret, nihil ab anima designaretur. *Amor enim in res incognitas ferri non potest.* Caput itaque ei quam pulcrè, quam venustè, quam eleganter respondet? Hoc namque origo est & velut instigator omnium corporis motionum: in hoc trũcus quatuor sensuum plãtatus est: hoc opere cerebri ac neruorum per vniuersum corpus Spiritus animales effundit, hoc omnes corporis partes ex præscripto cuiuslibet officij commouere se facit: hoc propugnaculum, hæc arx quinque sensuum est: hoc in suprema velut aulæ suæ contignatione duos oculos ceu pulcherrima sidera circum-

Galen. l. 2. de plac Hipp. & Plat. c. 3.

cumfert, ijs corpus vniuerſum colluſtrat, & viam ambulaturo præſignat: hæc ſcaturigo interiorum motuũ eſt, per neruos ſcilicet quos illud vegetat ac munit: hæc cauſa omnium motuum exteriorum, per eoſdem neruos & radios quos è duob⁹ oculis proijciat ac ſpargit. Et ideo ſicut intellectus animę ſuum motũ dat & eam agere facit intelligẽtia ſubminiſtrata, ita ſuo quodam modo caput hoc præſtat atque exercet. Iã rotunditas illa quã accurata intellectum refert? nõ modò propter figuram ipſam, quæ perfectiſſima & cęleſtis eſt, ſicut etiam intellectus, ſed quia ad viuum eius motum exprimit atque declarat. Motus verò illius eſt, jntelligere, & ab vno ad aliud diſcurrere, non aliter quam ſi in orbem currat, huc illucque reſpiciendo: & hæc reuera cauſa eſt, admodum cur Platoni ingenij motum rotundum & circularem placuerit appellare: pro exemplo, cognoſcit ille bonitatem amabilem eſſe, & Deum bonum eſſe videt: demum, ad primum punctum recur-

Ariſt. 4. de cœlo. c. 4.

Ariſt. l. 1. de anima c. 3.

rens & velut circulo ducto conclu-
dit bonitatem diuinam amabilem
esse. Porrò modus iste, circulariter
intelligendi, & per discursum res
cognoscendi, ratio appellatur, &
per capitis rotunditatem repræsen-
tatur. Habet ergo nunc illa figuram
& similitudinem Intellectus: vnde
etiam fit, vt quoties aliquem ab in-
genio laudare volumus, boni eum
capitis esse dicamus, boni cerebri,
aut capitis eleganter facti. Et etiam
propter pictores sacrarum veterum
historiarum Cherubinos subinde,
Seraphinos, & cæteros Angelos, ca-
pitibus tantum allatis repręsentant,
quo videlicet naturam eorum no-
bis declararent, quæ nihil aliud quã
caput, id est intellectus & spiritus
est, etsi multò viuacior & excita-
tior quam noster, & ideo alatus, si-
ne cunctatione discurrrens, rerum
cognitionem penetrans, quemad-
modum auis volatu suo nobis pe-
netrat atque transcurrit. Verùm sa-
tis hæc opinor erunt, ne rursus ra-
tionem temporis seposuisse videar,
vt intelligatur primum membrum
me-

medij corporis hieroglyphicam in se intellectus figuram continere.

In humeris & brachijs voluntatis imaginem reperiri.

COLLOQVIVM XLV.

NAE verò nunc etiam graphicè & venustè humeris ac brachijs voluntatis imago insculpta est? Recenter ego admodum memoria teneo fuisse cum dicerem, hanc vim & fortitudinem animæ esse, hanc liberrimo motu ferri, hanc peccatorum aut meritorum originem assignari, hãc fontem laudis ac vituperij, scaturiginem præmij aut pœnæ appellari. Videndum itaque nunc est an omnia ista certo quodam modo in partibus modò dictis eluceſcant & conſpiciantur. Ac primò quidem neminem latere potest, corporis humani robur ac fortitudinẽ principaliter in brachijs & eorũ extremitatib⁹, quæ manus sũt, ac eorum radicibus, quas humeri

THEOL.

repræsentant versari, eamque adeò ad ipsum diaphragma vsque protẽdi, quæ totius pectoris capacitas est: atq; hinc loquendi illud genus proauanasse mihi videtur, vt cum aliquẽ à viribus ac robore cõmendare volumus, humeris aut brachijs eum valere dicamus: itaq; cum etiã fortibus aliquem renibus esse ferimus, fortitudinẽ quidem eius demõstramus, at minimè persuasum esse volumus, vires & robur humanum in renibus consistere, sed ab equis metaphoricũ loquẽdi gen⁹ mutuamur, quos ad onera ferenda ea parte præstare necessum est, & homini postea valido ac rubusto illud accõmodamus: verũ cũ bonis aliquẽ humeris dicimus, aut à braahijs commendamus, verbo vtimur ex ipso naturæ humanæ meditullio petito, cui⁹ fortitudo, velut in cardine istarum partium versatur, & quãuis loquendi filum tropicũ ac figuratum sit, fundamentũ nihilominus suum in corpore humano est. Nosti tu præclarè, quam omnes Oratores, Poetæ, Græci & Latini, in hoc loquendi genere fre-

Humeri ac brachia valida.

frequentes fuerint & familiare sibi ideffecerint, nihil itaque opus est, vt exempla hoc loco in medium adducam, cum nec tu id desideres, nec temporis etiam ratio ipsa pati posse videatur. Quam verò etiam scriptura sacra sæpè hunc loquendi modum vsurpet, non modo cum de hominibus verba facit, sed quod plus est, cum spirituum atque adeò ipsius DEI fortitudinem exprimere gestit, ac declarare, vel me tacente intelligi potest atque cognosci. Nã quid amabo communius, quid familiarius ei est, quam DEI virtutem ac potentiam, manus, brachia, humerosque appellare? vt cùm ait, *Extendam enim manum meam & percutiam Aegyptum.* Item quando Moyses inquit, *Memento quod seruieris in Aegypto: & deduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extenso.* Item cum Deum in humeris suis populum Hebræorum portauisse dicit, intelligitur potentia Dei significata verbo ab ea corporis parte petito, in qua vniuersa hominis fortitudo consistit, quò

Manus & brachia Dei

Exod. 3. 20.

Deut 5. 15.

Deut. 32. 11.

Deus spiritus est.

manifestior infirmitas nostra sit. Nã Deus cùm spiritus tantum sit, istiusmodi membra non habet: sed sicut per brachium similitudo virtutis diuinæ exprimitur, ita brachium cõparatione quadam animæ robur ac fortitudinem indicare videtur: & denique quemadmodum voluntas animæ facultatibus dominatur, ita hæc pars Domina ac Magistra corpus vniuersum regit atque gubernat. Brachium manu, os claudit, occæcat oculos, obturat aures, capiti imponitur, pedem tenet, omnia cõtrectat, omnia facit, omnia transigit & moderatur. Maneat ergo brachiũ speculum quoddam esse in quo potentia voluntatis appareat & elucescat.

In brachio & manu liberi arbitrij imaginem spectari.

COLLOQVIVM XLVI.

THEO. VIDEAMVS nunc quomodo eædem illæ partes non leuia lineamenta, sed ad vinum adumbratam liberi arbitij imaginem

nem, & picturam præ se ferant. Nã quid tu nosti solutius, quid liberius, quid omnib⁹ membris magis apparẽs, magis quod videri, quod cõspici gestiat, quam manus & brachia? Itaque & corpus vniuersum propter rectitudinem suam liberrimum est, attollit illud se, erigit, inflectit, & multò facilius quam vllum animalium curuatur, atque mouetur: & in eo tamẽ nulla pars hilarior, lætior, sereniorque est, quam brachia, quam manus? gesticulatur illa, argutatur, proijcitur atque retrahitur, modo attollitur, modo descendit, nunc conuoluitur, nunc circulum efformat, iam triangulũ simulat, iã formam Lunarem repræsentat: extenditur illa, coniungitur, post corpus conijcitur, lateribus applicatur, capiti imponitur, pedibus admouetur, quid quid libet, in corpore vniuerso ceu Dominæ conceditur ac licet. An non ergo luculenta hæc liberi arbitrij lineamenta sunt? quid libertas est, si hæc non est? An non miraculum singulare Dei istud est, qui adeò eleganter, adeò graphicè,

adeò venustè vel in parte corporis, imaginem spiritus sui pingere nouit, & efformare? Alludit reuera ad hunc locum Ecclesiastici illud: *Deus ab initio constituit hominem: & reliquit illum in manu consilij sui*; scilicet in libertate sua: Item, *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam*: in istis itaque locis eodem loquendi genere manus pro libero arbitrio accipitur, velut imago & figura pro ipsa re. Iam nonne quoad merita, etiam similitudinem istam nacta est? an non suo quodam modo manus & brachia fundamenta sunt externa virtutum? nonne gloriæ? nonne vitiorum? nonne laudis? nonne vituperij? nonne vt vno verbo dicam omnium eorum meritorum quorum scaturiginem diximus paulò ante esse voluntatem? annon illa principales officiales & proximi actionum suarum executores sunt? Potestne ergo opus bonum aut malum reperiri aliquod, an vllum vitium excogitari, vlla virtus inueniri, quæ non per manus significata sit? annon illa

Eccl.15. 16.17.

Brachia & manus præcipua meriti, gloriæ, & vituperij instrumenta.

Brachia & manus principalia instrumenta laudis vel vituperij.

illa principale instrumentum & organum voluntatis est? nonne ista templa ædificat, altaria extruit, sacrificia offert? Dauid populum ad pietatem & deuotionem inflammaturus manus eum iubet eleuare: ipsa natura eas attollendas, versus cœlum tendendas, ac complicandas esse docet, quo interiorem deuotionem ac religionem testemur, cum DEVM pacem petimus, auxilium numinis inuocamus, ac cœlestes iras deprecamur? Iam quis ignorat, phrasin hanc omnibus sanctis esse familiarissimam, vt pro eleemosyna manus extensionem erga pauperem dicant? vt cum purum, cum absque macula, significare quippiam volunt, manus innocentes illud habere asseuerent? & quam tu omninò aliam ob causam Pilatum manus abluisse putas, nisi vt insontem, vt à facto nefario quã maximè alienum, & innocentem sese declararet? verũ habuit ille signum & imaginem virtutis exteriorem, à veritatis autem effigie interiore abfuit, vt qui maximè: nec

Arist. 3. de ani. c. 8. prob. sect. 30. q. 4. l. 4. de part. ani. c. 10.

Ps. 133. 2.

Prou. 31. 20.

Ps. 23. 4.

Mat. 27. 24.

enim manus sola hominem incorruptũ, & sanctum facit, vbi cor vitijs scatet, animus peccatis obsitus, & flagitijs enormibus contaminatus est. Itaque idem qui supra Propheta Regius ait, *innocens manibus & mundo corde, hic est qui ascendet in montem Domini*. Lauit ergo Pilatus manum non conscientiam. Etsi fundamentum innocentiæ in anima virtutem habuisset, præclarum reuera signum exterius fuisset, & interno quam maximè simile & accommodatum. Habebat autem imaginem exteriorem tantum, fundamento carentem, & sicut D. Augustinus ait, lauit manus, & factum approbauit, manus omnium bonorum operum instrumentum est, in bello, in pace, in templis, domi, & foris: manibus Deus sibi seruiri vult, tunc puta quando ab animo non dissidet, à corde non discrepat, ab interioribus non dissentit. Seruire verò Deo manibus, quærere eum manibus quemadmodum Dauid faciebat, hoc denique seruire est secundum Diuum

Pilatus manus lauit non conscientiam.

Aug. de tempore ser. 117.

Au-

Auguſtinum opera bona faciendo. Verùm ſicut manus præcipuum ſanctarum actionum, gloriæ, & virtutum inſtrumentum eſt, ita peccati & pœnarum organon vnicum & conuenientiſſimum ſit, cum improbè faciendi inſtitutum tenemus, & in quolibet flagitiorũ cæno noſmet volutamus. Patet nunc ergo fundamẽtale eã inſtrumentum eſſe, æquè gloriæ ac pœnarum; tum potentiã, libertatem & omnes denique qualitates voluntatis pulcherrimè exprimere & repræſentare.

Aug. enarr. in Pſal. 76.

Pectus eſſe imaginem Memoriæ.

COLLOQVIVM XLVII.

VERVM accedamus iamnunc tandem memoriam excellentiſſimam hominis partem elegantiſſimè per capacitatem pectoris receptaculi partium vitalium nobiliſſimarum, quod diaphragmate clauditur ac terminatur: eſt enim plane memoria capacitas atque adeò ſpirituale animæ pectus, cuius ex partes ſunt vt quam

THEOL.

In ſacra ſcriptura ſæpè cor pro memoria poni videmus.

fideliſſimè ſibi concredita ac apud ſe depoſita conſeruet: nam quemadmodum capacitas illa pectoris corporis partium receptaculum eſt, & quaſi quædam memoria corporalis, ita nihil abſurdum & inconueniens fuerit, ſi eam quoque figuram ſpiritualis nuncupemus. Ideo enim in ſacris literis frequenter admodum cor quod in hac parte reſidet & commoratur, pro memoria ſumptum eſſe videmus, vt S. Lucas ait, Beatiſſimam Virginem Mariam ea quæ à filio ſuo dici audiuerat aut geri videbat, cordi ſuo quam firmiſſimè infixiſſe, volebat videlicet dicere, inſculpſiſſe eam illa memoriæ non cereæ, non lubricæ, non fugaci, ſed memoriæ cordis recentiſſimæ, viuæ atque adeò etiam prægnanti. Vſurpatum idem planè à Poetis memini, quibus inſolens nihil eſſe viſum fuit pro vegeta & eleganti memoria cordis vocabulum adhibere. Ita ergo nunc imaginem animæ primum & in genere ex corporis rectitudine adumbrauimus, tum in ſpecie in

Luc. 2. 19.

Memoria cordis.

parte

parte ſuperiore & inferiore, & in tribus iſtis corporis facultatibus pulcerrima quadam ſymmetria animæ interioribus potẽtijs reſpondentibus.

Animæ Imaginem in facie & manu velut in duobus paruulis voluminibus eſſe depictam.

COLLOQVIVM XLVIII.

ET quoniam præclara admodum & laude digna res eſt, Dei opera publicare & euulgare, quemadmodum magnus ille Nuncius & cæleſtis Tobiæ Dux dicebat, hanc mihi etiam operam ſumendam eſſe duxi, vt apertius adhuc tibi & aliquanto luculentius in ſpecie corporis venuſtatem depingam, pulcherrimè illam reuera & elegantiſſimè animæ in duabus admodum partibus proportionatam, in quibus cæleſtis illa ſapientia neſcio quid artificij ac ſpeciminis mihi adhibuiſſe videtur, dum in ijs non aliter quam duobus paruulis voluminibus mirabili planè linea-

THEO. *Tob. 12. 7.* *Prou. 8. 3.*

mentorum ductu ac colorum lumine ſpecioſiſſimam animæ imaginem adumbrauit. Tu verò, niſi valdè coniectura aberro, moleſtè ferre non debes, cum me adeò alacri & pleno curſu in ſtadio Philoſophiæ veſtræ exerceri conſpicaris. *Phil.* Age tu verò ſis & quantum quamque diu lubet poſſeſſione iſthac fruere, quam omnibus potius, quam tibi vni ibo ereptum. An enim ego te non præclaram admodum materiam ad dicendum delegiſſe mihi perſuadeam, à quo continuo pulcherrimarum rerum ſcientiam haurio ac cognitionem? qui velut Mercurialis aliqua ſtatua, aut Hegemona quæpiam perplexum viatorem, id eſt, Chriſtianum hominem, in eam viam deducis, quam ſi tenuerit, fieri non poteſt quin naturalibus ſcientijs ad maiorem Dei gloriam ac honorem vtatur: nihil itaque mirari te oportet, ſi attentum me vides, ſi arrectas aures conſpicaris, quæ ſcire geſtiunt, quænam nobiles illæ particulæ ſint, in quibus Deus animæ imaginem ſingula-

gulari arte & mirabili planè modo deformauit. THEOL. Age ergo quando ita vis, & ſpecioſiſſimas illas corporis partes, faciem & manum, quas nudas, non tectas reliquarum more oſtentamus, accuratius ac penitius paulò introſpiciamus. Principio Diuus Auguſtinus illud liberè aſſerit ac conteſtatur, nihil in vniuerſo huius mundi theatro reperiri, quod decentius, quod elegantius, ac denique conueniẽtius magni illius AEdilis (quemadmodum eum quodam in loco magnus ille Lipſius appellat) perſonam agat atque ſuſtineat, quam anima rationalis: vnde etiam illud opinor conſequi neceſſum eſt, rerum earum omnium, pulcherrimam venuſtiſſimamque eſſe iudicandam. Nam cum Deus, quam diximus inter formam & materiam conuenientiam proportionemque accuratiſſimè ſibi obſeruandam conſtituiſſet, pulcherrimo plane matrimonij vinculo, pulcherrimum corpus animæ pulcherrimæ copulauit, quemadmodum oſtenſum meminiſti,

Nihil in toto mũdo Deo ſimilius quam anima rationalis. Aug. enarr. in Pſalm. 145.

nisti, & tute ipse vt clarius adhuc apertiusque demonstrem faces mihi ac stimulos subdis. Cum itaque animam studiosissimè donis spiritualibus exornasset, coloribus viuis ac lucidissimis admirando artificio collustrasset, libuit eam illi in corpore exprimere, quo nos excellentissimi huius operis spectatores, stupendam artificis bonitatem agnosceremus, sapientiam suspiceremus, & liberalitatem continuo adamaremus. Primum itaque cęlestem illam animæ venustatem stupenda corporis rectitudine & habitu admirando adumbrauit: secundo in medietate earum partium, quas explicauimus: ac denique specialiter in facie & manu, quam modo nos imaginem contemplaturi accedimus & admiraturi.

Deus hominis pulcritudinẽ diuersimodè in corpore depinxit.

In facie peculiariter animæ imaginem relucere.

COLLOQVIVM XLIX.

THEO. CVR nunc itaque facies peculiarem quandam cum anima correspondentiam habere videa-

deatur, ipse Moyses author & causa est, qui de creatione illius historiam texens, ait: *Deum postquam hominem è limo terræ excitauit, inspirasse ei in faciem spiritum vitæ, & hominem viuere incepisse:* nam cum certum ac indubitatum sit animam per totum corpus fuisse diffusam, cur solius faciei mentio iniecta est, nisi quia animæ imago est, atque adeò ea pars, vbi anima principaliter videri gestit, vbi sensus exteriores & interiores monstrantur, vbi omnes commotiones facultatum & affectionum internarum apparent; ergo non aliter quam in horologio aliquo horas ex abditis rotulis colligimus, & in anima imaginem Dei relucere dicimus, ita præcipuè in facie animæ effigiem asserimus resplendere. Vnde sicut in toto homine nihil speciosius anima inuenitur, ita in corpore nihil venustius quam facies potest reperiri. Est ergo facies naturæ spiritualis, speculum lucidissimum, repræsentans ad viuum omnes facultates habitus, passiones & commotiones vniuersas.

sas. Est illa capitis frontispicium, in qua anima aulam suam erexit, in qua pulcherrimas functiones rationis, consilij, & alias obit atque exercet, & sicut ei cum maiore splendore ac magnificentia dominatur, quam reliquo corpori vniuerso, ita diuinus ille Architectus quo plane cognosci & coniectari posset, veram intus esse sedē & palatium Reginæ interioris, in ipso vestibulo Maiestatis suæ ancile statuit, omnes suæ nobilitatis & excellentiæ titulos velut elenchus quispiam declarans. Ancile autem ipsa facies est, quæ instar compendij alicuius multò quam perfectissimi omnem decorem corporalem ita complectitur, sicut anima spiritualem. Pulcritudo porrò totius corporis in tribus fundamentis ceu basibus tribus consistit, in varietate, in coloribus, & iusta partium proportione. Quod si ita est, vt omnino est, potestne reperiri aliquid, in quo plures partes æquè pulcrè ac venustè coagmentatæ sint, quam in facie, quam in vultu? In hac

In tribus corporis pulcritudo consistit.

hac quinque sensus & illius organo depinguntur: in hac varietas ostium, cartilaginum, musculorum, neruorum, arteriarum, venarum, pellium, pilorum insigni cum positionum, figurarum ac situum diuersitate spectatur: frons pulcherrimè ad rotunditatẽ accedens altissimum locum sortita est, velut thronus rationis: sequuntur hanc oculi, vt proximæ illi⁹ faces & lucidissimæ stellę: tertiũ locum aures occupant, velut auditores & præcipui officiales: quartus in ordine nasus est, canalis quidã odorum, & ianitor flatuũ ad pulmones intrantiũ: os reliquis humilius & depressius, molaribus suis probè instructum, custos linguæ & dentium, quò articulatè vox animæ internuntia exprimatur, & molinum stomachi rectè curetur, à quo salus & incolumitas corporis vniuersi depẽdet. Supercilia instar duarum pulcherrimarum Arcadum tecti loco & operculum quasi oculorum sunt: nasus altus & exaggeratus pulcherrimè ea diuidit. Aures à posteriore parte calices quidam

In facie mirabilis varietas partium spectatur.

Frons.

Oculi.

Nasus.

Os.

Supercilia.

Nasus.

Aures.

dam sunt & testæ, ac in solo homine immobiles, continuo patulæ & hiantes, ac velut nares aerem, ita quoque ipsæ sonos & voces excepturæ.

Genæ & mentũ. Genæ & mentum singulari prærogatiua vni homini attributa, partis huius nobilissimi frontispicij & excellentissimi ancilis decorem consummant. Iam quod ad colores, vbi

Colorum venustas in homine. illi venustius, vbi elegantius in vniuerso corpore aspersi videtur, quam in facie? Nam & oculi colorem nigrum referant, & candore venustissimè collucent, & vero pro diuersitate hominum modo virides, modo rufi, modo ignei sunt. Iam supercilia, iam barbæ, sicut experientia docet, nigricant, castaneas, aurum & argentum referunt: tota verò facies rubicunda minio proxima est, & in omnibus partibus speciosissimè variegata. Iam in proportione & symmetria quæ cura adhibita, quod stu-

Proportio accurata partium faciei. dium ab immenso illo Artifice non impensum in admirabili hoc opere esse videatur? partes vniuersæ iucundissimè se inuicem respectant & coagmentatæ sunt: oculus dexter

eadem

eadem quantitate siniſtram refert, qualitatem eandem, & motum nunquam diſſimilem habet: auris aurem non excedit, inter nares diſſimilitudo nulla eſt, labium labio, gena genæ, ſupercilium ſupercilio, nec maius, nec minus eſt: magnitudo oculi, oris magnitudo ac menſura eſt: latitudo frontis, naſi longitudo eſt: longitudo naſi labiorum & menti perfectiſſima menſura. Eſt ergo proportio hæc adeo venuſta, adeo diuina, vt hactenus ſemper & adhuc omnibus architectis & excellentibus artificibus, modulus ac forma ſit, ſecundum quam, ædificia ſua venuſtiſſimè dirigere, æquare, criſpare, variegare, & quaſi aliquo mundo architectonico poſſint exornare: quemadmodum etiam corpus abſolutiſſimum prototypon ſemper fuit, in proportionibus obſeruandis, magnitudinibus menſurandis, longitudinibus, latitudinibus, ac altitudinibus tam narium quam ædificiorum accuratiſſimè adhibendis. Videmus id euidenter factitatum in Arca Noe, vſuueniſſe in

Proportio partium in vultu multorũ operum paradigma.

Proportio corporis humani ædificiorum prototypon.

se in Tabernaculo* Moysis, obseruatum in templo Salomonis, & in pleriſque alijs ſtructuris veteris Teſtamenti inſignioribus & celebratis. Ecce tibi iam nunc itaque effigiem animæ multò quam floridiſſimam in facie ſtudioſiſſimè delineatam; nunc tempus admonere credo vt de facultatum imagine etiam dicendum eſſe aliquid videatur.

Arca Noe ſecundum proportionem corporis humani ædificata. S. Amb. l. de Noe. S. Aug. l. 15. ciu. c. 26 & l. 12. cont. Fauſt. Manich.

* *Gen. 6.*

In facie Imago Intellectus primæ animæ facultatis adumbrata.

COLLOQVIVM L.

THEO. NAE tu verò Creatorẽ illum & Architectum, ingenioſum admodum, vt ita dicam, fuiſſe arbitraris, qui in facie non modo animæ imaginem ſpecioſiſſimis colorum luminibus delinearit, ſed omnes etiam facultates eius quam accuratiſſimè in illa adumbrarit? quid tu enim oculos aliud repræſentare putas quam Intellectum? Idem enim vtriuſque admodum officium eſt, & quod iſte in anima præſtat, hoc illi in corpore ſtudio-

Oculi imagines Intellectus. Quod oculi in

ſtudioſiſſimè exequuntur. Per intellectũ ſpiritualia contemplamur: per oculos corporea intuemur. Per Intellectum Deum videmus, Solem & lucem incomprehenſibilem, & Angelos inſtar ſtellularũ ab eo lucẽ ſuam mutuantes: oculis ſolem mundi huius viſibilem, & minores ignes corporeos, qui illius lumine lucent, intuemur. Et quemadmodũ Intellectus ſpiritualis eſt, ac quam maximè à corporis contagione ſecretus, inſignis potentiæ & viuacitatis: totaliter enim res omnes videt atque intelligit; ita oculus perfectiſſimum illius ſpecimen, omnium ſenſuum, ſi quantitatem ſpectes minimus eſt: ſi vim, ſi virtutem, ſi facultatem; iam omnium maximum & actionibus quibuſcunque accommodatiſſimum, cum eſſe inueniemus: vſa eſt reuera ſingulari prorſus artificio natura illa omnium parens, cum viſum, cum oculum fabrefecit, cum eam partem architectata eſt, à qua radij & ſcintillæ illæ, quæ nobis prælucent, proficiſcuntur; ea enim nec lente

corpore, id intellectus in anima facit. Ariſt. 1. Top. c. 14.

Ariſt. l. 1. Met. c. 1.

lente maior est, nec acus caput excedit, & tamen (quis non admiretur, quis non obstupescat?) obit illa vastum illud cæli volumen & radiorum suorum vi vniuersum percurrens, longè se maiorem imaginem recipit & figuram apprehendit: penetrat illa momento temporis totum hoc quod inter cælum ac terram spatium relinquitur, & instar scintillæ confestim sursum emicantis corpora diuersissima trãscurrit, non aliter quam intellectus corporalis aliquis, contra omnium reliquorum sensuum naturam, quorum dominium exiguis limitibus clausum pedis mensuram non excedit: tactus enim quatuor solum primas qualitates habet, videlicet calidum, frigidum, humidum & aridum: gustus sapores: odoratus odores: aures sonum. Adde quod omnes isti sensus, & eorum actiones plurimum terrestres sunt, & ipse auditus, qui sensus admodum cæteroqui spiritualis est, [illegible] à Philosophis scientiarum Ianitor appellatur, tardus & segnis plane est in obiectis

Obiectũ visus maximum.

Auditus ianitor scientiarum.

iectis suis arripiendis, si oculi leuissimam considereres pernicitatem. Patet hoc ex tonitribus quorum terribiles mugitus & horrendi fragores, ipsum lumen ac fulmen præcedunt, & tamen oculus, quæ illius agilitas & velocitas est, longè ante lucem conspicatur, quam tonitru ad auriũ sensum deferatur, quod tamen prius coortum, ratio testatur & natura ipsa confirmat: iam in tormentis bellicis, in balistis, ac similibus instrumentis, in verberibus etiam quæ eminus infligi videmus, idem fieri contestatum est. Hæc ergo iam nunc causa est, cur oculus sedem in facie omnibus sibi altiorem & sublimiorem delegerit, quippe qui dignissimus est, & animæ familiarissimus, & vt ita dicam necessarius. Et quia ad viuum Intellectum repræsentat propter eam quam diximus correspondentiam, illud etiam efficitur vt imago illius sit, & sæpenumerò suum ipsi nomen impertiatur. Cum Dauid Deum precibus sollicitaret, quatenus sibi oculos clauderet ac obseraret, quo expeditior & ex-

Arist l. de sensu c. 1.

Arist. l. 2. meteo. cap. 8 de mundo c. 13.

Psalm. 18. 18.

citatior ad legem illius contemplandam efficeretur, quis non videt, animæ eum oculos seu Intellectum intellexisse? Iam cum in Genesi de Adamo & Eua dicitur, quod eorum oculi aperti nuditatem suam conspexerint, nihil minus dicitur, quam, quemadmodum D. Augustinus ait, ante hac cæcos eos extitisse, aut oculos ne viderent compressisse: sed quod nuditatem suam interiorem conspexerint, priuationem iustitiæ originalis cognouerint, & animas suas gratia diuina, non aliter quam corpus vestimentis aduerterint esse spoliatas. Non intelligebant illi turpitudinem peccati, priusquam id fuisset designatum: quod indies adhuc peccatoribus accidere videmus, ait Serapion, qui caloris ignem non sentiunt, nisi cum iam semiustulati ab eo discedunt. Oculi Dei, intelligentia illius sunt, prouidentia sunt, sapientia sunt, qui omnia vident, omnia sciunt, omnia considerant vt præsentia. Porrò quemadmodum duos oculos corpori natura indi-

S. Aug. lib. 14. de ciu. c. 7. lib. 1. de Gen. ad literam.

Oculi Dei.

Duo Intellectus oculi.

indidit, ita quoque intellectus duplicem consecutus est, intelligentiam videlicet, & rationem: intelligentiam dicimus, quando ingenio veritatem alicuius rei perfectè ac simpliciter consequimur, vt cum virtutem laude dignam esse perspicimus: rationem appellamus, quando per causas & discursus quippiam cognoscimus, vt Deum vnicuique præmia condigna redditurum, quia videlicet iustus est. Item quemadmodum ingenia in facultate & intelligendi modo variant, ita oculi visu ipso sæpenumero inter se dissimiles sunt & distinguuntur. Nonnullorum ita affecti sunt, tunc vt tantum videant, cum Sol splendet, nihil è contra prorsus, cum aura turbulenta est, aut Sol nocti concessit. Alij hebetem aciem interdiu experiuntur, acerrimam vero cum nox, cum tenebræ ingruerunt. Narrat de Tiberio Plinius, quod cum aliquando noctu à somno expergefieret, haud aliter quam in meridie omnia eum vi-

Varietas Intellectuũ & oculorũ. Plin. lib. 21. c 37.

Plin. lib. 11. c 37.

dere & agnoſcere potuiſſe. Sunt & alij, qui quantumuis longè à re quapiam conſtituti accuratiſſimè eam vident ac intuentur, nonnulli etiam nihil niſi cominus diſpicere, nihil niſi iuxta ſe poſitum & velut in ipſos ingeſtum oculos valent contemplari. Author eſt idem qui ante C. Plinius, Neronem niſi cum conniueret ad propè admota, oculos hebetes admodum caligantesque habuiſſe. Quidam rectè in obiectum feruntur, obliquè quidam & nõ niſi tranſuerſi. At videamus nunc quomodo eadem hæc in Intellectus oculis varietas reperiatur, & videndi diuerſitas in animo non abſimilis eluceſcat. Videas tu nonnullos adeo acris, adeo acuti, & elegantis eſſe ingenij, nihil vt non acie ſua penetrent, mente percipiant, intellectu aſſequantur. Videas alios adeo obtuſos & hebetes, vt non niſi luce meridiana clariora agnoſcant, & vbi quippiam nebuloſum ac tenebroſum difficultas aliqua inuexerit, caligare eos repentè videas ſudare, anxiè circum-

cumſpicere, & non aliter quam pix ſolet, diſſolui, liquefieri, & in calidos cineres deſtillare: quæ admodum prærogatiua ijs propria eſſe ſolet, qui tardi, qui ſtupidi, qui agreſtes ſunt. His genus quodam peius longè eſt, eorum videlicet, quos in tenebris acerrimè tuentes Lynces, interdiu talpas cæcitate ſuperare ſexagenario iuramento affirmares. Atque hæc reuera ingenia illa ſunt, naturæ contraria, quæ videndi ſenſu maximè valent, cùm vitia penetranda ſunt, cum modus ea deſignandi indagandus, cum verſura quæpiam inuenienda, imponendum vectigal, excogitandæ vſuræ, cædes intentandæ, adulteria committenda, furta perpetranda, turbæ dandæ, tumultus excitandi, hæreſes proſeminandæ, inſidiæ collocandæ, & eorum aliquid obeundum eſt, quod tenebræ cælant, nox tegit, caligo inuoluit: tunc illi Epidaurij ſunt, tunc Lynces, tunc vlulæ: at cum Sol iuſtitiæ, Deus cum illius bonitas, iudicium, virtus,

Ingenia peſſima, cæca interdiu, noctu viſu nõ expertia.

pœnitentia, ac vita æterna contemplanda est, tum illi in tanta claritate & luce meridiana, nihil vident, nihil agnoscunt, nihil apprehendunt. Affines istis sunt, qui non nisi quæ sub aspectum cadunt intuentur, & velut trabali clauo terræ & fugacibus illius bonis affixi, nunquam ad futura animum referunt, nunquam quæ impendent considerant, nunquam Mortem, nunquam Iudicium, Paradisum aut Inferorum sedes contemplantur. Iam qui suis rebus bene consulunt, animo ventura prospiciunt, virtutibus se instruunt, quo accuratè ad mortem accingantur, & tuti aliquando Dei conspectui repræsententur, isti denique sunt in quibus nec ingenij acumen desideres, nec oculorum aciem culpes ac reprehendas. Hos tu non vt priores illos obliquè & transuersè bona intueri, sed omnia rectè cernere videas ac contemplari. Et agnoscis tu iam credo diuina illa lineamenta, & imaginem intellectus venustissimam,

Ingenia prudentia.

Bona Ingenia qua sint.

quam

quam Deus in corporis oculis depinxit ac formauit: & quotiescunque proximi nostri vultum contuemur, occasionem habere cælestis illius bonitatis & peritissimi artificis opus pulcherrimum collaudandi ac prædicandi.

In facie voluntatem, secundam animæ facultatem elucere. De vi sermonis.

COLLOQVIVM LI.

THEO. INSPICIAMVS nunc etiam lineamenta illa, quæ cælestis ille pictor, in pulchetrima facie imagine nequaquam sibi omittenda esse duxit, voluntatis videlicet, quæ secunda animæ facultas est, & quasi alter color floridissimæ nostræ picturæ. Meministi tu scio fuisse cum dicerem voluntatem animæ vim ac neruum esse, libertatem animæ, honorem animæ, dedecus demum animę ac vituperiũ manifestum: ea nũc omnia ita denuo consideranda sunt, vt ori inesse sigillatim ostendamus. Hæc ergo Domina illa est, quæ non

Voluntas origo meritorum.

modo omnibus faciei partibus, sed vniuersi corporis membris fortitudinis laudem ereptam sibi vsurpat: fortitudinem dico homini conuenientissimam, bellè spiritualem, & haud aliquantò brachij robore excellentiorem, & longè melius vitam ac virtutem animæ declarantem. Porro fortitudo hæc vox est, oris opus, & ab ore solo profectum, quatuor præcipuè instrumenta euidenter exprimunt atque extorquent; videlicet lingua, dentes, labia, & palatum. Nam quod ad iugulum attinet, sermonis ille potius instrumentum, quam vocis existimatur; vox autem ipsa materia & fons sermonis est, os verò forma tantum. Vox ergo ita efformatā merito à Medicorum Principe principalis animæ actio appellatur. Neque enim ea quæ anima brachio efficit tanti esse debent, vt cum ore in comparationem adducenda sint: brachio enim tantum cum hominum ac bestiarum corporibus cernimus atque luctamur, ori autem tantum per sermonem suum licet indultumque est, vt

Sermo imago animæ.

Vox fons sermonis.

Vox principalis animæ actio. Gal. de vsu Part.

Vis sermonis.

est, vt cum nobilissimis ac fortissimis animabus, atque haud paulò corpore quolibet validioribus pugnet atque decertet: brachia hominibus vincula inijciunt, pedes compedibus innectunt, cruci catenis onerant: at os ingenia ligat, mentes capit, voluntates innodat. Sanè ipsi Poetæ, qui à veritatis luce quam longissimè abfuerunt, & id vnum operam dederunt, vt iucundis decora fabulis ad posteritatem monumenta sua transmitterent, & immortalitati consecrarent, nihilominus vim istam ac fortitudinem præclarè intellexerunt, quando nescio quem Herculem nobis depinxerunt, euomentem illum catenulas quasdam quibus artificiosissimè populi aures illigatæ ductorem & velut aurigæ sui frenum quocunque collibebat, sequi compellebantur. Significabant videlicet illi attractione ista potentiam vocis ex eleganti & bene nato ore promanantis, perque aurum & subtilitatem catenularum excellentiam cælestem ac spiritualem po-

Lucian. in Hercule.

S. Ioan. quare Chryſoſt. nomina-tus.

teſtatis illius indigitabant. D. certe Ioannes Antiochenus & Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ab hac virtute nomen ſuum Chryſoſtomus mutuatus eſſe perhibetur, quod idem eſt ac ſi dicas, os aureum. Ore ergo hominibus tonare licet, ore fulminare, ore grandinare; in ſubſellijs, in cancellis, in conſiſtorijs, in quibuſcunque demum hominum cætibus exultare, ſe iactare, ſe oſtentare: ore affectus effrenes, furor animorum, rabies ingeniorum frangitur & domatur: os triſtitiam eijcit, animi abiectionem tollit, iram lenit, timorem pellit, libidines & cupiditates profligat: ore in certaminibus miles animatur, in ſcholis ſtudioſus informatur, inſtitor ad mercaturam excitatur: ore denique poteſtates ſpirituum hominumque pariter demonſtrantur. Deus cum felicitate ſui ipſius contentus ſapientiſſimè ſolus regnaret, & innumerabilium ſæculorum æternitate rectus abderetur, mox laxato cordis ſui ore omnipotente, peperit filium ſibi coæqualem, & ſimiliter omnipo-

potentem, vndequaque bonum, sapientem, Dominum, Regem Deum sicut ipse, ætate, bonis, gloria, & omnibus sibi parem, Verbum dico suum, diuinum illud & quod maius est, quam vt comprehendi possit. Iam monstraturus creaturæ suam omnipotentiam, os aperuit, & verbo suo omnipotenti prolato ea confestim procreauit, quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ futura sunt. Et quamuis ille os corporeum non habeat, voluit tamen virtutem ac fortitudinem suam nostræ infirmitati conuenienter declarare, & istis vocabulis potissimum vti, quibus ea hominis pars significatur, in qua ad viuum imaginem & potentiam voluntatis opera verbis ac sermonis delineauit. At dices tu fortassis hoc loco, longius vocis originem repetendam esse, neque ex ore, sed prima sua scaturigine quæ anima est, hauriri illam oportere: fatebor ego perlubenter istud, neque etiam inficias tibi ibo, omnes omnino corporis actiones à virtute interiore proficisci: confirmat

Deus in verbo suo potẽtiam suã ostẽdit.

Cor scaturigo vocis.

autem istud propositum meum sicut vides, & euidenter ostendit, in ore omnem vim ac potestatem voluntatis depictam esse atque expressam: nam quemadmodum anima radix ac prima causa est quæ potentissimum illud efficacissimumque verbum concipit, ita os principale instrumentum est quod id parit atque producit, postquam nimirũ ex præcepto voluntatis formatum est, cuius idcirco proxima, & quam maximè naturalis imago videtur merito esse appellandum. Liceat mihi nunc per te hoc loco illud præterire, quod voluntas appetitus animalis subiectum sit; quod os corporis, & quod sæpenumerò gustare & sapere pro velle ac frui legimꝰ fuisse vsurpatum: vt Psalmographus ait: *Gustate & videte quã suauis est Dominus*, ac si dicat, applicate voluntates vestras, & fruimini bonis infinitæ huiꝰ bonitatis, & perspicito q̃ suauis illa sit, quippe cũ os in hoc vera imago & viua effigies voluntatis sit. Poteram eadẽ opera pulcherrimas ad hanc rem similitudines congerere, quæ

Gustare pro velle sumitur. Psal. 39.

quæ in hac corporis parte voluntati pulcherrimè respondent, nisi omninò sufficere isthæc arbitrarer, vt manifestè imago voluntatis in ore depicta esse videatur.

Liberum arbitrium per linguam repræsentari.

COLLOQVIVM LII.

VIDEAMVS nunc alteram voluntatis qualitatem, quam nos liberum arbitrium appellamus, & natura in lingua, parte oris, & membro corporis omnium liberrimo, maximè lubrico, & præcunctis sui iuris ac potestatis, accuratissimè esse voluit delineatam. Hæc enim prominet, hæc retrahitur, eleuatur, deprimitur, adeoque nullus angulus, nullumq; latus palati est, quod illa non transeat, non lambat atque attingat. Brachia quæ liberrima sunt & nos ante ita descripsimus, ligari possunt, vinciri possunt: verùm priusquam linguæ libertatem inuadas ac expugnes, duo muri occupandi sunt, labia vi-

THEO. *Nihil in homine lingua liberius.*

videlicet ac dentes: brachia frigus, calor, lassitudo, infirmitas, paralysis eneruare possunt, linguam non possunt. Vnde licet corpus in angustissimā capsā aut culeū insueretur, & vniuersa mēbra cōglutinarentur, lingua tamē liberrima in domicilio suo gestiret, volueretur ac exultaret, q̄ viuam imaginem excellentissimi illius liberi arbitrij præ se fert; quod in medijs carceribus, inter vincula, inter compedes, flammas, ferrum, fidiculas, & innumera tormenta, liberum arbitrium permanet, nulla vi expugnatur, violentia frangitur, metu à terrore pessum datur. Et idcirco similitudinem illius lingua consecuta est, qui pertinacissimè illud imitatur, & eius libertatem accuratissimè repræsentat.

In lingua virtutem vitiumq̄ repræsentari.

COLLOQVIVM LIII.

THEOL. ACCEDAMVS porrò iam illud, quod in eadem parte reperitur, imaginem videlicet vitij

vitij aut virtutis, laudis aut reprehẽ-
ſionis: nam cum vox velut internũ-
tia ac interpres animę ſit, ita eã quo-
que principalem baſim eſſe oportet,
in qua hominis vituperium, aut cõ-
mendatio contra verſetur. Ideò e-
nim planè Democritus ille, vocem
vmbram tantum ac repræſentatio-
nem operum eſſe dicebat: & Romu-
lus hominum ingenia ex ſermone,
non aliter quam teſtas ex ſono, cog-
noſcenda eſſe affirmabat. Demonax
animæ eam ſpeculum nominabat, q̃
quẽadmodũ ex ſpeculo figurã cor-
poris colligimus, ita animæ formã,
turpitudinẽ aut venuſtatẽ ex lingua
euidẽtiſſimè perſpiciamus. D. Iaco-
bus in epiſtolæ ſuæ cap. 1. ait eum
qui linguam ſuam refrenare neſciat,
religioſi hominis & boni viri titu-
lum ementiri. i. linguam malam aut
ſceleratã, bonæ vel ſiniſtræ fontem
eſſe exiſtimationis. Bias celebriũ il-
le veterum Philoſ. ac 7. ſapientum
propè coriphæ° dicebat, linguã rerũ
earum quæ in ſacrificijs offerrẽtur,
optimam peſſimamq; iuxta eſſe: &,
cur quæſo, niſi quia clarè indicare
vole-

Laer. l. 9. in Dem.

Max. ſer. 15.

Max. ſer. 15.

Lingua grande bonũ & grande malum.

volebat, membrum istud principale organum bonorum, & instrumẽtum malorum esse. Hæc Echo illa animæ est, semper eadem ingeminans, nunquamque aliud quã quod ab anima succlamatur edicens: quẽadmodum sacra scriptura ait, *stultus de stultis loquitur*, & prouerbium Gallorum inquit: *d'vn sac plain de charbon, n'en sort que de la poudre noire, et d'vne boette demusc, n'en sort que bonne odeur*. id est, è sacco pleno carbonibus puluis ater effunditur, è pomo muschi odor gratus exhalatur. Ergo si anima casta est, lingua impudica esse non potest; si anima humilis, si iusta, si sancta est, talem quoque linguam existere necesse erit: si verò auara, si crudelis, si libidinosa, si arrogans, si alio quopiam vitio denique affecta, id confestim lingua indicabit, nunquam celatura, nunquã occultura est. Núc quoniã ostendim' bonitatẽ aut malitiã originem suã, colorẽ & perfectionẽ à volũtate trahere ac mutuari, illud reuera consectarium erit, si lingua ad viuum animæ vitia aut vir-

Prouerb. stultus stulta loquitur.

virtutes repræsentat, veram perfectamque eam voluntatis imaginem esse oportere, scaturiginem pietatis aut improbitatis spiritualis, & proprium instrumentum gloriæ ac vituperij, meriti aut peccati esse meritò vocitandam.

In auribus tertiam animæ facultatem Memoriæ esse depictam.

COLLOQVIVM LIV.

ACCEDIT nunc pulcherrimis istis animæ ornamentis & facultatibus Memoria, quę speciosissimè in auribus picta ac adumbrata est: non modò propter ipsam concauitatem & capacitatem, sed propter officium etiam quo res recipere, ac receptas retinere fideliter & diligenter debet, quemadmodum quoque animæ ista facultas Memoria, quam repræsentat capacissimum scientiarum receptaculũ est, & omnium cognitionum ac secretorum animæ locupletissimum penu. Demonstrat quoque illud ipse earũ situs, ipsa constitutio, ipsa dispo- THEO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

positio. Nam dum à facie lõgius absunt, quam bellè & venustè memoriam nobis repræsentant, quæ similiter sedẽ suã in anima penitius collocauit? quę cũ nihil admittat, nihilque planè recipiat quod non ante intellectum ac voluntatẽ transierit, instar postici alicuius est ac posterioris officinæ. Et hãc reuera ob causã veteres illi aurem Diuæ Memoriæ consecratam esse voluerunt: & Latini familiare sibi loquendi genus sẽper illud habuerunt, vt dicerent aurem alicui peruellere, & obliteratum quippiam postliminio in memoriã reuocare: reapse ac si ipsi illi auriũ cõmotioni vis quædã inesset, per quã in ea quæ obliti sumus recẽter admodum reminiscendo regrederemur: & ne plurium hic authorum classicorum authoritas ac testimonia necessaria esse videantur, vnũ instar omniũ C. Plinium, studiosissimum illum naturalis Philosophiæ scriptorem in rem prẽsentem adducemus, qui ait: Videtur certè in extremitatibus auricularũ sedes memoriæ esse collocata, quoniam eam illis

Auris Dea Memoria sacra.

Prouerb. aurem vellere.

Cal. Tho l. 3. t. 29. serui. in Eclog. 6. Virg. & l. 3. Ae.

Pln. l. 11. c. 45.

illis peruellere consueuimus, quos velut testes eorum facimus quæ à nobis prolata sunt. Et cùm quæstio inciderit de Deorum iris placandis propter dictũ aliquod volæ immussatum, digitũ annularẽ osculamur, & eo locũ Nemensis attingimus qui post aurem dexteram est. Veteres Aegyptij earum semper rerũ studiosissimi quibus sua inuoluere, & nõ aliter quam mysteria hieroglyphicis poterant occultare, cum obscurè sapientioribus hominem bonæ memoriæ essent significaturi, vulpem aut leporem pingere solebant, animalia reapse illa quæ & ab audiendi sensu acerrimo, & verò etiam à Memoria admodum commendant ij, qui Historias naturales composuerunt. Tempus nunc admonere videtur, satis vt de tribus animæ facultatibus, intellectu, voluntate, & memoria dictum esse arbitremur. Videamus itaque quomodo similitudo illa, quæ in anima imaginem comitatur, luculenter in ista quoque parte eluceſcat.

Apul. l. met. 11. Alex. ab Alex. l. c. 19.

In facie animæ similitudinem conspici.

COLLOQVIVM LV.

THEO. *Quomodo homo Dei similitudinẽ perdat.*

DIXIMVS paulò ante hominem ad imaginem & similitudinem Dei fuisse procreatum: demonstrauimus etiam quomodo Imago ista quæ perpetuò in animæ essentia permanet, & in tribus illis facultatibus perennat, esse suũ semper retineat, quippè cũ facultates istæ dona naturalia sint, & nonnisi cum ipsa natura tollantur ac euanescãt, quo quidem in loco illud etiam me dixisse memini, similitudinem Dei (quæ in donis, gratijs, virtutibus, ac sanctis actionibus gratuitis, per vsum liberi arbitrij consistit) expungi ac doleri posse, cùm videlicet homo improbã viuendi viam præ se rapit, vitia amplexatur, & in turpissimo suarum libidinum cœno volutatur, non iã imaginem ac similitudinem Dei, sed Diaboli induit atque assumit: adeò nimirum vt qui vnius capax est, alterius quoque sit, ratione puta suæ liber-

Deus vult vt nõ modò illius imaginẽ sed similitudinẽ etiã habeamus.

libertatis, cum is Creatoris noſtri ſenſus ſit, vt quemadmodum nunquam non illius imaginem portamus, ita quoque continuò ſimilitudinem eiuſdem circumferamus, & idcircò creati ſimus, nihil tamen libertate ea impediente, quam nacti ſumus, vt vel contrarium exequi ac deſignare queamus. Quoniam ergo hactenus demonſtrauimus imaginẽ Dei animæ inſculptam, in facie verò depictam eſſe, oſtendamus nunc quomodo in eadem ſimilitudo illa non rudibus lineamentis, ſed elegãti colorum flore exornata eluceſcat. Et faciemus planè id, demonſtrãdo videlicet, quomodo ſingulari quadam ratione habitus & affectiones animæ interiores perſpicuè ex ea cognoſcantur: quod quàm à veritate non abhorreat, experientia docet, in omni memoria receptum ac factitatum illud fuiſſe, vt ex facie ipſa hominis indoles colligeretur, & animæ vt ita dicam, complexio non obſcurè perſpiceretur. Ioſeph certè ex illuſtri illo duodecim Patriarcharum cætu, Dauid, Heſter, Iudith,

Ariſt. prob. ſec. 21. q. 1. Cic. 3. de Orat.

Multi ſancti à

pulchritudine laudati.

Iudith, Susanna & sexcenta Sanctorum aliorum celebrata nomina, singulariter semper à pulchritudine & eleganti corporis constitutione celebrati sunt: quo videlicet S. Scriptura manifestè nobis ostenderet, lineamenta spiritus interiora, ex colorum lumine corporis exteriore colligenda esse & conijcienda: tum vt intelligeremus symmetriam illam ac correspondentiam multò quam iucũdissimam inter Sanctorũ istorum animas & facies, interioré venustatem, & externam corporis concinnitatem. Quid ergo nunc de Seruatore nostro dicam, quem euidentissima diuinitatis suæ signa ac testimonia in faciei lineamentis circumtulisse, certum admodum ac contestatum est? Vnde Regius Propheta ait: *Speciosꝰ forma præ filijs hominum, gratia diffusa in labijs tuis.*

Ps.44. 3.

B. Virgo pulcherrima.

Iam gratiosam Virginem Mariam radios quosdam diuinarum suarum virtutum ex facie vultuque speciosissimo effudisse, testatur Sancti Lucæ effigies Venetijs asseruata, & innumerabiles aliæ secundum hoc pro-

protopypon efformatæ, ac passim per Christiani nominis orbem sparsæ atque coniectæ. In quibus omninò cernere licet quam accuratè Epiphanij & Nicephori descriptioni pulcherrima corporis constitutio respondeat, ac nihil ab ea planè aberret: qui omninò ita eam descripserunt, vt in fronte, supercilijs, oculis, genis, ore, & in vniuersis denique virginalis illius corporis partibus, pulcherrimam picturam modestiæ, lineamenta humilitatis, colores grauitatis, prudentiæ, tẽperantiæ & rarissimarũ aliarũ diuinarũq; qualitatum in hanc venustissimam animam collatarum agnoscas. Atq; si imago illa ab arte tantũ profecta ita clarè & liquidò thesauros interiores nobis aperit atq; ostẽdit, quam tu euidẽter eos in Reginæ cælestis istius facie eluxisse & emicuisse arbitraris? quã perspicuè, quam ad viuum ab ea tu illos repræsentatos fuisse existimas? Quid ego iam nunc dicam, quomodo Deus vnum nobilissimarum istarum partium mutãs aut transfigurans, necessario quasi alte-

Sigon. in Hist. Ita. Theod. de Apold. in vita S. Domin. Canis. in Mar. l. 5. c. 22. Nic. 2. Eccl. his. c. 23. ex Epiph. Epist. Const.

Anima mutata vultum quoque immutat.

alteram quoque voluerit variatam?
Exod.34. 29. Moyses cum quadraginta ipsos dies in Monte Syna perstitisset facie solis instar flammicante, reuersus fuit,
2.Cor.3. 13. adeò vt iam ab Hebræis amplius cõspici aut videri non posset. Ostendebat videlicet noua illa faciei qualitas, & cœlestis ille radiorum splẽdor, gratiam quam ex colloquio cũ Deo habito Propheta acceperat: cũque iam anima noua & peculiari scientia ac fortitudine esset perfusa, vultus etiam index & interpres illius iustissima proportione ei assimilari debebat, quo externa illa luce & claritate interius cognitionis sciẽtiæque lumen designaretur, & radij instar cornuum promicantes, diuinam virtutem recenter sibi collatã testificarentur: nam & istud scripturæ sacræ per quam familiare est, vt per lumen scientiam intelligat, per cornua fortitudinem ac virtutem. Iam quemadmodum facies virtutum, certissimus index est, ita vitiorum quoque, quæ hominem Diabolo similem efficiunt, euidentissimum signum esse perhibetur. Pleni

In scriptura sacra per lumẽ scientiam, per cornua virtutem ac fortitudinẽ intelligimus.

Vitia hominem Diabolo assimilant.

sunt

sunt omnes libri, plena exemplorũ recentium monumenta, plena omnis antiquitas, ex quibus præclarè intelligere possis, vitam ac mores hominum profligatorum ac perditissimorum nunquam nõ quam euidentissimè ipsa oris ac faciei confirmatione fuisse adumbrata. Mario certè adeò toruos & terribiles oculos aspectũque fuisse affirmant, vt solo eorum coniectu hominem aliquando ad vim sibi inferendã missum abs se absterruerit, si eam è manibus excusserit, & animo, quem ad id flagitium eum esse oportebat, cõsternarit: at erat ille crudelis etiam, immanis & barbarus, ita vt non alteri, quam ipsi faciei illa crudelitas conuenire potuisse videatur. Caligulæ, fęda & deformis corporis cõstitutio, apertè spurcitiem turpitudinemque libidinum demonstrabat. De Cadualdo Anglorum Rege memoriam accepimus, quod adeò graphicè & peritè barbarã illius truculentiam natura in vultu sategerit imitari, vt ipsi subditi eius effigiem in bellis, in conflictibus, hostibus

Plut. in Mario.

Suet. in Calig.

Polyd. Virg. l. 4.

Iliad. 2. *Iuuen. 2. Sat. 8.*

obijcere, & velut terriculũ inimicis ſoliti fuerint demonſtrare. Homer' ita venuſtè & accuratè Therſitæ turpitudinẽ nobis depingit, vt etſi ne verbum quidem de ſuis moribus faceret, intelligi tamẽ præclarè potuerit, fœdiſſimę eũ planè ſpurciſſimæq; animæ eſſe oportere. Porrò Vet. illi tantũ fidei externæ iſti corporis conformationi tribuebãt, publicũ vt etiam ludum aperirent, in quo qui profeſſione fungebantur, Phyſiognomi appellabantur. Ariſtoteles qui præ cæteris ſui ordinis ſingulariter à Deo colluſtratus plus omnibus in naturæ ſecretis mihi videſſe videtur, tractatũ conſcripſit, quo qualitates hominũ occultas per membrorũ inſpectionem, præcipuè tamẽ faciei colligere intelligereq; poſſimus: & ſexcenti omninò alijti Græci, quã Latini curioſiſſimè ſubiectũ iſtud deſcripſerũt, & cuilibet animæ qualitati locũ ſuum in facie aſſignauerũt. Libet ergo hoc loco venicum Plin. adducere, quo ijs ſatisfaciamus, qui primoribus tãtũ labijs hanc Phyſiognomiã guſtare geſtiũt ac de-

Ariſt. Phyſic. item l. de hiſt. ani. c. 8. Ale. ab Alex. l. 2. c. 19.

ac delibare: ait ergo ille in quodam Historiæ suæ loco. Frons & alijs: sed homini tantũ tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascensu eius supercilia homini, & pariter & alternè mobilia, & in ijs pars animi. Negamus, annuim⁹. Hæc maximè indicant fastũ. Superbia alicui conceptaculum, sed hic sedẽ habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusq; inuenit in corpore, vbi solitaria esset: & in alio loco super eadem re verba faciens Trogi sententias allegat, quibus id astruere conatur, ac confirmare: Etsi tu & Zopyrum illum nouisse debes, quem artis huius professionem factitauisse Cicero author est.

Lib. 11. c 37.

Supercilia superbiæ sedes.

l. 11. c. 52.

Cic. l. de Fato.

Nihil certi de anima statuendum ex faciei coniecturis.

COLLOQVIVM LVI.

VALDE ego te hoc loco circumspectũ esse optarim, nec nisi cum salis aliquo grano ea accipere, quæ à me prolata sunt, ne quis fortè eum in errorem pro- THEO.

labatur, vt ex vultu infallibili planè de improbitate hominis aut bonitate argumentum peti posse arbitretur. Amat namque & illud sæpenumerò fieri, vt optima pulcherrimaque ingenia turpē ac deformem faciem velut domicilium sortiantur: & è contra venustissimos eos à natura efformari videamus, qui nisi quod improbè, q̄ sceleratè multa facere possunt, vix quidquā ab Aesopicæ illius vulpis simulacro differunt. Nā & in Aesopo extrema deformitas fuisse perhibetur, & hominē tamen, si quis alius, ingeniū à natura elegātissimum habuisse, nemo nescire potest, cui vel fabulæ tantū nō ignotæ sunt, quas ille admirabili industria cōscripsit & excogitauit. Iā Absalonē è contra elegātissima forma præditū, animā turpissimā & omnibus flagitiorum generibus contaminatā habuisse sacri Codices testantur. Est nimirum hæc supremi illius Cōditoris bonitas, vt corporis minus elegantē & decorā conformationē, ingenij pulchritudine viuacitateq; cōpenset. Etsi & ipsa sæpè educatio ani-

Facies mendax.

animã formare, aut deformare posſit, & quæ à natura lineamenta coloresq; traxit, variare ac commutare, vnde & iſtud tũc cõſequi neceſſe eſt, faciẽ nequaquã, quę int' & in animo latent, oſtẽdere poſſe & indigitare. Cuius luculentum exemplum, apud Ciceronẽ in eo, quem de Fato librũ conſcripſit, de Socratis Phyſiognomicis lineamentis reperimus. Itaq; cùm etiam mala & improba educatio mores cuiuſpiã corrupit ac deprauauit, iã facies eius laruã tantum eſſe oportet ac velum gratioſũ, ſub quo anima fucata & pe[illegible]alit: cuiuſmodi ſeculum noſtrũ multum quã feraciſſimũ eſt, adeo vt vix Muſicũ vllum reperias, qui ei accõmodat' ſit, niſi probè admodũ chordam eam, quã falsã artifices appellant, ſubinde tangere ac percutere poſſit. Plenũ illud eſt cæremonijs, plenũ geſticulationibus, plenũ manuũ oſculatis, adeò vt quando nonnulli ſtudioſiores ſe tibi externis ſignis oſtenderint, tantò tui maiores hoſtes ſint ac inimici. Verũ vt vt ſit, illud reuera manet animæ ſimilitu-

Educatio naturã mutare poteſt.

Socrates caſtiſſimus.

Pulcra facies hominis improbi aruatãtum eſt.

dinẽ nõ leuibus lineamẽtis, sed claris & lucidis coloribus in facie esse adũbratã. Nã etsi sæpenumerò propter causas iã dictas inter prototypõ & picturã ipsã dissimilitudo reperiatur, illud tamẽ certũ ac indubitatum est, multas faciei notas impressas esse euidentissimas interiorũ qualitatum; quod satis omninò est ad id, quod volumus, demonstrandum, esse videlicet non pauca, cur ea animæ pictura ac similitudo videatur appellanda.

Facies Boetiũ est animæ passionum.

COLLOQVIVM LVII.

THEOL. *Omnes quatuor passiones in facie sedem habent. Boet. l. 1. de Cons. Philos. met. 7. S. Thom. 1.2.q.25. art.4.*

OStendamus nunc quomodo eadẽ facies lucidissimũ speculum animæ passionum sit, quæ ipsorũ habituũ effecta quædam appellãtur. Primũ itaq; quatuor illę præcipuæ Passiones, lętitia, tristitia, spes, ac timor, quã pulchrè sedes oẽs suas in illa collocarũt, in eaq; videri gestiunt & digito demõstrari? Lætitiæ ergo frontẽ & oculos assignant, etsi primario os, quod risu & hilaritate sua velut colore quopiam lucidissimo ad viuũ eã exprimit atq; de-

pin-

pingit: iã eundẽ locum triſtitia occupat, nec minus in tribus iſtis ſedibus videri ſpectariq́ue vult: cõuertens videl. B. molle in B. durum, & paginã vertens foliumq́ue commutans: frõs namq́; contractione, oculus lachrymis, os ipſa deiectione & occulta quadam diſplicentia animã mærere teſtatur. Hinc magnus ille Naturæ perſcrutator Plin. ait: *Profectò oculis animus inhabitat. Hinc ille miſericordiæ lachrymæ. Hinc fletus & rigantes orariui. Quis ille humor eſt, in dolore tam fœcundus & paratus, aut vbi reliquo tempore?* Sunt planè hæc naturę opera, sũt magni illi Creatoris miracula, qui vbicunq; ei collibuit, admirandum præſtare & exhibere ſe poteſt. Iã quã diſtinctè timor ab anima in faciẽ effunditur, dũ pallet; quã euidenter ſpes in eam trãſit, dum rubore venuſtiſſimo colorata temperataq́ue eſt? Iracundia verò nonne manifeſtè in hac corporis parte elucet, quæ quemadmodũ flamma in ſilua, ſic ipſa in facie volutatur? ea enim cum imperat, frons complicatur, ſupercilia attollũtur,

Plin. l. 11. c. 37.

Origo lachrymarũ ex oculis admirãda.

Timor, ſpes & ira in facie.

oculi colorem igneum præ se ferũt, & instar carbonũ in capite gyrátur, fumant nares, pallent genæ, & eodẽ instanti robore perfunduntur, labia tremunt, ac deniq; vniuersæ illius partes animã tonare ac fulgurare indicant euidẽterq; loquuntur: & hic reuera locus ille est, in quo exultare Poetæ solẽt, & oẽs suos colores ac lumina conferre, vt quã maximè ad viuum hominis inflammati vultum faciemq; depingãt. Cain cũ sacrificiũ suum Deo ingratũ fuisse videret, grauissimis doloris & iracũdiæ stimulis exacerbatus æstuabat, & sicut scriptura ait, *cõcidit vultus eius*. Atq; vt vno verbo dicã, oẽs cæterę passiones, quæ nihil aliud quã rami suprà dictarũ & velut surculi quidam sũt, euidentissimè in corporis illa superiore parte elucent. Vnde etiã in eã digredimur cognitionẽ, quantò homo maiora subsidia habeat ad passiones suas intelligendũ, quã cæteræ bestiæ & animantes. Nã vt omittamus id quod præcipuũ est, posse eum verbis alijsq; à ratione procedentibus demonstrationibus, cordis suæ mo-

Poetæ irã ex facie describũt

Gen. 4. 5.

Homo multis præsidijs instructꝰ quibꝰ affectiones suas intelligit.

motũ, & animi ſenſa placitaq; foras proferre, quanti tu quæſo naturalia illa ſigna faciẽda eſſe exiſtimas, quæ innumera ſunt & ſignificãtiora eſſe non poſſunt? Beſtijs & auibus illud natura inſeuit, vt cantu ſuo ac voce, aut etiã partis alicuius corporeę cõmotione paſſiones ſuas ꝓdere poſſint & demonſtrare. Itaq; turtur gemitibus ſuis dolorem moleſtiamq; teſtatur. Coruus crocitando timorẽ & metũ. Pica cũ admodũ ira æſtuat, & pullos ſibi ſubtractos ſtomachatur, roſtrũ arbori illidit, ictus ingeminat, contuſionesque frequentat. Leo rabiẽ & inflammatum animum horrendo rugitu indicat, & caudæ verberibus ac reflexione irã demõſtrat. Ceruus cũ eũ Leo perſequitur, & fortè hominem obuium habet, ad eum confugit, & lachrymãdo anguſtias ſuas exponit. Crocodil' lacrymas emittit cum quempiã deuoraturus eſt. Equi & muli fatigati, aures demittũt, cũ timore percellũtur, ijs argutantur. Lepores quoque cum metu, ac canibus in furia conſtituti ſepiuntur, eas attollunt, cum morbo

Turtur.

Coruus.

Pica.

Leo.

Crocodilus.

Equi & muli.

Lepores.

tentantur, pendere eas defluereque permittunt. Asini quoq; quid patiãtur auribus produnt atq; loquũtur. Canes latrando iram effundunt. Feles caudæ suæ commotione modo iracundiam, modò blãditias præ se ferũt. Nullũ deniq; animal est, quod non horũ modorum vsurpet aliquẽ, cum animam & cor suum detectura sunt: homo aũt longè plura signa cõsecutus est, quibus in corpore suo ostendere ac demonstrare possit, quid anima timeat, sentiat, patiatur. vnde reuera consequitur partem hanc, faciẽ dico, tabellam esse, in qua oẽs animæ motus ac passiones viuis pulcherrimisque coloribus adumbratæ cernantur atq; spectẽtur: & quẽadmodũ in anima imago & similitudo Dei elucet, ita in vultu animæ effigiem & similitudinem apparere.

Asinus.

Canis.

Felis.

In manu etiam imaginem animæ similitudinemq; elucere.

COLLOQVIVM LVIII.

THEO. VIdetur nunc & illud reliquũ esse, vt quemadmodum ani-

mæ

mæ effigies ac similitudo manui quoque impressa sit, consideremus. PH. Næ tu ergo rē difficilem aggredieris, & id quod mihi nunquā suspicari in mētē venire potuisset, manum summam cum anima affinitatē habere demonstrabis? TH. Confido ego futurum admodū, vt sub finem clarū ac perspicuū tibi id videatur, pleraq; .n. opera Dei cōditoris ita se habent, vt nisi benè ea ruminaris & exactissimè examinaris, vix ac ne vix quidē intelligere possis: age ergo nunc ab eo auspicemur, quod tu difficultatem habere aliquam non iniuria arbitraris. Vt itaque primū anima per vniuersum corpus diffusa, in singulisque partibus integra est, quæ proprietas rebus spiritualibus tantum conuenit: quæ non nisi integræ reperiuntur vbi sunt, nec in partes diuidi aut membra possunt dispesci, ita manus similitudine quadam & peculiari modo per totum corpus diffusa esse videtur: nihil enim admodum in vniuerso corpore reperias quod ea nō palpet, nō quādocūq; collibitū est attingat:

Manus est in toto corpore.

Arist. 1. de ani.

S. Aug. l. de qual. animæ c. 3. & 15.

Dion. c. 2. de diuin. nom.

& licet pedes, oculi, aures̃q; pro toto corpore esse dicamus, illud tamẽ non cõcedimus, vbiq́ue vt eas reperiri asseramus: habent enim singulæ certum suum ac destinatum locum; manus verò omnia attrectat, vbique est, nec nisi integra agit, operatur, molitur. Cùm oculus pedem intuetur, virtute tantũ illic est, nec enim locum suum migrat; manus verò cũ alicubi est, actu præsens est. Iã tres illæ animæ nobilissimæ facultates, quam clarè & perspicuè manu tibi repræsentantur? Nam voluntas, quã animæ neruum ac robur appellamus, per arteriam seu pulsum significatur, qui manus virtutem ac fortitudinem vniuersam complecti videtur. Intellectum verò, qui lumen ac facifer animæ est, speciosissimè & argutissimè eo digito demonstram⁹, quem Indicẽ idcircò dicimus, quod cùm aliquid notandũ signandumq́; est, eò id clarè ac euidenter indigitemus. Memoria porrò sicut illud muneris consecuta est, vt arripiat, vt apprehendat, vt seruat, ita cæteri digiti quæ corripuerunt tenacissi-

Tres animæ facultates in manũ depictæ.

Intellect⁹ se aliaq́; cognoscit.

cissimè auferũt, & ablata diligẽtissimè student retinere. Iã intellectus etiã nõ modo alia, sed se ipsũ quoq; perfectissimè cognoscit, q̃ nequaquam oculus prẽstare potest, etsi intellectum figurat ac præ se ferat: licet enim alia corpora contemplet-tur, in se ipsum tamen reflecti nullo modo potest: voluntas desiderijs suis non in alias tantum res fertur, sed etiam in seipsam, quamuis lingua quæ vo'untatis figura est, id non repræsent ;, quæ cibos, non autem se ipsam, otest degustare. Memoria & se ipsam, & res extra se positas pro obiecto accepit. Manus ergo, quo omnium harum proprietatum similitudinem sibi impressam esse ostendat, monstrant, tangunt, attrectant omnia, & se adeo ipsas palpant ac apprehendunt: pingunt illæ, repræsentant illæ vt vniuersa, ita se ipsas, ligant omnia, ad se quoque omnia restringunt, at in se ipsis etiam illud designant. Plato itaque animæ pulchritudinem, quasi vnico lineamento accuratissimè adumbraturus, & quomodo ea sibi ipsi in

Manus pro se & pro alijs membris agit.

Plato dicebat animã ex numeris compositam.

absolutissima proportione placeat ostensurus, numerum eam appellauit, aut si mauis è numeris cõpositam esse demonstrauit. Porrò eadem omnino similitudo impressa manui est, quippe quæ iustissima proportiõe & absolutissima venustate prædita, propriam sibi quodãmodo hãc laudẽ feciſſe, & vindicare velle videtur. per manum autem non vnicã tantum sed vtramque intelligo, sicut manum lauare nos dicimus, cum reuera ambas interim lotas arbitremur. Componitur ergo ea ex decem digitis, numero illo omniũ numerorum origine, & proportionum fonte, quippe cum reliqui vniuersi nihil aliud sint, quam huius multiplicatio ac repetitio. Vndecim enim decem & vnum sunt, viginti bis decem, & sic in cæteris idem iudicium est. Et idcirco species proportionum aut pulcritudinis in hac parte reperiri nulla potest, quæ non hic velut in origine sua lateat & comprehensa sit. Ad huius proinde iam nunc imitationem manus fons & seminarium artium scientiarumque

Numer⁹ denarius omnium numerorũ origo. Arist. 3. Phys. textu comment. 61.

que est, quemadmodum confestim di[illegible]s. Potest ne ergo vlla pars corporis reperiri, quæ melius intellectus inuentiones repræsentet, dexterius voluntati pareat, aut fidelius memoriæ thesauros asseruet, quam manus illa, de qua sermonem instituimus? an non hæc illa est, quæ ope modici atramenti, aut alio quopiam modo, cum bonum illi factu videbitur, abstructissima & maximè spiritualia intellectui repræsentat? an non hæc illa est, quæ vnico verbo in exigua chartæ scheda mille conceptus ingenij & sexcentas inuentiones depingit atque inuoluit, easq; in vniuersum mundũ proijciens atque diuulgans mutis & inanimatis sermonem, voces, ac verba subministrare; characteribus, apicibus, literis, vt internũtijs, vt interpretibus, vt Mercurijs, vti videtur? an non hæc illa est, quæ homines terris ac Oceano diuisis, verba inuicem commutare, & familiarissimè inter se colloqui facit ac conuiuari? quis admirandum hoc opus comprehendere, nisi experientia mon-

Manus imago Intellectus & cogitationum interpres.

tia monstraret, & si experientia non adeo vulgaris foret, quis maius miraculũ posset desiderare? Libet mihi hoc loco illud tecum in memoriam reuocare, quod anno supra millesimum quingentesimum septuagesimo secundo, à religiosæ cuiusdam familiæ Patre, recenter ex Brasilia tunc aduentante mihi memini fuisse enarratum. Inquilinum ille eius loci nouum admodum nobili genere oriundum Europæum fuisse aiebat, qui aliquando ad vicinum suum eiusdẽ nationis itidemque nobilem sportulam recentibus ficubus oneratam, per pedissequum Peruuinum deportari iusserit, addit à scheda muneris indice. Puer in viã se dans, curiositate quadam adducitur eas vt non modo contempletur, sed attingat etiam, degustet, ac contrectet; mandatum heri nihilominus exequitur, & munus quò mittebatur defert. Nobilis dono accepto ac liberis iuxta lectis, fraudem subodoratus, subridere, & largius paulo fructus prægustatos puero dicere: negare ille, protestari, stomacha-

Historia iucundissima.

ri: no-

ri: nobilis testimonium heri allegare qui numerum ficuum in literis sibi perscripsisset. Hic tum adolescēs postquam chartam numerum indicare, & quid rerum gestum esset demonstrare animaduertit, admirari, stupere, hærere, adeò & lapides locutos putare, & potius diuinare, nec bilem velle augurari, & veritatem isthoc sermonis genere expiscari, quam ex literis istiusmodi aliquid resciuisse suspicari; pertinaciter proinde negare, & velut plausibili argumento rem diluiturus, contendere, chartæ nec aures esse nec os, atque ideo vana narrari, sibi mendacia affingi, fumos vendi. Nobilis ergo mirificè homine ita in stuporem dato, & propter insignem cōstantiam admodum recreatus, eum ad herum remittit, adiecta similiter scheda qua gratias pro dono agebat, & quid accidisset referebat. Eo itaque domum reuerso, & historia ab hero cognita, altum silentium, risus incredibilis oritur, & per tempus commoda famulo punitio reseruatur. Octo ergo diebus post eundem

cum

cum simili dono ac literulis ad prædictum nobilem ablegat, sporta nónihil firmius quam ante obserata, ne denuo pedissequo furti occasio & aditus præberetur. Verum ille & mundum & homines ludos se nuper feciſſe autumans, velut ex condicto in corbem inuolat, ficus egerit, chartam cui sensum ineſſe fortè suspicabatur subtus inuentam, lapidi supponit, ipse insidens animosè epulatur, & haud aliquanto largius quam proximè helluatus schedam in locum reponit & iter prosequitur. Ergo cum humaniter à nobili exceptus fuisset, mox ab eodem obiurgatur, & quo manifestè se teneri intelligeret, quantum comederit, quomodo mandatum heri contempserit audit. Hic ille sudare, admirari, & iam velut subtiliorem sagacioremque nobilem factum intueri, varia in animo voluere quomodo charta retrusa & abscondita, ignara etiam, quæ nec viderit, nec senserit, adeo manifestè edisserat; negare ergo, peiurare, & eundem quem nuper euentum sperare. Nobilis itaque

que homine dimisso & alia scheda tradita accuratè rem vniuersam complectente, acquieſcit. Herus certior factus iuuenem flagris cædi iubet, clamitare ille, & ne factum fateretur, chartam mutam esse vociferari, latuisse etiam eam quid geri potuerit, & mirum esse quomodo ab ea accusatus delatusque sit. Ita videlicet omnes nos admirandum illud manuum opus suspiceremus, nisi ipse vsus, ipsa consuetudo minus id nobis rarum faceret & obstupescendum. *Maius hoc miraculum est*, ait Diuus Augustinus, quod Deus vniuersum hoc gubernat & alit, quam quod olim quinque millia hominum, quinque panibus & duobus piscibus pauit: & tamen prius non admiramur, posterius verò obstupescimus, non quod maius id sit, sed quod rarius & infrequentius: quotidiana enim experientia admirationem rerum mirabilium nobis aufert. Idem nos reuera de hoc dicere possumus, ac de innumerabilibus alijs, quorum existimatio parua apud nos est, propter eam

Augustr. tract. 24 in Ioan.

eam cauſam quam modo iuimus aſſignatum. Porrò idem hoc manus officium voluntati ſeruit, dum eius deſideriis morem gerit, & memoriam iuuat, dum infirmam excitat, & nonnunquam deficientem confirmat. Per literas enim quas manus pingit atque exarat, & per ſexcenta alia ſeruitia quæ obit, quemadmodum poſtea dicemus, voluntas in effectum deducit quod fieri ſibi expetit atque deſiderat. Ita quoque exiguis iſtis apicibus & characteribus manu efformatis, mirum omnino eſt quantum memoria adiuuetur. Codicilli ac aduerſaria noſtra eam conſeruant, & quæ ſæpenumerò effugiſſent, per pugillares, per Ephemerides retinẽtur. Illud ergo quod Plato olim dicebat, videlicet literas memoriæ ruinam eſſe, de pigris ac ignauis tantum accipiendum eſt, qui vbi in tabellas ſuas quippiam retulerunt, iam omnia ſalua eſſe arbitrantur, & earum fidelitate freti, nunquam eas conſulunt, nunquam memoriæ infigunt. Iam quemadmodum etiam Intellectus artes concipit

pit atque excogitat, ita manus eas parit ac velut in lucem profundit. Atque hæc reuera causa est cur Artamidorus artes per manum significari dixerit, quod videlicet illa vitam quasi ijs dat, dũ ea tractat, dum exercet: & natura (ait post Aristotelem Cicero) manum homini dedit vt artium instrumentum. Hæc ergo nunc ciuitates condit, agros colit, semina terræ credit, messem in horrea inuehit, vineas plantat, viridaria extruit, ægris arteriam tangit, pulsum explorat, medicinas componit, vulnera sanat, nomen & titulum artis Chirurgicæ inuenit & tuetur, astrolabia ad cælos mensurandos concinnat, naues & lintres ædificat, rhedas & cisia fabrefacit, libros prælo subijcit, horologia effingit, balistas & tormenta bellica parat, thoraces chalybeos conflat, enses cudit, lanceas acuit, tabulas pingit vt oculos delectet, instrumenta pulsat vt aures recreet, odores commiscet vt nares demulceat, culinas erigit vt os oppleat, specularia oculis apponit, calceis pedes mu-

Cic. 2. de nat. Arist. l. 4. de par. an. c. 10.

Opera manuũ.

Chirurgia, id est manuũ opus.

Manus generale sensuum instrumentũ.

munit, chyrothecas induit, ſexcenta veſtimentorum genera magno corporis bono adhibet, & denique quid amabo quinque ſenſus noſtri concipere aut apprehendere poſſunt, cui manus ſe non admoueat, non immiſceat? poteſtne excogitari aliquid vbi illa non è veſtigio Intellectum conſequatur? poteſtne ſpiritus interius ſuggerere quippiã quod illa non confeſtim foris repræſentet, velut ratio aliqua corporalis? vidit reuera hoc Anaxagoras ille qui hominem omnium animalium ſapientiſſimum eſſe dicens, & cauſam dicti quopiam interrogante, aliam non aſſignauit, quam quod manibus præditus ſit, viuis reuera Intellectus imaginibus, propter quem homo ſapiens appellatur. Atque vt breue faciam, poteſtne membrum reperiri vllum quod melius potentiam illam repræſentet, qua voluntas hominis liberrima aut in malum aut in bonum ferri poteſt? Dixímus iam nunc alibi voluntati omnipotentiæ quandam imaginem à ſupremo illo Architecto fuiſſe im-

Manus eſt corporis ratio. Ariſt. de part. an. c. 10. ex Anax.

Manus voluntatem repræſentat.

impressam, hanc radicem laudis esse, hanc scaturiginem vituperij, fontem vitiorum, & originem virtutum propter liberum arbitrium videri appellandam. Itaque si hoc etiam spectare & considerare volumus, reperiemus profecto manum multò ei esse quam simillimam: an enim illa luculentius suam quasi omnipotentiam, dum omnia quæ homines in mundo extruunt ac moliuntur, per ipsam fiunt, demonstrare potest? an non tonat illa, an non fulgurat in inferiore isto mundo dum balistas conflat atque exonerat? an non illa per ingenia furorem aquarum cohibet atque refrænat? an non illa metalla ex visceribus terræ protrahit, pisces è mari educit, aues in aere, bestias ferocissimas in terra domat, frangit, & gubernat? an non illa ædificia quæ extruxit, subuertit, domos quos erexit, subruit, vrbes quas condidit, demolitur? certè absque manu foret nec vires essent, nec arma haberētur, nec bella gere-

ren-

rentur: non victoriæ referrentur, non hostes spoliarentur, non fœdera inirentur. Hæc cassidem capiti imponit, thoracem ferreum dorso applicat, parmam arripit, lanceas submittit, hastas versat, bombardas exonerat, iacula intorquet, & æquè eminus ac cominus sentitur: testes sunt illæ machinæ quas immortalis artifex & Mathematicus Archimedes excogitauit, & quibus Syracusas à florentissimo Romanorum exercitu defendit, hostem delusit, Marcellum Imperatorem eam obsidentem inhibuit: quibus modò ingentia nauigia, non aliter quam nos seta piscem solemus, in aerem educta confestim rursus in aquas deuoluit, euertit atque submersit: modò terribili at occulto impetu eminus rupes & mœnia impegit, vt in minutissimas partes dissoluerentur. Fabrefecit ille machinam ex genere balistarum, quæ vnico tantum ictu innumerabiles globos ac saxa in aera effundens cum horrendo sonitu, & ingenti Romanorũ strage exonerabatur. Vnde tantus in exercitu ho-

Tit. Liu. 3. dec. l. 5. & Plut. in Marc. Mirabilia ab Archimede inuenta.

tu hostium metus consecutus est, tantus horror propter vnius hominis manum coortus, vt cum vel funiculum vel asserem exiguum in muris prominẽtem conspiciebant, illico in fugam vertebantur, non aliter quam si iam Martem ac Mortem vidissent, clamantes Archimedem adesse, qui machinam in eos dirigeret & collimaret. Marcellus itaque Romani exercitus Imperator ingenia suorum artificum explodens ait, an ergo finem facturi non sumus contra Mathematicum istum Briarea dimicandi? qui per ludum naues nostras in aerem eleuatas mari immersit, acies lapidibus suis disiecit, exercitum sagittis confecit, castra machinis suis demolitus est, multò reuera centimanis illis Gigãtibus fortior, quibus omnia Poetarum momenta crepant ac tonant? Et aduerte tu mihi hoc loco sis propter admiranda opera centimanum illum Gigantem fuisse appellatum: quod cognomen Homerus etiam soli imposuit, propter innumerabiles illius effectus, quos in hoc mũdo in-

feriore pulcherrimum istud astrum operatur. Describit idem Poeta eundem gigantem non aliter quam si centum manibus à natura auctus fuisset, quo videlicet ostendat tantum cum manibus suis effeciſſe quantum centum vix ac ne vix quidem præstare potuerint. Atque vt aliquando in eodem Archimede filum hoc orationis incidamus, an non fuit ille author & artifex celeberrimæ istius Sphæræ crystallinæ, repræsentantis cælorum numerum, planetas, & eorum epicyclos, motus & passiones ita accuratè & ad viuum, ipsum vt cælum ad homines in terras transportatum fuisse videretur? & ideo Claudianus in epigrammate illo quod in huius operis laudem composuit, concludens ait: Hæc ergo nunc manus est quæ nobis ob oculos statuit, & pulcritudinem intellectus, & vero etiam fortitudinem voluntatis.

Sphæra crystallina Archimedis.

Manum

Manum bonitatem aut malitiam animæ repræsentare.

COLLOQVIVM LIX.

NVNC quemadmodum bonitas aut malitia voluntatis in hac quoque corporis parte eluceſcat, præter ea quæ à nobis hactenus allata fuerunt, argumento ſunt ſexcentæ veteris Teſtamenti Figuræ, & innumera antiquorum hieroglyphica, & infiniti loquendi modi ab hac ipſa parte petiti. Itaque hoc etiam Scripturæ ſacræ perquam familiare eſt, vt virtutes nobis, vitia, aut deprauatorum hominum actiones demonſtratura, multò quam libentiſſimè per manum id ſoleat factitare. Nam & prima miracula, quæ Deus in perſona Moyſis fecit, qui videlicet eius munus, quod erat ſtupenda & admiranda pro populo perpetrare, excellentis cuiuſdam authoritatis acceſſione augeret & illuſtra-

THEOL.

Prima miracula à Deo in Moyſe facta ad Pharaonem ituro, in manu fuerunt patrata.

ſtraret, in manu & circa manum facta deſignataque ſunt. Primum erat virga illa quam vbi è manibus proiecisſet, inq; ſerpentem conuerſam vidiſſet, arrepto per caudam eo priſtinam formā induit, & virga factus eſt, virga illa dico tot miraculorū, tot ſtupendorum operatrix. Significantur nunc ergo per hanc figuram opera bona & mala quę à nobis proficiſci deſignariq; poſſunt. Id quod in manu noſtra, ſeu ſi malis, in poteſtate noſtra habemus, dona à natura data & à nobis acquiſita ſunt, hæc ſi auaritiæ, ſi vanæ gloriæ, ſi aliiſq; deniq; improbis ac deprauatis vſibus ſeruiant & ad terrā deuoluantur, tum verò ſerpentes fiunt, id eſt naturam deprauatam induunt, ſordida, humilia ac terrena tantum cōſectantur: quod ſi deinde eadem illa dona per caudam apprehēderis, bono fini ſublata deſtinaris, & religioſa intentione ſubleuaris, & ſi ab ijs alia non ſint quę ante fuerunt, nihilominus inſtrumenta quædam efficiuntur ad mirabilia pro honore Dei perpetranda. Ita videlicet eleganter

ganter ac graphycè plane, vna quasi in tabella Moysi Deus adumbrauit, & tortuositatem operum nostrorum à natura corruptorum, & vero etiam humilitatem & bene agendi modos sapientissimaque instituta. Iam verò secundum etiam à Deo in Moyse miraculum ostensum, an non etiam istiusmodi fuit, id est, à manu profectum, manu factum, manu perpetratum? Nam cum Deus ei in mandatis dedisset vt manum in sinum immitteret, simul ac eam protraxit, lepra perfusa fuit, & rursum id factitans munda nitidaque euasit. Hæc figura idem planè quod superior demonstrat, etsi modo rationeque diuersa: nam cùm operi alicui manum applicaturi sumus, ante id in sinum cogitationum nostrarum conijcimus, vt extracto postmodum rursus eo & accuratè considerato, corruptionem & infirmitatem nostram ad bene agendum cognoscamus, & eo iterum in humilitatis gremium demisso, sanam nostram manum & ad operandum mirabilia per virtutem creatoris con-

Exo l. 4. 6.

conuenientissimam inspiciamus. Deus itaque cum Moysen in populi sui caput, sicut præclarè D. Theodoretus animaduertit, constituere decreuisset, per leprosam hãc manum quæ fulmina ac tonitrua excitatura erat, quæ grandinem excitaturam, maria diuisura, cursus aquarum refrenatura, fontes è petris productura, stupenda opera patratura, humilitatis virtutem eum doceret imperaturis apprimè necessariam, per quam ei constaret miracula illa non à se sed à Deo proficisci. Nunc quoniam in duobus istis exemplis virtutem & vitia, bona & peruersa opera luculenter admodum per manum velut radicem suam figurata sunt, reliquum est, eadem vt in particulari accuratius aliquanto enucleatiusque consideremus. Principio itaque Fides humana quæ iustitiæ ciuilis fundamentum & Rerumpublicarum veriſſimum signinum est; & Fides diuina fundamentum iustitiæ Christianæ, & vniuersi ædificij spiritualis, per manum euidentissimè significatur: ita vt in omni tem-

Cicer. 1. offic.

Manus signum fidei.

ni temporum memoria nihil receptius aut familiarius fuerit, quam cum fœdera ferirentur, manum tangere & dextras copulare, quæ *hieroglyphica & signa fidei* semper extiterunt. Quin etiam Diodorus nonnulliqúe alij monumentis literarum consignauerunt Persas pro signo fidei firmæ constantisque habuisse, si quis dexteram alicui præbuisset. Numa Pompilius Romanorum Rex antiquissimum morem secutus, instituit vt dextera signum & sedes fidei haberetur, cui etiam templum consecrauit, ad quod qui deferebantur sacerdotes, dexteram vsque ad digitos tectam habebant. Cicero ac sexcenti alij istis adstipulantur in diuersis admodum locis, præcipuè vero Philipp. 11. vbi insignem querelam apud populum deponens ait. *Dexteræ quæ fidei testes esse solebant, fraude perfidiaqúe violatæ fuerunt.* Imo vix *a* Poetarum aut *b* Historicorum quisquam est qui sententiam non confirmet, aut fœderis vllius icti meminerit, vbi dex-

Diod. Siculi. li. 16. c. 16.
Alex. l. 2 c. 10.

a *Virg. Æn. 9. 4. 8.*
Plautus in Merc.
b *Tit. Liuius 2. decad. l. 1. 3 dec. l. 5. 6.*

tera non interuenerit. Quin & ipsa Scriptura sacra locuples testis est cùm ait: *Dedimus manum AEgypto*, id est, fœdus percussimus, & fidem nostram populo AEgyptiorum obligauimus. Porrò cum & iuramentum præstandum erat, manu cælum versus eleuata illud persoluebatur. Ita enim Abraham in testimonium fidei quam Deo adhibebat inquit: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ:* Ita quoque apud Danielem ille qui vestitus sindone super aquas fluuij stabat, dextera ad cælum eleuata per eum iurauit qui viuit in sempiternum. Ita quoque nostra tempestate Iudices iuramenta exigere solent. Iam manus etiam coxendici supposita idem plane indicabat, nisi quod aliquanto significantius, minas etiam ijs portendebat, qui fœdus cupissent ac fidem semel datam violauissent: eratque plane istiusmodi iuramentum illud quod Abrahamus à seruo suo exigebat, cum ad Chaldæos mitteretur filio suo Isaac coniugem adducturus. An verò diuinum

Gen.14. 12.

Dan.12. 7.

Gen.14.

num illud instrumentum ac hieroglyphicum, manus inquam, non etiam spem significat? *Confortentur manus vestræ qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarum*, ait Zacharias, ac si dicat, bono animo este, confidite, sperate. Quid quod etiam manus hæc timoris qui spei opponitur signum manifestum est? *Omnes manus dissoluentur, & cor hominum transibit*: id est, spem abijcient, metu exanimabuntur, & animo cadent, quemadmodum ex sexcentis alijs locis idem erui potest. Itaq; superuacaneũ hoc etiam loco est illud astruere velle sæpenumerò in sacris literis manus vocabulũ pro charitate proximi accipi: quippe cum ipsæ loquẽdi formulæ ab hoc fonte deriuatæ nullibi non creberrimæ sint, vt extẽdere manũ suã ad pauperẽ, præbere alicui manũ, manũ porrigere. Itẽ pro precatione: *Cũ egressus fuero de vrbe: extendã palmas meas ad Dominũ & cessabunt tonitrua*: id est, rogabo Deũ, quemadmodũ in infinitis alijs locis viurpatur. Et pro adoratione: *Eleuate manus vestras ad San-*

Zac. 8.6.

Esa. 11. 6.

Exod. 9. 29. 33.

Psal. 33.

cta, et benedicite, &c. ac denique pro innocentia, vt cùm Dauit ait: *Inter innocentes lauabo manus meas.* Pilatus ergo impius & iniustus Præses iniquã suam sententiam hoc hieroglyphico præclarè occultare fatetur. Ita qui manum in sinu tenebat, desidis & ignaui imago erat, qui digitum ori admouebat, taciturni & circũspecti, qui caput manu contractabat, afflicti & ęrumnosi. Denique innumerabiles loquẽdi modi sũt ab hoc membro petitæ ac mutuatæ, vt, venire in manꝰ, cũ armata manu accedere, manũ fortẽ formare vel in manũ assurgere, sub manu agere, leuare manũ, osculari, tãgere, retrahere, immittere, & sicut dixi infinita huiusmodi fariæ alia: adeo sicut nobilissima ista corporis pars oẽs actiones exteriores obit, ita quoq; linguam acuit atq; informat ad eas oẽs explicãdas, neq; minus fertilis in significationibus inueniẽdis & suscitãdis est, quã in actionibꝰ producẽdis: nã quẽadmodũ intellectꝰ & volũtas primæ animę facultates & vocis scaturigines, adeoq; omniũ ope-

Psalm. 72.3.

ratio-

rationũ humanarũ cauſæ per eã repræſentãtur, & quẽadmodũ principale eorũ inſtrumentũ, vel ſicut Ariſtoteles ait omniũ inſtrumentorũ inſtrumentũ eſt, exterius omnia exequẽs & agẽs, ita quoque euidẽtiſſimũ ſignũ omniũ interiorũ eſt: ad eũ reuera modum quo inter homines qui vniuerſalis Regis alicuius officialis, & omnium mandatorum Regiorum executor eſt, titulis etiam innumeris afficitur, modò Cubicularius, modò Præſes, modò Theſaurarius appellatur. Nam cum manus vniuerſa ea exequatur quæ ab anima iubentur, bonis malisque pariter mandatis obediat, quidquid imperatur id continuo in effectum deducat, illud reuera etiam relinquitur, nihil eam non ſignificare, & bene maleve agendi inſtituto malum aut bonum ſibi nomen comparare. Ergo vbi facinus aliquod cum virtute coniunctum perpetrat, virtutis titulo condecoratur & illius ſignum euadit: vbi flagitio ſe quopiam aſtrinxerit, ab eo dedecus trahit & ſceleris teſtem agit. Exempli cauſa,

Ariſt. de anima c. 8.

tunc fidelitatis illa titulum consequitur, cum fideliter egit, tunc perfidiæ, cum proditionem molita fuit, & simile quid designauit in quo fidem fefellisse perhibemur. Et quoniam exteriora facilius in oculos incurrunt ac videri possunt, adhibemus reuera eam non aliam ob causam, quam ad interiora detegenda, sicut etiam stylum horoscopum ad interiorem rotarum motum facilius cognoscendum. Atque hæc omnino scaturigo illa est, ex qua locutiones istæ promanant, leuare manus ad Deum, osculari manus alicui, quibus significamus implorare nos Dei auxilium, obseruare & reuereri aliquem: vtentes instrumento externo ad internam actionem prodendam & repræsentandam. Habes proinde nunc velut in tabella adumbratum quibus coloribus in manu Intellectus & voluntatis motus depicti sint, & quomodo ea animæ quædam imago venustissima esse videatur, longè reuera certior ac verior, quam faciei illa, quippe quæ nequaquam viuis & spirantibus

actio-

actionibus, sed lineamentis tantum & figuris planis eam nobis repræsentat. Habes nunc ergo quę de facie ac manu partibus corporis excellentissimis, homini proprijs, videbantur esse dicenda: nam quemadmodum Aristoteles animaduertit, nulli animalium aut facies, aut manus est, etsi apud Ciceronem Lucilius Stoicus Elephantis manus attribuat, id tamen figurata potius locutione accidisse, & similitudine eum vti voluisse nemo non videt. *Arist. 3. de par. c. 2. & l. 4. c. 20.*

Hominẽ melioribus armis instructum esse, quam cætera omnia animalia.

COLLOQVIVM LX.

NVNC quoniam eum in locũ nostra deuenit oratio, faciẽdum mihi non videtur, eorũ vt absurdas calũnias prętereã, quib⁹ nõnulli naturam (& obliquè ipsum Deũ) accusabãt, quod hominẽ nudũ, nullis præsidijs aut armis instructũ in hoc mũdo collocauisset, cũ cõtra reliquas animãtes, quã maximè muniuerit, & ab omnibus necessarijs multo quã diligentissimè sibi duxe- THEO.

rit esse instruendas: faciamq; vti tu præclarè intelligas liberalissimum illum Creatorem in hac quoq; parte nequaquam sibi dissimilem aut restrictiorem extitisse, sed in hominem copiosissimè omnia isthæc quæ illi desiderabant congessisse. PH. Est planè hæc querela non paucorum veterum Philosophorum, quemadmodum à compluribus scriptoribus accepimus, super natiuitate hominis & ortu mirabiliter differétium, quod videlicet imperfectissimus inter omnia animalia, cunctorum indigus, nud', turpis, sordidus, sãguine conspurcatus, & nõ multò bestiæ excoriatę absimilis in lucem prodeat: vnde Homerus eũ non aliter quã totius mũdi miserrimum describit.

Cic. 3. Tusc. Pl. in præf. l. 7.

TH. Neque nos reuera inficias ire possumus, nõ modò ingressum illius in huius vniuersitatis theatrum, sed vniuersum postea etiam actum, nullasq; non partes pleniſſimas miseriæ esse ac ærumnarum; verùm id ipsi adeò homini non Creatori adscribendum est, qui omnibus bonis eũ instruxerat & locupletarat. Nunc, quo-

quoniã de miseriã ista postea dicturi sum⁹, de insigni illa Creatoris liberalitate aliqua in mediũ afferamus. Dico itaq; hominẽ armis rationis ac manuũ instructũ, lógè plus subsidij emolumentiq; ab ijs habere quã vniuersũ reliquarũ animantiũ: genus à suis superare possit adiumẽti. Docet id ipsa experientia, q̃ pauciſſima animalib⁹ arma collata esse testatur, vt sũt, cornua, dẽtes, vngulæ, & venæ, & non nisi certũ eorũ vsum, ac propè vnicam ea adhibẽdi rationẽ. Taurus in frõte, equus in pedib⁹ arma sua circũfert, vt cũ res exegerit, potenter quidẽ & validè, verũ non nisi feriendo ijs vtatur ac digladietur: canis gladiũ ac machærã in dentibus habet, his illi cernitur, his pro vita, pro offib⁹, velut pro aris ac focis illi decertatur: serpens linguam dentesq́ue adeò etiam vt tela vt sagittas circumfert: basiliſci incolumitas & tutela in oculis consistit, quorũ cõiectu pestilẽtissimo hostes aduersariosq́ue trucidat: erinaceus pharetrã & ingẽtẽ iaculorum vim multitudinẽq́; in dorso portat, quib⁹

ani-

animosè in insilientem canum turmam coniectis vitam suam tuetur atque defendit: deniq; nullum animal adeo paruum exiguumque est, quod non ipso naturę ductu temporis locive oportunitates sciat aliquas, quibus hostium pericula subterfugere possit ac declinare. *Nã & Ichneumõ mergit se limo sapiẽ siccatque sole. Mox vbi pluribus eodẽ modo se corijs loricauit, in dimicationẽ pergit. in ea caudã attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces. Nec hoc contentus aliud haud mitius debellat animal. Crocodilum enim Saturum cibo piscium, & semper esculento ore, in litore somno datum, parua auis, quæ trochilos vocatur, inuitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum eius assultim repurgans, mox dentes, & intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maximè hiantes: in qua voluptate somno pressum conspicatus Ichneumon per easdem fauces vt telum aliquod immissus, erodit aluum. Verũ in Crocodilo maior erat pestis, quam vt vno esset eius hoste*

natu-

natura contenta. Itaq; & Delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc vsum cultellata ineſt pinna, abigentes eos præda, ac velut in ſuo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipſi, aſtu interimunt. Callent enim in hoc cuncta animalia, ſciuntq; non ſua modo commoda, verum & hoſtium aduerſa: norunt ſua tela, norunt occaſiones, partesque diſſentium imbelles. In ventre mollis tenuisq; eſt cutis crocodilo: ideo ſe vt territi mergunt delphini, ſubeuntesq; aluum illa ſecant ſpina. Quid ego de muſcis hoc loco dicam? quæ alis ſuis velut tuba bellum denuntiantes, exilem ſuam lanceam attrahũt, & in aduerſarium defigunt? Quid denique innumera alia quæ admirãda ſunt, at neutiquam cũ armis manuum ac rationis quibus homo inſtruitur, comparanda? horum enim opera & præſidio contra oẽs huius vniuerſi partes, ignem, aerem, aquam, & terram, adeoque contra omnia ea quę ex iſtis cõflantur, munitus ſecuruſque eſt. Nã de igne quid ego nunc dicam, cùm mille omninò modos

modos ac rationes eo vtendi, vitam ſuam producendi, conſeruandiq́ue calleat? q̃d de aere, in quo molitur, agit ac machinatur, quidquid allubeſcit? quid de aqua qua foſſas implet, vrbes ambit, mẽnia ciuitatesq; amplexatur? accidit ille montes, & ſaxoſa eorum cacumina artificijs ſeruitura exſcindit, detrahit lapides, proſternit arbores, propugnacula ijs erigit, eruit metalla, vt tormenta, vt machinas conflet quibus defendatur. Beſtijs cauerna & ſpeluncæ habitationum & latibulorũ loco ſunt, ſolæ ſiluæ, ſoli luci ſecura habitacula ijs præſtãt: at homo munitiones fortiſſimas, quolibet loco, quolibet modo extruit atque ædificat. Age mihi tunc ergo ſis, compara Leonem ſuis armis inſtructum, cum homine ijs ſubſidijs munitum, quæ ipſe excogitat, ipſe inuenit, ipſe ſibi fabricatur. Habet Leo furorem ſuũ armorum loco, habet pellem, dẽtes, oſſa, ac vngulas: Homo autẽ & cornibus Rinocerotis, & oſſibus piſciũ, & deniq; dentibus aprorum armatur; veſtitur, leonina, lupina, vrſina, & cu-

& cuiuſq; beſtiæ placuerit pellem induit ſibiq; coaptat. Operitur ille lorica, cingitur ære, chalybe horret, & quantum quantus eſt à capite ad calcem ferro includitur: arripit ille ſiniſtra ſcutum, dextera haſtã, lanceam, enſem, magæram, ſclopos, bõbardas, & ſexcenta alia armorũ genera longè illa certa viribus leonum potiora firmioraq; ad manus habet. Pugnat eminus, cominus digladiatur, peditem agit cùm libet, cùm equitem mauult currus conſcendit, Elephantis vehitur, à Leonibus & ferociſſimis beſtijs ſicut à veteribus factitatum fuiſſe nouimus, portatur, ex ijs fulminat, fulgurat, homines beſtiasque percutit atque percellit. Et quo hominis etiam induſtriam non de induſtria præterijſſe videamur, quod tu amabo animantium genus noſti, cuius ſolertia aſtutiaque minima ex parte cum humana illa poſſit cõparari? cũ ſubtiliſſimis inuentionibus, & ſtratagematũ copia, vt infinita, ita in annos ſingulos variante? cum vineis, cum catapultis & arietibus veterum Roma-

Romanorum? cum Archimedis machinis? cum operibus Imperatorum acutissimorum? cum omnium gentium ac nationum bellicosissimarũ inuentis? cùm grandinibus scloporum? fulminibus ac fulgetris balistarum, tonitrubus tormentorum & stupẽdis alijs operibus, quorum nõ minus fertilis hæc ætas est, quã malitiæ, quàm miseriæ, quàm improbitatis? Atque vtinam clementissimus ille DEVS feciſſet, minus vt aliquanto luculenter homo monstrasset, quantum in hoc genere bestia anteuertat, potiusque ingeninm & manus suas ad honorem Dei, quã ad ea fabricãda contulisset, quibus innumera mortium genera & damnationis æternæ sententiam sæpenumerò sibi induxit! Vides nunc ergo hominem etsi inermis nascatur, nequaquã tamen earum rerum præsidio destitutum in vita esse quibus vitam possit conseruare.

Deum

Deum mirabili ratione in homine armando vsum fuisse.

COLLOQVIVM LXI.

AGE nunc & illud consideremus, quomodo videlicet sicut liberalitas Creatoris immensa fuit, ita quoque ipsa ratio qua eam exercuit, admirabilis fuisse videatur. Enimuerò cùm homo diuinæ bonitatis potentiæque imaginem sibi impressam accepisset, & eam propter prærogatiuam, Rex vniuersi salutatus fuisset, conueniens omninò erat ijs eum armis instrui ac muniri, quæ nihil hanc diuinam imaginem impedirent, & non minus comis ac mansueti, quam potentis validique Principis ei titulum nomenque tutarentur. Hinc ergo singulari Dei consilio factum est, vt ab vna parte innumerabili armorum vi sepiatur, quo nimirum fortis robustusque audiat, vtque ab altera nudus & inermis conspiciatur, quo facilius cõstet benignum illum humanumque esse oportere: nam si à natura corporis ille quædam præsidia

THEOL.

Non conueniebat homini armis naturalibus instrui.

dia accepiſſet, & Taurorum inſtar cornua, more aprorum dẽtes, vt vrſi vngulas fuiſſet conſecutus, reuera iam non ad hominis ſed beſtiæ armatæ ſimilitudinem acceſſiſſet, & non Principis, ſed vas illi, ſed clientis, ſed mancipij formam ſortitus videri potuiſſet; Atque ſi etiam diuerſiſſimorum iſtorum armorũ habitu mundum hũc introiuiſſet, quod tu eum monſtrum, quod portentum exiſtimauiſſes? Nam ſi infans qui vnico tantũ cornu naſcitur adeò mõſtroſus terribilisq; eſt, quid tu homine futurum fuiſſe arbitraris, qui cornua, qui dẽtes, qui roſtrũ, vngulas & cætera animantium arma in ſe vnum collata circumtuliſſet? an nõ ille potius crudelem, immanem, sãguinariũq; Tyrannum, imò cacodæmonem, & infernalem verius Furiã quam legitimũ Principem in huius orbis theatro acturus fuiſſet iudicatus? Iam verò dum ab vna parte inermis ætatem exigit, ſimulacrũ habet non modò legitimi ac naturalis Principis, qui hilari ac ſerena fronte ita ſubditos ſe ſuos gubernaturũ

ſpon-

ſpondet vt quàm longiſſimè à quacunq; Tyrãnide ferociaq; ſit abhorriturus, ſed imaginem pariter viuãque Dei Ter Opt. effigiẽ præ ſe fert: dumq; ab altero latere innumeris rationis armis, & manuum præſidijs inſtruitur, luculenter potentiam ſuã demonſtrat, qua ius ſuum perſequi poteſt, vbi à ſubditis ei manifeſtè viderit derogari. Intuere mihi nunc hoc loco etiam, atq; haud aliquantò accuratius mentis lãce trutina, quomodo liberaliſſimus ille totius Vniuerſitatis monarcha dona ſua diſtribuerit, quamque ea prudenter in diuerſas creaturas congeſſerit: Angelis enim cùm Spiritus meri ſint, ſpiritualia arma fuit elargitus, intellectum videlicet ac voluntatem, quibus inſtructi in ſuis certaminibus fortiter rem gererẽt ac adminiſtrarent. Beſtijs humilem terreſtremque tantum animam ſortitis vires eas adiunxit, quæ à corpore ceu vaſe ſuo auelli ſepararique non poſſunt. Homini verò anima immortali prędito & ad ſui ſimilitudinem facto, pulcherrimè omninò eas commiſcuit,

Tria armorum genera.

cuit, partim ſpirituales ipſi elargiendo, dum plenam ei poteſtatem millefariam ſe defendendi indulſit: partim corporea adiumenta ſuppeditando, dum totius vniuerſi res ei ſubiecit, è quibus quæ vellet fabricari poſſet, itaque omnibus iuxta vti, nihil vt inde impedimentorum animæ corporiue obijciatur. Patet nunc ergo iniquè hanc querelam à nonnullis deponi, qui hominem ſolum inermem relictum fuiſſe affirmant, faciendumq; illud potius eſſe, noſtram vt aut cœcitatem fateamur, ſi necdum in oculos manifeſta Creatoris liberalitas nobis incurrit, aut certè ingrati noſtri animi vitium accuſemus, ſi ei paria reponere conari non volumus, aut denique iniquitatem noſtram deteſtemur, ſi non modo gratos ei nos non exhibemus, ſed ijs etiam viribus & ſubſidijs contra leges diuinas abuſum imus.

Libe-

Liberalitas Dei in victu, vestitu, alijsque vitæ subsidijs homini conferendis.

COLLOQVIVM LXII.

THEO. *Homo felix in excogitandis medijs vitæ sustentandæ.*

NVNC quod ad cætera subsidia ac corporis adiumenta attinet, videamus amabo quomodo ijs homo affluat, quibus sibi victum comparare vitamq; prorogare multò quàm commodissimè potest: ac quemadmodum opera manuum & intellectus omnibus in hoc quidem genere animantibus ditior locupletiorque sit. Certè communis ille Deus & totius vniuersitatis Paterfamilias exigua admodũ frusta, angusta habitacula, & amictũ vix vnum alterumve bestijs assignauit, homini contra vniuersa Belluarum alię herbis victitant, alię carne, alię frumento, atque si quæ etiam sunt quibus multiplex cibus est, ijs tu admodum limitatum eum esse agnoscas; at homini quidquid libet apponitur, omnia habet, promiscueque vniuersa accepit. An verò vllum animal in aere, terra, aquave

vitam degit: an vlla creatura in toto hoc orbe inuenitur, quam homo nõ in culinam ſuam cogat atque compellat? Quis verò etiam iam potuũ genera enarraturus eſt, quos ille in rerum natura reperit, cùm contra beſtiæ nonniſi aqua ad ſitim reſtinguendam vtantur? PHIL. Vero id quidem ipſo verius admodum eſt, at neque minus & illud, ita pleraque mortalium haberi paucos vt omninò reperias qui eis rectè vti velint, innumeros qui quam ſæpiſſimè ijs abutantur. TH. Neq; verò ego etiam illud inficiari auſim, at facit tamen ad propoſitum noſtrum, vt præclarè cognoſcamus quam abundè homini omnia ſuppetãt, quibus vita ſuſtentatur; & quã immeritò quiritentur ij qui inermem eũ omnibusque preſidijs deſtitutum in lucem naſci aſſeuerant. Nunc quoniam de cibo ſatis diximus, de veſtimento etiã paucis videamus: habent ergo aues pro amictu plumas, terreſtria & aquatilia pelles ac ſquamas, homo aũt vniuerſa. Quis.n. non animalia tantũ & herbas, ſed metalla etiam in pannos findo-

sindonesq; conuertit, quo ijs vestiatur, si homo id non facit? annon illi oues, vermes, aurum & argẽtum texitur, quò ornamenta, quò vestimẽta sibi conuenientia reperiat? ecquis Deum immortalem luxũ illius hac in parte, quis insignem copiam abundantiamque declarabit? Canis in quamcunque partem dormiturus se coniecerit, nunquã nõ stragulam suam inuenit, & quoties surgens aures agitat corpusque versat, toties calceatur, vestitur, & lectum suum sternit, & tamen vbi pransurus, vbi cænaturus, quid obsonaturus sit cogitat & præmeditatur. Verùm homo (Deus bone) quid non facit, aut quid demum non facere potest, quo vitã, vestimenta stratumque suum lucretur? ecquando vnquam ratio otiatur, manus feriatur, merces nõ conquirit, victualia nõ inuenit, & noua quotidiè corporis adiumenta explorat? Non ergo id magnam omninò admirationem concitare in animis nostris debet, cum ab omni Sapientum ætate microcosmum eum appellari audim⁹, etsi meliore planè

Arist. 8. Phys. c. 2. l. 1. hist. 1. an. c. 5.

iure macrocosmus nuncupãdus videatur, vtpote qui omnia claudat, omnia contineat, omnia complectatur. PHIL. At heus tu, recenter ego memini, fuisse cùm diceres nullam bestiam adeò exiguam esse, imo ne plantam quidem reperiri, quæ non melius quouis homine vestita sit: allegebasq; tunc sententiam Seruatoris nostri, qui lõgè splendius cultiusq; lilium vnum amiciri ornariq; dixit, quam vel ipse Salomon in Throno suo sedens. THEO. Probè id quidem ego recordor, etsi omninò nihil à me dictum fuerit huic quod proposito nostro aduersetur, eam enim viam tunc insistebamus, vt stuporem & inutilem superuacaneamque vestimentorum pompam ac luxum demonstrarem, in præsentiarum autem illud agimus, vt vincamus admodum eum à naturæ necessarijs instructum esse, & omnibus bestijs plantisque plura sortitũ. Neque enim quidquã impedit, vt bestia vel plãta vestitu suo naturali melius homine ratione amicto induta non sit, etsi eadem varietate copiaq; nõ pol-

polleat: imò addo etiã Adamũ elegantius ornatiuſque fuiſſe veſtitum quando in ſtatu innocentiæ conſtitutus nullius induméti indigus erat, quam quando exterius pelle coopertus fuit, eũdemq; etiam Adamũ dico hac ſua ouina pelle ita indutũ, & D. Ioannẽ ſpolio cameli veſtitũ, ſanctumq; Antonium frondeo ſuo cinctu velatũ, omnibus Regũ põpis fuiſſe cultiores, quippè cũ eæ nihil aliud ſint, quam ſigna immanium laborum, inſanarum profuſionum, excrementa terræ, fruſtula huius vniuerſi, teſtes ambitionis & neceſſitatis. Iam eadem omninò quæ ſuper alimentis veſtituque diſſeruimus, de alijs quoque humanæ vitæ ſubſidijs præclarè dici poſſe videntur: nã ſi habitationem ſpectes, cuius tu beſtiæ ſpelæum, cuius auis nidũ, cuius piſcis latibulũ cum artificijs, ſplendore ac luxu domorum, palatiorũ, ciuitatum & habitationum à manu magno illo rationis *Factotum* profectarum comparare audebis? Primi namque mortalium, qui mundi huius poſſeſſionem acceperunt, in

Primorũ hominũ domus. Tabernacula.

ſubterraneis cauernis vitam duxerunt, mox cum in ipſa terra tentoria ex ramis conopeorum inſtar erexiſſent, auſi ſunt denique in aere etiam ac aqua domos extruere, & habitationes ſuperbiſſimas ſibi ædificare. Verum quanto, bone Deus, ſplendore, quanto luxu, quanta magnificentia? quis non admiratur, quis nō obſtupeſcit, cum de ciuitate Niniue referri audit, trium dierum iter fuiſſe vnius portæ ad alteram ſpatiū? quis autem id credat, quis non vanum commentitiumq; arbitretur, niſi S. Propheta ſuis id verbis teſtis omninò locupletiſſimus confirmaret? Quis non attonitus noſtra hac tēpeſtate inclytam Venetoarum ciuitatem, & vrbem Timiſtiranam, in medio immotam mari intuetur oculisque pererrat? reuera ſi piſces ſenſu illo cōmuni ac ratione præditi eſſent, quā tu ęgrè eos laturos fore putas. quā indignaturos, quā ſtomachaturos, dū regnū ſuum ita occupari & imperium à generis ſui inimicis inuadi cōſpicātur? Admiramur alcyonem, quod ſola inter aues nidum

Ionas 3. 4.

Plut. de Ani. induſtria.

dũ suũ in mari ędificet; ꝙ nullis malleis, nullis instrumẽtis, nullis operis adhibitis, q̃ rostro, instar nauiculæ illũ extruat, vt quędam pullorũ suorũ cunæ sint, quas barbarũ & vastũ mare deijcere nõ potest aut absorbere; itaq; iuxta mirabili opere solidatæ, vt nec ferrum eas frãgat, & adeò quaquauersum clausæ & obturatæ, nihil vt aliud quã artificẽ intromittant, ac ne vnicam quidem aquæ guttã recipiant? quis non huius auiculæ (nam) pascere maior nõ est? singularẽ industriã admiretur, quis nõ solertiã suspiciat, ingenium obstupescat? at quanti hæc sunt, quã exigua, quã ferè nulla, si cum ædificijs, cũ domibus, cũ ciuitatibus denique hominũ illa compararis, si cũ nauibus composueris, quæ ex orbe vno in alium delatæ, per vndas, ventos aeremque rapiuntur? Atq; si Aegyptijs etiam miraculum fuit pensiles semyramidis hortos intueri, quid ij dicerent, quid cogitarent, si nostra hæc ætate viridaria, si cãpos, si amçnissima prata in immanibus Indorũ nauibus, quẽadmodũ præclarè id tu facti-

Lact. l. 3. c. 24.

In historia Indica.

factitari nosti, imposita per aerem ferri, loco suo moueri, vagari denique & circũcursitare intelligerent? quis non obstupescat admirandam hanc intellectus humani in inueniendo industriam, manuũ in agendo dexteritatem considerans? quis non insignem Creatoris liberalitatem collaudet, qui cùm parcè admodum in reliquas animantes dona sua distribuisset, in vnum hominem omnia congessit, & excellenti planè prodigalitate in vnico suæ imaginis manuumque dono, totius Vniuersi hæreditatem illi & vsum pariter reliquit? Narrant de Abrahamo sacræ literæ quod domesticos suos diuersis muneribus affecerit, filio autem hæreditatem tradiderit: idem nos à benigno illo rerum omnium conditore factitatum fuisse videmus, qui cùm vnicuique animali quantũ ad sui sustentationem satis esse videbatur indulsisset, homini quæ singula singulis dederat, donauit vniuersa, & tandem ipsum Filium suum vnigenitum pro eo fuit elargitus. Cõsidera mihi nunc itaque sis quã iniquã

Gen. 21. 30.

qua hæc querela sit, quam crassa ignorantia, detestabilis ingratitudo filiorum Adæ, qui contrà benignum istum & liberalem Dominum murmurantes, eum vt auarum, vt parcũ, vt tenacem accusant, cum potius insignis illius bonitas honorãda & adoranda nobis sit, quo illius munificentia cognita, eorum improbitatẽ ac corruptum depraua tumque ingeniũ detestemur, qui donis illius gratijsq; præ omnibus mũdi animalib⁹ sibi cõcessis miserrimè abutuntur. *Iniqua hominũ querela.*

Cur homo nudus & indignus mundum hunc ingrediatur.

COLLOQVIVM LXIII.

NAE tu verò mihi præclarè admodum ostendis, nequaquã naturam aut etiam Deum ipsum accusandum esse, sed potius hominem degenerem, non modò propter insignem ingratitudinem qua Conditoris sui beneficia sepelit & obliuiscitur, sed etiã propter milleuarium donorum sibi collatorum abusum: & quoniam adeò dextrè & peritè omnia te isthæc enu- PHIL.

cleare conſpicio, rogãdus mihi magnoperè es, vt & illud adiũgas, curnã homo quĩ Vniuerſitatis Princeps fuit ſalutatus, adeò abiectè mũdum hunc naſcendo ingrediatur: cũ præſentia illud extra controuerſiam ſit, Deum ſi voluiſſet, longè nobilius principium ei potuiſſe impertiri; & iſtud etiam luce meridiana clarius ſit plurimas easq; omni ſenſu deſtitutas creaturas reperiri, quæ homini ortu & origine ſua præſtare videãtur; etſi id ipſe conteſtatur quoque, quãdo de vẽtre matris egrediẽs à lachrymis & eiulatu mundi huius introitum auſpicatur. TH. Certè ſi hãc telam inchoatam iam nunc, atq; incœptam prætexo, tu mihi ſuafor authorq́ue fuiſſe videberis, quippè cuius luculento ardori & affectui vt ſatisfaciam, nihil mihi duco antiquius. PH. Licet ſanè, neq; ego id tẽporis futurũ ſpero, cùm negare inficiariq́ue illud audebo. TH. Verùm quo pleniorẽ eorum cognitionem qua tu à me ſcire deſideras cõſequamur, ſciendum eſt diureſiſſimã methodum illã eſſe, qua Deus in homi-

nibus

nibus vtitur, ab ea videl. quam in animalibus procreandis ſtudioſiſſimè obſeruat. Homines namque inſtar turris Babylonicæ, neſcio quid altum & ſublime in exordio ſuo pollicentur, contraq; epilogum virus & ignominiæ plenũ actionibus ſuis affingunt atq; imponũt, itaq; idẽ ijs accidit, quod montibus illis, de quibus Rom. fidicen lyrę Horat. ait.

Parturiunt mõtes, naſcetur ridiculus mus. *Horat arte P*

Deꝰ verò humile admodũ principiũ & excellentem planè nobiliſſimã concluſionẽ ſolet vſqpare: adeò vt quanto maiora incrementa rem aliquam accipere conſequiq; vult, tantò languidius germẽ caulemq; ferè illius producat breuiorẽ. Nã ex quo tu ingentem huiꝰ mundi molem ac machinam fabricatam eſſe arbitraris, ex quo immenſum huius vniuerſitatis theatrum, hoc vaſtum & immanè terrarũ ſpatium reris excitatũ? certè ex nihilo. hoc aũt quid vilius, qd abiectius, qd minꝰ poteſt reperiri? è quo iã etiã nobiliſſimæ illæ creaturę Angeli dico, facti formatiq; sũt? annõ ſimiliter ex nihilo?

Plin. l. 8. c. 19. annon Leonem quoq; animaliũ Regẽ, informes minimasq; carnes magnitudine muſtelarum eſſe conſtat, ſemeſtrẽ vix ingredi, nec niſi bimeſtrem moueri? veſpertilionẽ autem non ouo excludi ſicut reliquæ aues ſolent (ſi tamẽ hic in earum numero ponẽdus eſt) ſed momẽto tẽporis effuſum viuere quis ignorat? adeò ni-

Plin. l. 10. c. 61. mirũ Deo cordi illud eſt, vt nobiliſſimis quibusq; rebus humilia initia prætexat, & nonniſi à titiuilicio ea aliquo auſpicetur. Itaq; etiã populi ſui Principes, nõ generis ſplendore illuſtres, nõ ætate prouectos, ſed viles, ſed abiectos, vt Saulem, vt Dauid voluit ſalutare: non ex grandibus & exaggeratis fundamentis, ſed ex arena, ſed ſabulo Reſp. duas potẽtiſſimas Ro. Hebræorũq; excitare. Quin & ipſe Dei filius humanũ genus liberali dextera in libertatẽ aſſertur⁹, & è grauiſſimo diaboli ergaſtulo educturus: humiliatus fuit & annihilat⁹, ſicut Apoſt. ait, quo Eccleſiã ſuã nobiliſſimã pulcherrimamq; Rẽp. crucis ſuæ trabe fulciret, qua quid cõtẽptius, quid ipſo nihilo abiectius in o-

in omni memoria poteſt reperiri? an non verò poſtea ex hoc nihilo, ex hoc ſinapis gramine regnum cælorum ſuccreuit? Conueniebat ergo ſecundum hanc methodum & ordinem hominem minimis ſuccreſcere principijs, quia animalium nobiliſſimum eſt; quia anima illius ex nihilo excitata, & corpus ex limo terræ, qui nihilo proximus eſt, fuit procreatum? Itaque & vox illa *Aphat*, quemadmodum Diuus Baſilius, & Diuus Chryſoſtomus animaduerterunt, cum peculiari quadam emphaſi originis iſtius humilitatem ſignificat, id eſt, puluerem, non quemcunque, ſed tenuem admodum, ſed inſigniter delicatum: plane ac ſi Moyſes ad viuum exprimere voluiſſet, tam originem hominis nihilo vicinum, quam ſubtilitatem corporis, quod loco capſæ animæ nobiliſſimæ & de nihilo excitatæ debet ſeruire. Nunc quoniam copioſè vt opinor ſatis hæc à nobis diſputata ſunt, cauſas ipſas, cur nam potiſſimum Deus hac ratione vti velit, conſideremus. Principio vide-

Regnum cælorum ſimile grano ſinapis.

Cauſa cur homo imperfectus naſcatur.

licet, quia id creaturæ quam maximè conueniens congruensque esse videbatur. Ita cum Deus Creator sit semper immutabilis, nunquam incrementa sumpsit, non aliquando minor, non imperfectior vnquam fuit; verum creatura quæ cuilibet varietati mutationique subiecta est, gradibus quibusdam ad fastigium suum eniti, & pedetentim ad perfectionis suæ culmen conscendere emergereque debebat. Secũdo etiam hanc methodum præ reliquis Deo obseruare placuit, quo manifestius potentiam suam non sine peculiari creaturæ bono demonstraret. Habet namque maiorem admirationem illud, à leui principio quippiam ad nobilissimum finem perducere, & reuera excellentius haud paullo esse videtur, ex abiectis grãdia, quam ex exaggeratis magna excitare: nostra enim natura facilius humilia comprehendit, quippe quę sibi contermina affiniaque sunt: & quemadmodum antithesis ista duorum inter se pugnantium & contrariorum mirabilem quandam rebus lu-

cem

cem affert, ipsíque adeo artifici existimationẽ auget, ita ab altera parte stupendã Intellectui vim confert, qua Creatoris sui potentiam agnoscit, qui abiectissimis initijs orta & sæpe nullo semine præuio nobilissimo pulcherrimoque fine coronat. Atque hæc omnino etiam causa est, cur mundum istum ab omni æternitate existere non voluerit, sed nihilo proximum, hoc illius initiũ, hoc exordiũ esse; quo videlicet (clarius .n. dicere id mihi posse videor) homines & Angeli molem huius vniuersitatis intuẽtes, & supremã creatoris potentiã cõsiderantes, admirabilẽ omnipotẽtis artificis peritiam cognoscerẽt: ita .n. pulcritudini absolutissimæ nescio quid tũc accedere nobis videtur, quãdo cũ turpitudine ac deformitate comparatur, & gigas aliquis seipso maior efficitur cũ nano componitur & assimilatur. Secunda causa cur Deus hominẽ minimo principio ordiri vitã voluerit, hæc fuit, vt potentiã gloriamque suam demõstraret, & virtutẽ suã viresq; infinitas ad nostrã instructionem

Cur mũdus non sit ab æterno.

Secunda causa.

Tertia causa.

nem vtilitatemque declararet. Tertia verò quæ à sancto Chrysostomo adiungitur humilitas fuit, quam potentissimus ille sapientissimusque mundi Monarcha Deus præ cæteris virtutibus diligit, & in anima hominis plantatam esse cupit atq; depactam. Ergo cum homo puluerem sibi suum atque adeo ipsum illud nihilum ex quo fuit procreatus, ob oculos statuit, fieri non potest, quin humeros contrahat, oculos deijciat, & quantum licet semet humiliet; & si fortè aut propter corporis excellentem decorem, aut propter animę præstantiam, qua solus ipse præ omnibus huius vniuersi ciuibus & inquilinis fuit exornatus cristas animumque tolleret, hæc consideratio paupertatis originalis continuo adesset, & luxuriantem ac ferocientem intra terminos modestiæ coget ret compelleretque. Agathoclem ferunt, qui ex figlina ad regiam transijt, eius modestiæ fuisse, vt in mensa vasis testaceis cum aureis argenteisque promiscuè vsus sit, ne videlicet sortis suæ veteris obliui-

Plut. de dict. Regum.

scere-

sceretur, & nouæ dignitatis ac regni fulgore præstringeretur. Et quis amabo figulus ille est, si Deus non est? *Sap. 7.* ob hanc enim reuera causam pater *Ier. 18.* noster Adam protoplastus appellatur, & Deus olim Prophetæ suo præcepit vt figlinam ingrederetur, & illic vilitatis suæ cognitionem consequeretur. In hac schola argillaceæ domus nostræ Abraham didicit, sicut omnes reliqui Sancti, parui se facere, humilem esse, puluerem se nominare & æstimare: ad eandem hanc Propheta Ieremias insolentem regem Iechoniam remisit, dicens: Hic homo Iechonias nonne vasculum ruptum est? & paulò post. O terra, terra, terra, exaudi vocem Dei: ecce quemadmodum id tribus vicibus repetit, vt attentos auditores inueniat, vt oculos ijs aperiat, aures patefaciat, & intellectum ad vilitatis suæ contemplationem inflammet: tres ergo iste compellationes, omnibus hominibus communes sunt, vt non vni Regi Iudæ. Quin & Esaias eodem fine humili ac sancta confessione Creatorem implorans, vocem

Gen. 18. 27.

Ier. 22. 29.

vocem miserabilē vsurpat, & Deum figulum, nos autē terram appellat: *Et nunc Domine Pater noster es tu: nos vero lutum, & fictor noster tu: & opera manuum tuarum omnes nos.* Quo quidem loco illud etiam studiosè annotandum est, & si bestiæ similiter ex argilla factæ fuerint, & plus terreni habeant quam homo, quippe quorum non modo corpus, sed anima etiam lutea est, & è quatuor elementorum mixtura conflata, de homine tamen solo id dici, quo videlicet intelligamus, quantum nobis curæ esse debeat, illius vt memoriam assiduè circumferamus, & humilitatem quam studiosissimè consectemur. Ex eodem ergo fonte nomen etiam protoplasti nostri Adam profluxisse existimandum est, quippe quod terram natam interpretamur, & quo non ille tantum, sed vniuersi etiam ipsius posteri, vt legitimi hæredes, à Salomone, Trismegisto, & omnibus quam Græcis, quò Latinis Poetis condecoratur. Accedit nunc qrarta causa, cur Deus hom nem pauperem & infirmum nasci

Esa. 64. 8.

In Asclep.

Quarta causa.

nasci voluerit, quia videlicet patris ac matris eas partes esse volebat, qui storgi illa insita sibi & innata facile eum à miserijs tutarentur, & quam studiosissimè educarent. Cõtrarium ferè bestijs accidit, quibus non nisi sola interdum mater, patre inimico assistit & patrocinatur: quemadmodũ de Pauone & Columbo scimus, qui oua fœmellarum confringunt, & quorum pulli, matre mœrore consumpta derelinquuntur omniq; ope destituuntur, quanto ergo melius cũ hominibus agitur, quorũ curã pater ac mater suscipiunt, & in eorũ defectu & absentia, cognati ac Magistratus tutores agunt? Habes nunc ergo quatuor illas rationes, quas in mediũ depromere fructuosè posse videbar, etsi nihil impedit, cur non quintam etiam annectamus, peccatum puta, propter quod nudi, miserabilesque Filij iræ è ventre egredientes, ipso gemitu & eiulatu quam maturrimè miserias quibus inuoluimur testamur, quod absque peccato Adami protoplasti fuisset, nunquam factitari opus erat.

Cur homo imperfectissim⁹ nascatur.

Homi-

Hominem potius macrocosmum, quam microcosmum appellandum videri.

COLLOQVIVM LXIV.

PHIL. PORRO dum tu hæc non minus eleganter quam verè disputas, scrupulum mihi quendam iniecisse videris, cùm diceres veteres illos iustius homine macrocosmum quam microcosmum appellare potuisse: & effecisti tu reuerà iam nunc illud vt fidem tibi arrogare, vel contra antiquissimam Magistrorum meorum opinionem non reformidem, & si & ea fundamentis suis nititur, ac plausibilibus rationum monumentis confirmari stabiliriq́ue mihi posse videatur. Plane ergo velim istud vt nunc agas & quæ de macrocosmo attulisti expromas: res erit minimè à proposito nostro aliena, quippe quæ elegantissimè animæ & corporis pulcherrimam proportionem declarabit, quam vnicè tu hactenus velut scopum spectauisti obseruastiq́ue. THEOL. An ergo illud vis vt quemadmodum in tabellâ pictores immania vastissima-

maque corpora, ita ego tibi breui & conciso orationis genere hominis venustatē depingam, macrocosmum eum esse astruendo? PHIL. Acu rem tangis; & quia nihil mihi antiquius est quam te audire, tu quoque fac nihil vt tibi potius fuisse videatur quam meo desiderio satisfacere, & animum pulcherrima isthac doctrina informare. THEOL. Annitar sane, & quantum voce viribusque potero, contendam ea vt ex me intelligas, quibus cupiditas tua expleatur, & ardentissima sitis restinguatur; etsi veteres illi qui à Philosophia vestra fuerunt veniam obsecrandi mihi primum sunt, qui non minus verè quam concinnè hominem microcosmum appellauerunt, quippe qui quoddam quasi compendium partium sit in vniuersi huius corpore contentarum. at noster ille Theologus Gregorius Nazianzenus haud aliquanto verius & speciosius macrocosmum eum appellauit, propter insignes illas perfectiones, in quibus reuera, si quæ est, magnitudo vera & exaggerata eluceſcit. Quā-

Orat. 2. de Pasch.

uis

uis ſuperiores iſti facile omnino veniam impetrare poſſint, quippe qui reſpectu exiguæ molis ac quantitatis humanæ, quæ infinitis ſpacijs vniuerſo iſto minor eſt, hominem ſibi microcoſmum putauerint appellandum: cui tamen & illud addo, non modo corporis pulcritudinem, ſed & animæ venuſtatem conſiderare eos debuiſſe, quo ita præclarè facto omnino in eam ſententiam abiuiſſent, eum vt ſibi macrocoſmum appellandum cenſuiſſent. Et quemadmodum neminem plane inter eos reperire poſſis, illud qui inficiari auſit, infinitis ſpatijs Deum mundo maiorem, & iuxta etiam quantitatis omnis expertem eſſe, eamque demum perfectionem non corpoream ſed ſpiritualem eſſe, à qua nomen Magni mutuetur: illud iam opinor etiam conſtabit, hominem qui ſolus perfectiſſima & ſpecioſiſſima huius vniuerſi pars eſt, & inter omnes creaturas corporeas vnus ipſe imaginem Dei in anima circumfert (qui vera magnitudo, pulcritudo, ac perfectio

fectio est) & corpore animæ effigiem habet impressam, macro potius quam microcosmum videri esse appellandum; idque non tantum animæ, sed ipsius etiam corporis ratione spectata. Iam si illud etiam verum est, id maius censendum esse & vocitandum, quod aliud in se continet atque concludit, quis dubitabit homini macrocosmi nomen exactissimè conuenire, qui anima & corpore mundum hunc vniuersum, omnes illius perfectiones, & modo denique illas excellenti admodum cõplectitur & via singulari? Et primũ quod ad animã attinet: quatuor admodũ rerũ species sunt, ex quibus omnia plane visibilis huius mundi ac familiæ vniuersalis cõflata coagmentataque esse videntur: nam & istiusmodi aliqua sunt vt Esse sine vlla anima habeant, qualia nos cælos, elementa, lapides, metalla & similia dicere solemus: alia verò anima prædita sunt & sensu contra destituuntur, vt arbores, herbæ, plantæ & cætera vniuersa, quæ quia vegeta esse constat, ideo animata consueue-

ſueuerunt nuncupari: iam nonnulla quoque ſunt quę nequaquam ſenſu carent, ratione verò deficiuntur, quemadmodum piſces, aues & quicquid reliquarum animantium terrenarum inuenitur: accedit iſti homo qui ſimilitudine ad Angelos accedens, & imagine Dei exornatus, tres illas priores ſpecies in ſe comprehendit, quippe qui ita ſentit, pariter vt creſcat ſentiatque, neque eo modo quo illæ ſed peculiari planè modo & ratione neſcio quomodo reliquis excellentiore: nam & Eſſe longè quam lapides præſtantius cõſecutus eſt, & ita animæ vegetatiuæ ac ſenſitiuæ particeps, nulla vt in anima melius collocatæ videantur: ſicut ergo imago quæpiam adamanti inſculpta longè nobilior ea dicitur quæ vel orichalco inciſa eſt, ita etiam duæ iſtæ potentiæ ſenſitiua ac vegetatiua tanto nobiliores ſunt, quanto in præſtantiori ſubiecto reperiuntur. Vnde præclarè intelligimus hominem omnibus creaturis abſolutiorem eſſe, & ideo vniuerſis maiorem exiſtimandum, quia modo

singulari & diuino perfectiones nactus est haud aliquanto excellentiores. Quemadmodum ergo etiam Regis Frater Dominus peculiari prærogatiua appellatur, quippe qui velut omnium inferiorum Dominorum nobilitatem exhauriat & complectatur, quorum tituli à Baronatu aut Comitatu aliquo vel illustri denique quopiam dignitatis gradu petuntur, cum contra Fratri Regio generale illud nomen Domini velut illustrior & coronæ sceptroque proximiori deferatur: ita homo per excellentiam quandam solo Creaturæ nomine videri potest fuisse nuncupandus: est enim ille reapse nobilissima Creaturarum, & sicut ex Diuo Augustino ostendimus inter omnes creaturas mortales Regi suo quam maximè coniuncta. Idcirco quoque Dominus noster cum Apostolos suos concionatum mitteret, ait. *Exite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Super quo loco sanctus Gregorius, inquit, omni Creaturæ prædicare, homini

Homo appellatus Creatura.

Matth. 25. 9.

S. Greg. hom. 29.

prædicare est, qui quodammodo omnis creatura appellatur, quia in se continet habetque vniuersa, quæ creaturis singulis singula fuerunt impertita. Maneat ergo nunc non micro sed macrocosmum hominem videri esse appellandum, quippe cum vniuersas mundi partes ipse complectatur.

Secunda causa, cur homo macrocosmus videatur appellandus.

COLLOQVIVM LXV.

PHIL. NVNC quoniam admodum illud tibi placere intelligo, vt ex re tua familiari meam ego faciam ac locupletem, adducor fane non grauatè, vt nostrum hunc quem architectamur mundum, ex Aristotele argumento petito augeam exaggeremque: ait namque ille intellectum hominis certo quodam modo omne esse, quippe qui forma formarum sit, quemadmodum manus omne etiam aliquod est, cum instrumentum instrumentorum vulgo audiat & appel-

Arist. 3. de anim. c. 7.

pelletur. Volebat videlicet Philosophus ille dicere, intellectum hominis instar tabulæ rasæ primum esse, & si nihil obstet atque impediat, cognitionem omnium in se rerum habere aut habere posse: quæ si adsit, iam naturam habet rerum cunctarum impressam sibi penitus atque insculptam. Nam quemadmodum oculus nullos non colores in se recipere potest, sicut nulla non lumina, nullas non imagines, album, nigrum, lucem solis, lunæ, picturam Alexandri æquè ac Cæsaris: & quemadmodum imagines quasdam spirituales omnium eorum in se efformare potest, quibus pro obiecto vtitur, & in quæ acie sua fertur, si quidem color ille corporis cuiuspiam quem in se recepit, in eo corporeus non est, sicut in corpore colorato, sed spiritualis, sed haud aliquanto elegantior: ita Intellectus etiã omniũ creaturarũ cognitionis capax est, & adeo etiã ipsi⁹ sui Creatoris, ita vt nihil plane reperias in quod ille oculorũ suorum aciẽ non cõijciat. Potest ergo ille cognoscere

naturas elementorum, mineralium, plantarum, bestiarum, cælorum, angelorum, Dei; potest inquam, non absolutè, non perfectè, non ita plenè nulla vt ad hanc scientiam fieri possit accessio: nam & in diuinis rebus instar noctuæ ad solem caligare hominem fas est, etsi omnium plane naturarum capax sit, cum cunctarum perfectiones in se vnicè complectatur. Atque hinc illud est quod promiscuè de omnibus omnino rebus sermonem instituimus quid modo de aquis, modo de lapidibus, nunc de fulmine, nunc de pluuia disceptamus: atque ita disceptamus, vt perfectiones illæ fundamentum longè nobilius in intellectu habeant, quam in rebus ipsis: siquidem Leonis Esse & natura quę in Leone est, caduca, corporea, & interitui obnoxia est, quæ vero iam per cognitionem in Intellectu sculpitur, vt spiritualis, vt immortalis est, ita eiusdem plane cælaturæ existimatur, cuius ipsa materia in qua incisa & efficta est: ergo etsi omnes iam Leones è rerum natura tollantur,

Arist. 2. Met. c. 1. & l. 9. c. 12 & 1. de part. anim. c. 5.

tur, intellectus tamen humanus illorum cognitionem & scientiam, quam semel apprehendit perire amittereque non potest. Idcirco Aristoteles causam redditurus, cur oculus rem absentem intueri non possit, cum tamen Intellectus qui animæ quidam velut oculus est, ea etiam contempletur quæ absunt, quaque aliquando cognouit, ait ideo illud fieri, quia imago obiecti corporei effugit ac nequaquam in sensibus permanet, rerum autem semel cognitarum perceptio & adumbratio infixa est, & in anima remanet, velut in subiecto perenni & nunquam morituro: vnde omnino efficitur quod Intellectus perpetuo suum obiectum secum habeat, illud videre, spectare & contemplari possit, cum in oculo corporeo contrarium fiat, qui externa assumere debet & mutuari. Homo ergo omnes omnino res in se potest continere, & si nihil non sciret, iam reuera omnia ingenio suo complecteretur. Nunc quemadmodum illud etiam recep-

Arist. 2 de anim. c. 5.

tum ac familiare nobis est, vt cum honorificè admodum de Medico, de Iureconsulto, aut alio quopiam Doctore sensuri sumus, illud fere dicere soleamus, Iurisprudentiam, Medicinam, doctrinam, si perderetur, si amitteretur, in illius cerebro quærendam rursus videri: ita nos reuera de Macrocosmo nostro dicere possumus, eum si in statu suo permansisset, si omnia quæ potest didicisset, creaturas plane vniuersas, si perdi, si amitti eas contigisset, in illius anima quærendas fuisse & reperiendas, nimirum propter insignem illam capacitatem, quam ei DEVS elargitus fuit, quo omnium omnino rerum formam ac perfectionem in se contineret. Quid iam ergo de admirabili isthoc mundo dicturi sumus? qui adeo vastus, adeo magnus & spatiosus est, vt in vna partium suarum mundum vniuersum concludat, & ita iuxta paruus, vt ea ipsa pars cuius beneficio maximus est, quantitatis omnis expers esse iudicetur? & quid de

Archi-

Architecto allaturi sumus, qui eum condidit ac fabrefecit? Quod si istinsmodi sculptor reperiretur aliquis, qui in exigua gemmula omnium plane animalium formas effingere posset & repræsentare, an non ille ad cælum vsque laudibus efferetur, instar Phœnicis in omniũ oculis habitaret, opus verò ipsum vt Idæa aliqua in Palladis arce collocandum commendaretur? Quod si Timantes etiã ille, qui in tabella denarij instar mõstrosæ magnitudinis Cyclopem, & circa eũ Satyros pollicem illi vlna metiẽtes viuis coloribus adũbrauit, ab vniuersa Græcia honoratus fuit & collaudatus: quid si & ille, qui Galeni ætate in paruula æris portiuncula Phaetontem solis aurigã cum quatuor maximis equis currum trahentibus efformauit, nomẽ suũ cum immortalitate coniunxit: si Myrmecides laudem æternam consecutus est, q̃ ex ebore currũ cũ quatuor rotis effinxerit, quẽ musca vna ala tegere poterat, & nauim cũ vniuersa supellectile sculpserit, quam apis alis suis velare: si denique

Plin. lib. 35. c. 10.

Galen. de vsup. lib. 17.

is nomen est, & erit quam diu homines erunt, qui quatuor & viginti libros Iliados Homericæ, hoc est, quinque millia sexcenta, nonaginta septem carmina in minimo pergameno, quod nucis cortice concludi poterat, descripsit; cur non etiam nos peritissimum illum ac sapientissimum artificem collaudemus, à quo omnes isti sua didicerunt hauseruntque? qui postquam modo incomprehensibili Angelorum intellectui omnium omnino rerum cognitionem insculpsisset, earundem etiam hominem compotem effecit, & in illius intellectu vastum & immane istud vniuersitatis theatrum, cum omnibus partibus & ornamentis, non velut in exiguo spatio corporeo, sed in subiecto spatij corporisque expertè, lineamentis belle subtilibus & admirandis adumbrauit? Verum ecquid aliud dicere possumus, quam Deum hunc, Deum mirabilium esse, dignum honore, dignum amore, dignum adoratione? Et quid aliud de primario illius opere, homine

Homeri Ilias in pergameno minutissimo descripta. Plin. l. 7. c. 22.

mine in quam, ſtatuemus, quam duplicem eum mundum fabrefeciſſe, quorum alter imago Dei ſui eſt, cuius intelligentiam Plato mundum archetypum nominauit: alter imago vniuerſi, & vt vno verbo abſoluam, quam macrocoſmum eum eſſe appellandum? Et quis denique non maioris virtutem illam faciet quæ complures ſcientias intellectui imprimit, memoriæ inſerit, eiq́ue vt intellectus theſaurariæ concredit, quam vel illam quæ eas in exigua ſcheda depingere, aut in gemmula aliqua poteſt efformare? quis non potius admiretur Homeri Iliada aliquem ingenio complecti, memoria ſepire, quam eandem aut in pergameno ſcribere, aut nucis cortice occultare? At quanti hoc erat in nuce aut exiguo illo pergameno tantum carminum contineri? certè memoria quæ ſpiritualis & immortalis quædā lamina eſt, vbi iam quinque millia verſuum addicerit, tantum abeſt ijs vt grauetur, excitatior alacriorq́ue efficitur, & ad indies plura recipienda idonea ſit. Plane

enim id experiẽtia docet, eũ quotidie aliquid memoriæ mandat, tanto accõmodatiorẽ ad lõge plura effici, quãto ampli⁹ ingerit atq; cõcredit; & intellectum, quo plura didicerit, hoc acutiorẽ fieri & excitatiorem: quẽadmodũ euidẽter in Tyronibus literariæ militiæ apparet, quib⁹ ipſi claſſiũ mutatarũ gradus, neſcio quid lucis afferũt & ſciẽtia imbuunt vſq; & vſq; perfectiori: intellect⁹ namque Ariſtotele teſte, in infinitũ currit, nullis limitibus circũſcribitur, nullis regionib⁹ clanditur, ſed quẽadmodũ ad maximũ etiam numerũ acceſſio fieri poteſt, ita augeri illud ſẽper ſcientia aliqua & noua rei cuiuſpiã cognitione: quod volũtati etiã contingere palã ac conteſtatũ eſt, quę quãto plus & ardẽtius rẽ quampiã amarit, tanto amplius amore flagrat: ſicq; & im⁊pbis, rerũ caducarũ, & bonis Dei ſolius amor indies creſcit atque augetur. Sunt ergo plane hę omnia iſtiuſmodi, quę declarẽt, hominẽ macrocoſmũ eſſe, quippe q mũdum vniuersũ ingenio cõplecti, memoria ſepire, & oẽs illius partes volun-

Ariſt. 3. Phyſ. c. 48.

voluntate ambire contingereque possit. Denique sicut omnium rerum insensibilium virtutibus ac potentijs adiuuari mirabiliter potest, ita suam ille quodammodo facere omnium animalium industriam, eamque haud aliquanto nobiliorem reddere, sua dexteritate exornare, arteque potest excolere: ita vt glossa ipso textu melior luculentiorque videri haberiique incipiat. Nam cum ab hirundine ædificandi rationem didicerit, quoties tu discipulum hunc magistrã suam superasse, quam lõgo spatio post se reliquisse, quam denique quodãmodo præire illi voluisse arbitraris? Iam & medicinam nõ nisi ab animantibus hausit, quam tamẽ ille iam nunc, Deus bone, quã omnib⁹ exactius, certi⁹, perfectiusque callet? quin & natandi peritiam anatibus debet, quibus quando ille non velocius, non certius, non peritius aquis innatat, easque transcurrit? Porro quo euidens manifestumque exemplũ statuamus aliquod, ab Araneo texendi præcepta artemque accepit: & tamen quis illius tela

cum pannis Hollandicis, Cameracenſibus, Turcicisque comparare: cum cannabinis, cum lineis, cum goſſibinis, & innumeris alijs omnis generis mira florum colorumque venuſtate diſtinctis aulæis committere componereque auſit? At dices tu mihi fortaſſis hoc loco quod antea, nimia iſthæc omnia eſſe, cauſamque reapſe videri, cur ijs homines abutantur, & fœdiſſimo flagitiorum cæno ſeſe immergant. Fateborque ſane perlubenter illud, & tantum abeſt vt inficier, in alijs etiam compluribus rebus querelam hanc deponi poſſe contendo, quas aut ab animalibus hauſit, aut induſtria ſolertiaque propria excogitauit: adeo vt cum hæc felicitas rerum inueniendarum, quæ in beſtijs virtus non eſt, in illo quàm maximè iſtiuſmodi eſſe deberet, ille contrarium faciens & tranſuerſum abiens, iſtud quod in animantibus culpari non poterat, in ſe vitium fecerit: cumque eum formica prouidentiam, columba ſimplicitatem, ſerpens prudentiam, agnus ſinceritatem,

tem, magnanimitatem Leo, pudicitiam turtur docere oporteret, à Leone crudelitatem discere maluerit, furta à Cornice, fraudes à Vulpe, voracitatem à Lupo, perfidiã à Crocodilo, sordes à Porco, inuidiam à Cane: & abutendo proprio suo arbitrio, ipsam in se ferociam & barbariem generare, rapacitatem depangere, dolos serere, gulam, perfidiam, luxuriam, inuidiamq; proseminare: & vt vno verbo dicã vniuersam bestiarum naturam indifferentem monstrosa metamorphosi in vitia & vituperia commutare, potius totius Vniuersi fabula & ludus, quam eiusdem honor thesaurusque esse voluerit. Hoc nimirum nunc hominis vitium, hæc arrogantia, hæc ignorantia, hæc ingratitudo est; hic infernus etiam illius erit, nisi maturè resipiscens, aliud viuendi institutum persequatur. Neque verò hæc istiusmodi sunt, vt obesse videantur, quo minus luculenter immensam animæ capacitatem intelligamus, quæ omnium naturas in suam dexteritatem commutare, &

in se mirabiliter augere potest & illustrare, sed potius multitudo illarum rerum quas operatur, etsi cum abusu insigni fiat: euidenter admodum Creatoris bonitatem ac liberalitatem declarat atque demonstrat, qua Creaturã suam adeò prodige locupletauit, adeò patiẽter tolerauit; quasique ad oculum ostendit, quod quemadmodũ homo mundi finis est, ita eum quoque mundum vniuersum concludere, digniſſimũ planè videri, qui communibus suffragijs macrocosmi nomine afficiatur. Verùm quoniam hæc in anima satis superque declarauimus, ad corpus transeamus.

Homo mundi finis. Ar. 2. Phys. c. 2.

Hominem corporis etiam respectu esse macrocosmum.

COLLOQVIVM LXVI.

THEO. NVNC ergo si magnitudinem corporis quantitate metimur, iã illud etiam certũ & indubitatum est, mundum hunc macrocosmum esse, hominem verò si diximus microcosmũ: sin autem excellentia & perfectionis potius capaci-

pacitate eam mensuramus, iam istud etiã facilè intelligitur, mundũ hũc micro, hominem autem macrocosmũ videri esse appellandum? Ergo quod in anima paulò ante demõstrauimus, id in corpore iãnunc etiam faciamus, quò, Deum immortalem, quid cælum pulcrius, terra formosius, vniuersæ deniq; vniuersi partes speciosius habeant aut complectantur? Nam quemadmodũ mundus hic vniuersalis cælũ habet altissimũ illud suorũ membrorum: ita corpus humanũ cæli loco caput consecutũ est, reapse excelsissimũ & in ordine membrorum primum. Inter omnia mũdi membra si Arist. credimus, qui inanimatus est, cælo nihil diuinius, nihil pulcrius à Deo immortali fuit procreatum: non modò propter insignem figuram & perfectissimam, splendorẽ maximum, motum præstantissimum, sed etiã ob sexcentas alias affectiones quã excellentiã per effectus intelligimus, & per influentias quas in hoc mundo inferiore operatur, euidenter manifesteque exploramus. Cæli ergo vnica solum figu-

figura est, rotunditas puta, at capitis non vna, non altera, sed omnes, sed vniuersæ: habes oualem in oculis, pyramidalem in naso, sphæricã in rotunditate, cylindrum, cubum, & similes inter ossa qua parua, qua magna, ex quibus cœlum illud terrestre compositum fuit & architectatum. Cælo astra sunt, capiti sẽsus bellè illi splendidi & mirabili colorum gratia variegati. Cælo duo luminaria affixa sunt, quæ omnia colluſtrant: capiti duo oculi inserti quibus quidlibet intuemur ac contemplamur. Cælum nunquam non motu suo supremum locum tenet: caput etsi inter ambulandum moueatur, semper tamen in sublimi sua regione commoratur. Cœlum influentijs suis in mundum hunc & totum inferiora omnia agit, caput in totum corpus & illius partes vniuersas. Si cœli motus sisteretur, omnia hæc inferiora cum illo cessarent: ergo etiam capite cõquiescente, reliqnum corpus feriatur. Quid ego iam nunc de cœli motu circulari, quid de recto elementorum

rum, de mixto omnium corporum viuentium dicam, qui omnes in humano corpore reperiuntur? Nam quod ad elementa attinet, vbi ea melius coniuncta, mirabilius distincta, pulchriusque commixta sunt quam in nostro hoc macrocosmo? Terra frigida & sicca in ossibus siccis ac frigidis repræsentatur: aqua frigida & humida, in humido cerebro & algẽti: aer calid⁹ & humidus in carne ijs qualitatibus affecta: ignis calorẽ & siccitatẽ præ se ferens in pulmonibus earundẽ plane affectionum. Iam & primæ qualitates, calidum, frigidum, humidum & siccum in colera, phlegmate, sanguine & melancholia pulcerrimè exhibẽtur; & verò etiam quatuor Anni partibus Veri, Autumno, Aestati, Hyemi, infantia, adolescentia, virilis ætas, & senectus incundissimè respõdent. Porrò quod in mundo quoque plaga Orientalis est, id in homine latus dexterum repræsentare, Occidentem læua exprimere, Meridiem caput exhibere, pedes Aquilonem referre posse videtur. Nam & Diuus Augu-

S. Aug. tra. 9. & 10. in Io. S. Cyp. l. de sina, & sim.

Augustinus, & Sanctus Cyprianus has easdem mundi plagas ijs litteris constitui designariq́ue voluerunt, ex quibus protoplasti nomen conficitur & coagmentatur. quippè cũ Anatole, Dysis, Arctos, Mesimbria, apud Græcos idem omninò valeant, quod apud nos Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies, nisi quod initiales Pelasgorum vocabulorum literæ Adam vt diximus conficiant. Aristoteles verò contrario modo & diuerso filo Genealogiam hanc contexens, hominis partes in cælo disponit, eũ ceu animal describens, dum videl. mundum vnum per alterũ declarare conatur. Caput ergo Meridiem, pedes Septẽtrionẽ, dexteram Orientem, læuam Occidentem, quẽadmodũ nos quoq; fecimus, appellauit. Nunc quoniã in mundo diuersa maria, fontes, scaturigines, riui fluuijq́; variarum qualitatũ viriumq́; inueniuntur, idem etiã quomodo in homine demõstrari possit, satagendum nobis esse videtur. Principio itaq; cerebrum Oceanus quidam Orientalis est, qui perẽni & nun-

Arist. a. de cæl. c. 2.

nunquam insistenti scaturigine linguam humectat, oriqúe aquas suppeditat, & mox easdē per interualla ceu per fluxum ac refluxum oculis instillat: deinde etiam neruis velut iucundissimis riuulis effusis, se commouet & quotquot organici sui mundi partes asperserit, enecat atq; interimit. Quid quod & hepar similitudinem quandam maris Erythræi habet vniuersas corporis venas irrorans ac portās, & tam sibi vicinas quam longius à se remotas partes sustentās, iustisq; augēs incremētis? Quid annō cor ipsū mare Mediterraneū refert, quod in medio corpore constitutū nobilissimus quidā fons est, è quo aquæ ad linguā promanāt, & in vniuersum corpus riuuli spirituū vitalium transfunduntur, & aquæ limpidissimæ arteriarum quibus splendidissimum hoc Vniuersū sustentetur, decurrunt? Iam si corpora inanimata, si lapides, si metalla, & si quæ sunt alia ex commixtione elementorum conflata, considerare velis, annon ea ossibus quam simillima esse inuenies,

quo-

quorum ars, vsus, figura ac varietas sapiẽtum hominum iudicio, etsi nó auarorum fortè, qui nonnisi terræ execrementa consectantur, omnib' planè gemmis lapidibusque pretiosis nobilior præstãtiorq; est. Et quoniã corporũ duo admodũ genera sũt vnum eorum quæ anima vegetatiua prædita, alterum eorum quæ sensitiuam nacta fuerunt, potestne in priore reperiri aliquid, quod corpus humanum non faciat, non luculentius multò copiosiusque possideat? Habent enim formarum suarum facultates, habent alimenta, ea digerunt, semet nutriunt, crescunt ac generant: quæ omnia ita corpus humanum præstat, vt in posteriore etiam esse nihil possit, quod non lõgè modò perfectiore exequatur? habet illius generis bestiæ sensus interiores, id est sensum communem, imaginationem & memoriam, tum etiam exteriores, Tactum, Gustum, Odoratum, Auditum & Visum, qui omnes ita in corpore hominis reperiuntur, vt vix aliquid ijs addi accedereque posse videatur. Et quemadmodum

modum plantis ſuperius eſt in ijs functionibus quas cum illis communes habet atque exercet, ita in ijs etiam beſtijs excellentius eſt, quæ cum illis ex æquo poſſidet ac conſecutus fuit. Inprimis enim peruagatum illud notoriumque eſt, hominem quamlibet beſtiam multis paraſangis præcellere ſi de ſenſibus interioribus quæſtio inſtituatur, quippè cum communis ille, & Imaginatio multò maioris in homine virtutis, multò luculentioris efficaciæ ſit, memoria etiam plura longè complecti, plura ſepire capereque poſſit, quam vllum animalium, quibus imperfecta hæc quodammodò omnia collata inſitaque fuiſſe vidētur. Secundo ſenſus eum etiam exteriores nobiliores accepiſſe dicimus, etſi nequaquam inficiemur, cū ab Aquila acerrima oculorum acie eminus cominusque omnia quam maximè accuratè diſtincteque intuente, à Vulpe & Talpa auditu, à cane odoratu, à pulice guſtu, qui nonniſi leui roſtri attactu ſaporem gratum ingratumque confeſtim percipit,

Hominis ſenſus interiores & exteriores beſtiarum nobiliores ſunt. Ariſt. 1. Mel. c. 1. l. de ſenſ. c. 1. 5. 1. hiſt. c. 1.

Ariſt. de Gen. An. c. 1.

pit, alimacibus & ostreis contactu summè penetratiuo, habet tamen corpus humanum ea media eosque planè modos, quibus isthæc vincit quã facillimè vniuersa: mille enim sexcentasque illud res sensibus suis apprehendit, vti bestia penitus insensibilis est: nam & aquila quæ lõgissimè abs se remota acerrimè contuetur, nonnisi colores videt; at homo eorum etiam differentias intelligit, eos distinguit, inter se confert ac comparat: cũq; æquilæ oculi in tabella nihil præter nigredinẽ, cidorem, ruborem, aliumve colorem conspiciãt, homo de luminibus, de amœnitate, de flore picturæ vniuerso, de lineamentis, de proportione, de vmbris, de venustate, de deformitate imaginis perijsse iudicat: planè quẽadmodũ ij qui librũ aliquẽ cõtẽplãtur, ac legere interim nõ possũt, nihil præter nigras quasdam notas, frequẽtes apices, chartãq; intueri se arbitrantur, quiq; legere norũt, verba distinguũt, syllabas separãt, dictionesq; dispescunt. Iam de Vulpe eadẽ omninò sententia opinioq; est,

quam

quam vt audiendi sensu plurimum valere asseueramus, ita sonis tantũmodo eũ excipiendis non discognoscẽdis, non discernẽdis dicimus inseruire cum contra homo, hominis verba, bestiarũ voces, inanimotarũ son⁹ distinctè intelligat, harmonias, modos musicos, plãctus eiulatusque velut interpretes cũ ipsius animi sẽsis percipiat, distinguat, atq; discernat. In quo admodũ mihi similis ei esse videtur, qui peregrina lingua verba faciẽtẽ probè assequitur, vulpé aũt ei qui inanẽ tãtum verborum strepitũ, labiorũ motũ, & corporis quãdã gesticulationẽ actionẽque solũmodò intuetur. Cæterũ cũ de gustu, odoratu, ac tactu deniq; etiã eadẽ dici posse videãtur, illud ego nũc addo, hominẽ si in peccatũ prolaps⁹ nõ fuisset, multis partibus ea superaturũ fuisse quibus iãnunc à bestijs vincitur, nec nisi exaggerata, perfecta, penitusq; absoluta ea fuisse possessurũ. Verùm faciamus nunc missa isthæc, quæ fortè non inconueniẽter, & satis vt opinor accommodatè de hominis sensibus dici poterant,

ac il-

ac illud potius ex ijs quæ exprompsimus constituamus, totum mundũ corporeum omnesque illius perfectiones & ornamenta, in hoc corpore verè diuino contineri, quemadmodum à Galeno & Aristotele appellatur, quod animæ mortali copulatum grande miraculum designat sicut Plato ac Trismegistus inquiunt, & secundum nostros Theologos excellentem planè macrocosmum constituit. Iam verò illud annon quãtiuis est vt luculẽter & manifestè nõ leuibus vestigijs, sed totis quod aiũt volutationib⁹, Creatoris liberalitatẽ bonitatemq; agnoscas, qui quo apertius suam hanc creaturam exornaret, & insigni authoritate condecoraret, ipse eam honorare voluit, partim ei apparendo, partim Angelos in humana forma exhibenda tum in lege naturæ, quam Mosaica: quique demum Filium suũ ablegauit vt matrimonio sibi nostrã naturam copularet, suæ diuinitati hominem adiungeret, hominem macrocosmum assumeret, & in hoc cosmo carneo mundum seu cosmum vni-

Arist. 2. de par. c. 10. Gal. de vsu par. Vellens.

Liberalitas Creatoris erga homines.

vniuersalem saluaret, & aliquando etiã iudicaret? quid est animam nostrã exornare, quid corpus condecorare, si hoc non est? Habent hic proinde speculum quoddam omnes ij qui in Diuinam Maiestatem iniurij passim in omnium peccatorum sordibus volutãtur. Principio enim flagitia duo enormia designant contra Creatorem suũ, dũ videlicet insigniter ingrati sunt leges eius præfractè violãdo, & infinitæ illius sapientię ac bonitatis statuta ac præcepta nefario planè ausu transgrediendo; dũ etiam illius imaginem sordidissimis peccatis conspurcant, similitudinẽ defœdant, & haud paulò grauius lęsæ Maiestatis crimen committunt, quam ij qui sordibus aut luto Principis sui imaginem peterent incesserentque. Secundo sibi ipsis insignem iniuoriam cum præclara coniuncta ignominia irrogat, animam suam miserrimè deformantes, & imagine diaboli vestientes, toties quoties peccatum superbiæ, auaritiæ, vsuræ, inuidiæ aliudve quopiam committunt: atq; si flagi-

Peccatũ insignis iniuria Dei.

tium etiã illud carnis sit vt gulæ, & luxuriæ, iam insigniter animam suã infamant, & corpus adeò ipsum coinquinant: etsi de quolibet peccato mortali illud intelligi iuxta possit, nunquam vt non corpus & animam suam æternæ ignominiæ cruciatibusq; obstringant. Verũ satis ista hæc opinor sunt, nunc illud considerandum venit, vt postquam corporis excellentiam, quæ primus articulus erat augustissimi istius matrimonij spiritualẽ naturam inter & corporalem: quo deinde facilius conclusionem hanc assuere possimus, quam nos secundam feceramus, immortale illud nimirum posse existimari.

Concluditur idem quod supra; Deum nõ animam modò, sed & corpus immortale creauisse.

COLLOQVIVM LXVII.

THEO. QStendimus hactenus Deũ exactissimè primi matrimonij articuli rationẽ adhibuisse, dum nimirũ in animæ cum corpore coniunctione, insignem pulchritudinem vtrique contulit, & conue-

nien-

nientiam partium excellentissimã vsurpauit. Iam & illud facilè omninò colligi potest, non minorem eũ diligentiam (vt ita dicam) in secũdo adhibuisse, qui de ætatũ conformitate est; nã cùm animæ nobilissimæ & diuinis ornamentis condecoratę, corpus pulcherrimum absolutissimumque coniunxisset, non minus oportebat animæ immortali corpus immortale associare, alias enim proportionis ratio habita planè nulla fuisset, quæ teste Arist. inter corruptibile, & incorruptibile, inter finitũ & infinitum seruari omninò non potest. Vnde anima etiã protoplasti, corpore mortali & caduco copulata, in perpetuo timore angustiaq; fuisset, innocẽtẽ se vidẽs ac nihilominus sepulchro incluſam, nunquã non mortẽ præstolanti operientiq;. Porrò indecorũ etiã fuisset hominis corpus mortale esse, cũ sapientissim⁹ ille & omnipotẽs artifex Deus pluribus formis longè quam homo vilioribus corpus immortale contulisset: nã & corpora cælestia mortis legibus non subiacent, & nihilominus

Arist. 10. Met. c. 13 8. Phys. c. 2. l. 1. de cælo c. 6. & 7.

Arist. 1. cæl. c. 2. l. 2. c. 1. & 6. S. Aug. de ci c. 3. l. 8. c. 6. & 16. l. 21. c. 26.

S. Thom. 1. p. q. 10. a. 3. de potentia q. 6. a. 6.

nus formam nimioperè ab anima rationali habent differentem. quin & nõnulli lapides ac metalla immortalitatis istud priuilegium consecuta sunt, quippè cùm aurum, argentũ, adamas, & sexcenta alia similia corpora domari corrumpiq́ue non possint, & nisi singulari artificio & violentia adhibita non cedãt, ipsiq; quodãmodo morti, id est corruptioni, illudant atq; insultent. Quod si illud etiam verũ est (verum aũt omninò esse debet quod tot Historici naturales asseuerant) cornicem quadraginta sex & octingentos annos viuere, ceruũ ad 384. ætatem producere, Phœnicem ipsos 1278. in terris agere, dubitandum reuera non est, Deum non minus corporis perpetuitate hominem reliquas bestias excellere voluisse, quam in cæteris priuilegijs quæ hactenus percensuimus, cum præsertim & illud indubitatum sit Principem eum Vniuersi constitutũ fuisse, alias enim Theophrasti illa querimonia plausibilis fortè videretur, quã instituit, quod natura longiorem vitam Cornici

Cic. Tusc. 3.

quam

quam homini fuerit elargita. Et quamuis tanti nobis aut Historicorum aut Poetarum fides esse non debeat, æquè vt ijs ac Euangelio credere velimus, quæ de bestiarum senecta ad posteritatis memoriam transmiserunt, experientiam tamẽ repudiare non possumus, quæ disertè & manifestè docet, non modò bestias sed plantas etiam reperiri, quæ longissimo durationis aut vitæ suæ spatio proximè ad immortalitatem accedere videantur. Nam quid ego nunc de Palma & Cypresso dicam, quas integra sæcula supersesse, ac victitare constat? Quid de Ceruo illo plus centum annis post mortem Alexandri capto, cuius collo ipse Rex cum viueret torquem ex auro iniecerat, apparentem illam iam tum adhuc, & nonnisi leuiter ex carne ac pelle quæ succreuerat promicantem? Iam de Cornice ac Coruis res extra controuersiam est diuturno admodum longoque admodum tẽpore vitam illos proferre. Maneat ergo pulcherrimę huius proportionis humanæ Deum studiosissimum

Plin. l. 7. c. 33.

fuisse, animāq; multò quā venustissimam & immortalē corpori è qualitatibus similibus conflato & coagmentato copulauisse, corpusque humanum immortalitate dotauisse.

Quanam protoplasti & arboris vitæ fuerit immortalitas.

COLLOQVIVM LXVIII.

PHIL. *Arist. de cælo c.12. l.1.de ortu et int. c.4.l.2.*

VERVM quid tu nunc Aristotele nostro facias, qui in hac opinatione est, nihil non quòd è contrarijs compactum sit, morti esse obnoxium? planè itaque scire velim, vtrum hæc immortalitas parentum nostrorum à natura fuerit, an verò aliundè fortè profecta. TH. Certè si digressio hæc & aberratio quā propter corporis animæque excellentiā à proposito nostro delegeramus, nihil me fallit, admodū fuisse scio cū dicerē, corpus hominis natura sua mortalitate præditū fuisse, ob eā nimirū causam quā tu allegabas, Creatoris autem beneficio illud cōsecutum vt immortale efficeretur: quo etiā fine vitæ arborē produxit, cuius hæc naturalis vis est, corporis defectus emendare, & iāiā collabas-

cen-

centes humani ædificij, parietinas reſtaurare, & ab interitu morteque vindicare. Et quoniam eò ſermonis prolapſi ſumus, valdè te memoriæ infigere iſthæc velim, quod videlicet arbor illa non tantum vitæ, ſed vitarum etiam Hebræis audiat, vt intelligamus triplicẽ admodum vitam in homine eam conſeruare debuiſſe, vegetatiuã, ſenſitiuã & intellectualẽ. Et erat omninò arbor illa iſtiuſmodi, omnes vt in eã Deum virtutes quæ humano corpori conſeruando prodeſſe poterãt, nõ difficulter congeſſiſſe intelligeres, quas velut per partes haud paulò parcius in reliquas arbores effuderat, quemadmodum in homine omniũ cæterarũ animãtium creaturarũq; perfectionẽ collocarat. Hæc arbor illa arborum fuit, hæc planta plantarum, alimentum alimentorum, arbor vitæ, portio delicata, ſuccus gratioſus, quò omnes homines nutrirentur & potarentur, natura corroboraretur, iamque effœta & confecta repueraſcere inciperet, & iamiam vitæ telam incidendam de-

nuò ordiretur. Hæc arbor illa nota & nemini non audita fuit, qui vel mediocriter ſacrarum Hiſtoriarum monumenta inſpexit, hæc prophanorum hominum ſcriptis velut quibuſdam inuolucris tecta fuit & celebrata. Nam quid tu aliud veteres illos Poetas per nectar & ambroſiam ſuam intellexiſſe arbitraris? qua Deos veſci potariq́ue affirmabant, niſi vitæ hanc arborem, cùm nihilominus neque veritatem quam iactitabant intelligerent, nec etiam crederent: planè pſittacorum inſtar, qui licet humanam vocem imitentur, nihil tamen minus quam eam capiunt intelliguntq́ue. Vnde per duo ipſa nomina duplicem arboris vitæ virtutem intelligebant: quarum prima eſt, quod à morte præſeruet, altera quod corpus in perenni vigore & perpetua adoleſcentia conſeruet: nam ſicut elegantiſſimè Suidas animaduertit, Ambroſia idem valet quod Abroſia, id eſt, mortis expers, ac ſi homo Græcè brotos ſeu mortalis nominatus, abrotos inde efformet quod immortalem ſignificat.

Heſiodus Homerꝰ & oēs Poeta.

Explicatio verbi Ambroſia, Nectaris.

Nectar

Nectar autem quod vinum excllentissimum generosissimumque erat, à neos componitur, quod iuuenem significat, ac si eos qui id bibissent repuerascere faceret, & ad iuuentutẽ quodammodo reuerti : eapropter quoque allegoriam suam continuabant. Hebem nescio quẽ comminiscentes, quę iuuentutem sonat, & pocillatorem Ganymedem, qui Deorũ mensæ inseruiebant. Iam Nectar etiam secundum Suidam, ex particula ne, id est non, & κύρος id est occidere componi posse videtur, quippè quod nequaquã occidat, sed à morte tueatur atque præseruet. Huc quoq; pertineri reuocarique possunt duæ illæ herbæ seu si mauis potiones, ab ijsdem Poetis incredibili mentiendi pariter fingẽdique libidine prurientibus celebratæ, quarũ vna Nepenthes, id est sine molestia nominatur, quippè quæ omnem corporis infirmitatẽ depellat: altera Homero sæpius laudata, & à Plinio descripta Moly vocitatur. Verum vt hunc discursum tandem concludamus dico immortalitatem corporis humani su-

ni ſupernaturalem fuiſſe, tam ratione donorum ſupernaturaliũ fuiſſe, quibus Deus Adami animam affecerat, quo facilius corpus in ſua harmonia retineretur, tum propter māducationem fructus vitæ, & ſexcentos alios modos quibus illud cõſeruare poterat, & in flore ętatis iucundiſſimo facere perennare.

Cur Deus corpus hominis non abſolutè fecerit immortale.

COLLOQVIVM LXIX.

PHIL. AN ergo Deus facere non poterat, vt corp⁹ natura immortale eſſet, quemadmodum animam ſimpliciter eũ diximus immortalẽ procreauiſſe? TH. Potuiſſe certè manifeſtũ eſt & haud aliquantò clarius quam vt de eo dubitare debere videatur, verũ in diuinis iſtiuſmodi rebus nunquã quæſtionẽ inſtituere oportet, vtrũ Deus id facere potuerit, quin iuxta quoq; & illud cõſideremus, fueritne ſupremæ illi⁹ ſapiẽtię cõueniẽs & accommodatũ. Poteſt ille, vt ſcias omnia, & conſilio ſuo vniuerſa gubernat, ſapientiſſime-

simeq; administrat. Agebatur hic de matrimonio nobilissimo, de corporis cum anima copula non simplice illa, sed quæ simul Rationalis, Vegetatiua, & Sẽsitiua vocitaretur: vnde necessarium planè erat vt corpus illud eiusdem materiæ esset, eadẽ organa, membra instrumentaque haberet, quo functiones istiusmodi animæ exequi, eius prȩcepta & imperata in effectũ deducere, id est, se nutrire, progignere, crescereq; posset, quæ tres generales facultates animę vegetatiuæ in plãtis etiã reperiũtur. Item vt tam sensus exteriores quam interiores haberet, vt visum, auditũ, gustum, odoratum, & tactum: vt sensum communem, imaginationem, & memoriam corporalem, quarum opera diuersas imagines similitudinesque concipiens de rebus sensibilibus, intellectum, memoriam, voluntatemque ijs instruit: cuius vis anima operatur, per potentias & facultates: intelligit per intellectũ, amat per voluntatem, per memoriam recordatur: quæ certè absque sensibus foret, nunquam præstare,

Tres causæ cur homo nõ absolutè sit immortalis. Prima causa. S. Thom. 1. p. q. 76 a. 5. l. 2. contra gentes c. 90. q. de ani. a. 8. q. de malo a. 5. Arist. 1. de 5. dem. c. 14. 3. de anim. c. 7. 8.

nunquam exequi potuisset, sunt enim illi obsonatores quidam quotidiè recentem ferociam in Domini sui mensam deferentes. Vt ergo sensus istos homo consequeretur, necessum planè erat corpus ex quatuor elementis conflari & inter se contrarijs partibus coagmentari, quo nimirum mortale corruptibileque efficeretur: nam contrarietas est causa dissolutionis. Requirebat itaq; natura corporis humani tale vt esset, quale id Deus procrearat, & quemadmodũ in eo singularis illius sapientia eluceſcit, ita euidẽtissimè etiam bonitatem istud sequeretur, q̃ speciali quodam priuilegio contra naturæ leges immortalitatem Adamo impertiuisset. Iam verò si etiam homo absolutè immortalitatem fuisset consecutus, eamque iamnunc adhuc retineret, quantum tu eum quæso peccatorũ, quantum scelerum, quantum flagitiorum designaturum fuisse arbitraris, pruisquam innumerabili annorum serie euoluta in Orcum præcipitaretur? aut si innocenter, sicut iusti

Arist. 1. de Cœlo c. 2.

Secunda causa.

iusti faciunt, vitã traduxisset suam, terraque etiam adeo vt nunc miseriarum ærumnarumque sterilis fuisset, quid non malorum, tormentorũ, quem deniq; nõ infernum toleraſſet, adeo longo temporis spatio in hac vita permanẽs & perennans? Sapienter itaque Deus & misericorditer feciſſe existimandus est, dum corpus interitui obnoxium animæ consociauit, quæ peccare poterat, quæ hallucinari, vt & improbis malè agendi modos vitæ isthac breuitate amputaret, & bonis molestiarũ telam quæ lõgius quam parerat texta fuisset resecaret, vtrisque autem salutarem timorem incuteret, & propter vitæ præsentis fugacitatem, & vero propter mortis incertitudinem, quò isti occasionem vitia sua corrigendi facilius inuenirent, isti causam in virtutem suarum studio perseuerandi reperirent, ne videlicet repentina morte, hora qua non sperabant imparati fortaſſis aliquando opprimantur. Tertia causa est cur hominem Deus mortalem produxerit, vt videlicet suæ quo-

Prouidẽtia Dei plena misericordia.

Tertia causa.

dammodo author caputque fieret immortalitatis. Hæc enim Dei optimi Creatoris mens & lex est, vt Creatura ad eum finem dona gratiasque sibi impertitas dirigat, ad quem à supremo illo suo Principe collatæ sibi concessæque fuerunt. Atque huc reuera Aristoteles respexisse mihi videtur cùm ait, res naturales omnes suas vires facultatesque eò conferre, vt absque vlla cessatione operentur, solem, dies, menses, annos, tempora, & alia effecta constituere, propter quæ lumen suum recepit: aues quod alas acceperint, volare: oculum esse vt videat: aurem vt audiat: & denique omnes creaturas serio illud agere quod à natura iniunctum ijs fuit, ne vnquam ferientur, nunquam otientur. Videtur & huc parabola illa Euangelica de Patrefamilias posse referri, quem ideo grauiter in seruum suum animaduertisse legimus, quod vim pecuniæ sibi commissam in terram defoderat, cùm potius ea negotiandum & mercatura in honorem heri suumque commodum esset

Arist. de Cælo c. 3. et 4. Meteor. cap. 12.

Bona Dei debent adhiberi.

Matth. 23. 24.

esset exercenda. Deus itaque cum sexcenta bonorum genera in hominem congessisset, liberum arbitrium contulisset, vt eo bene fideliterque vtens, pro se & vniuersa sua familia, confirmationem omnium prærogatiuarum & priuilegiorum supernaturalium, quę tam in corpore quam in anima acceperat, lucrifaceret; conueniens reuera erat vt eodem quasi instanti, quo excellentissima illa de Domini manu munera accipiebat, manum operi admouere inciperet, & cælestis illius facultatis liberi videlicet arbitrij experimentum sumeret, & luculento aliquo signo grãtitudinem & amorem quo benefactorem suum complecteretur demonstraret. Et ecce edidit reuera specimen, cępit experimẽtum, reapse tale, cui deplorando nõ ipse tantum, sed ne vniuersa quidem posteritas satis vnquã esse poterit; nam cum omnes illius cogitationes vnicum id spectare deberẽt, quomodo Dei præceptis morem gerere posset ac obediret, maluit ille stultæ fœminæ persuasioni obtempera-

perare, & loco confirmationis bonorum ſupernaturalium quam promereri poterat, enorme ingrati animi vitium deſignare, propter quod ijs ſpoliaretur, & eorum loco in ſuam ac vniuerſæ poſteritatis ignominiam pelle mortuam veſtiretur, nec niſi ſingulari Dei miſericordia naturæ munera ægrè retineret, attamen & illa nimiopere debilia, mutata, & ab inſigni hoc lapſu mirabiliter variata. Quis nunc ergo nobiliſſimam hanc excellentiſſimamque humanam creaturam perpetuo ſuo vigore priuauit, florida iuuentute exuit, & immortalitate corporis ſpoliauit? ecquis pulcerrimum illud animæ corporisque matrimonium diſſuit? quis copulam venuſtiſſimam diuulſit? ſocietatem iucundiſſimam violauit? quis animam terrę afflixit, quę olim cælis formoſior erat? quis corpus in terram cineremque redegit, quod formatum erat, vt terræ dominaretur, & poſtea etiam cælo imperitaret? quis confuſionem hanc peperit, quis immane illud diuortium deſignauit?

pec-

peccatum. Peccatum, inquam, sathanæ primogenitus, qui hominis animam ac corpus priuilegijs supernaturalibus exuit, naturalia debilitauit & fregit, vniuersum hominum genus pessum dedit, & liberos in suis progenitoribus contrucidauit, qui semina carduorum, spinarum, calamitatum, ærumnarum, afflictionum, maledictionum, pestilentiarum, bellorum iecit, qui exiguas bestiolas Regi suo rebellare fecit, quemadmodum ipse antea factitauit, quando à Deo desciuit, & factionem flagitiosissimam inchoauit: qui omnes Adæ filios in sordibus & immunditia nasci, peccatores audire priusquam peccauerint, ante denique reos nominari facit, quam quid peccatum sit intelligãt, & quidnam crimen sit cognoscant. Hæc enim lubrica generatio, hæc patris putrida radix, ramos & surculos sui similes producit: hoc semen, hæc caro, hæc massa rebellionis, è qua per concupiscentiam Filij Adæ efformantur, non modo pœnam mortis corporeæ secum infert, sed

Fulg. de incarn. cap. 13.

S. Greg. l. 17. moral. c. 8.

sed etiam ignominiam mortis spiritualis, quæ priuatio diuinæ gratiæ est per peccatum introducta, & facit vt qui nascuntur sordibus contaminati sint, spiritu leprosi, Deo rebelles, serui peccati, & duplici morti destinati. Eheu! Quid, amabo, miserrimo isto genere humano facturum fuisset post tam grauem lapsum, tam fœdas maculas, tam profundum cœnum in quod decidit, tam execrandam fœditatem qua abolescit, & quæ ex hac turpissima sentina profluxit? ecquo tandem pauperculus ille exul ac saucius fuisset deuolutus, si infinita ista bonitas, ad cuius similitudinem imaginemque factus erat, alium ei Adamum non submisisset, alium truncum non depanxisset, aliud cæleste semen quo regeneraretur & ex immani illo cœno protraheretur non effudisset? cui omnino alij rei seruiuisset, nisi æternæ condemnationi, vindictæ cælorum, mortis, ac inferorum? Verùm Deus omnipotenti sua benignitate & clementia motus, filium suum longè dilectissimum Adam cælestem,

ſtem, ipſam puritatem ad nos ablegauit, qui precioſo ſanguine ſuo maculas culpasque omnes eluens, modo etiam non neceſſario in perditæ dignitatis ius ac poſſeſſionem miſeros nos collocauit, Paradiſum cæleſtem peperit, haud illum aliquanto terreno illo nobiliorem, & denique æternæ beatitudinis fruitionem, modo noſtra non obſtet ſocordia & oſcitantia quam prolixiſſimè appromiſit.

De peccati deformitate ex conſideratione mortis corporeæ.

COLLOQVIVM LXX.

FERVNT ergo hæc opinor ſatis hactenus vt intelligeremus hominem à Deo immortalem conditum fuiſſe non animæ tantum, ſed etiam corporis ratione ſpectata: nihilque adeo peritiſſimum illum artificem omittere voluiſſe, quod ad aptam & conuenientem partium duarum nobiliſſimarum confœderationem requiri pertineret que poſſe videbatur. Vidimus quẽadmodũ ſexcẽti homini mo- THEOL.

modi ſuggeſti fuerint, quibus vitam ſuam conſeruare, & indies Dei imaginem pulchriorem ſpecioſioremque efficere poſſet. Vidimus & euidenter declarauimus, omnia omnia illa quę à ſuprema bonitatis ſapientiæque manu profecta ſunt, melius prudentiusque conſtitui adminiſtrarique non potuiſſe: oſtendimus denique hominem peccato noxaque ſua illud effectum dediſſe, vt priuilegio immortalitatis corpori ſuo donato exueretur, & turpiſſimo iniuſtiſſimoque Tyranno, mortis cauſæ, peccato inquam, miſerrimè ſubijceretur. Nunc quoniam illud itineris ingreſſi ſumus, in quo delicta noſtra reprehendere, turpitudinem peccati demonſtrare, & quam deteſtabile iſtud ſit indicare poſſe videamur, age cœptum continuemus, & telam quam exorti ſumus felici radio pertexamus. Nam cum illud omnibus omnino hominibus conſtet, peccatum mortis progenitorem, mortem autem turpiſſimam fœdiſſimamque eſſe, ecquid amabo, aliud dicere poterimus, quam paren-

parenti eam ſuo conformem ſimilemque eſſe, & ſicut effectum cauſæ reſpondere? Author eſt familiæ veſtræ Anteſignanus Ariſtoteles, malum à malo produci, & enorme malum, enormibus alijs malis inſeruire progenerandis. Cera figuram ſigilli ſui repræſentat, effectus qualitati cauſarum reſpondet; itaque ſi in ſigillo bonum Genium artifex ſculpſit, eundem tibi cera exhibebit, ſi Diabolum ei incîdit, non alium ab hoc tibi repræſentabit. Faciunt cum iſtis qui à Philoſophia veſtra ſunt; nam & effectum naturam cauſæ ſuæ ſequi exprimereque aiunt, & non niſi bonam arborem, bonos fructus, malum autem corum mala oua producere aſſeuerant: vnde quoque illud vero verius eſt, videlicet cauſam qualitatibus pluribus præditam eſſe, quam id quod de ijs communicat & participatur: ita ignis aqua calidior eſt, quam feruefecit; & ſol multis paraſangis lunam ſplendore antecellit quam ipſe illuminat atque colluſtrat: adeo vt ſi effectus vnciam

Ariſt. 1. met. c. 4.

Ariſt. de cælo 3. c. 7. l. 2. poſt c. 13. 1. Rhet. c. 4. & 7. Ferr. l. 2. contra gentes c. 23. l. 3. c. 21.

boni-

bonitatis aut malitiæ in se contineat, causa ipsa libram integram conuenienter habere debere videatur. Quibus plane efficitur, nihil vt peccato fœdius, nihil vt deformius esse debeat, quippe quod abortum longè post natos homines absurdissimum spurcissimumq; effudit. Verum enimuerò potest ne reperiri aliquid, quod morte fœdius deformiusque sit, præsertim vbi integri corporis possessionem accepit, & tantum vorare helluariq́ue potest, quãtum ad libidinem voluptatemque suam explendam satis esse arbitratur? Certè morbi, vulnera, & ea ferè omnia, quibus valetudo prospera tollitur & labefactatur, ita vires accidunt, formam corrumpunt, speciem corporis immutant, vna vt particula contenta, eaque epulantes, corpus vniuersum non attingant: verùm isthæc furibunda Baccha, omnia exugit, omnia emungit, omnia exhaurit, perdit, perit, extinguitque vniuersa, nec ante finem libidini cupiditatiq́ue suæ nihil non pessundandi imponit, quam excel-

Arist. 3. Eth. c. 6.

lentis-

lentissimum illud ac multò quam nobilissimum animæ immortalis ædificium, funditus subuerterit, subruerit, atque delerit, ita vt sollicite scrutanti & inquirenti, nihil aliud, quam fimetum, quam sterquilinium, quam saccus vermium, appareat atque occurrat. Verùm ex quibus illa, amabo, sordibus conflata, ex quo pædore effecta & coagmentata est, si ex lepra, ex febribus, ex pestilentia, ex inedia, ex rebellione, ex hydropisi, ex toxico, ex discordijs, ex tumultibus, ex seditionibus, ex omnibus denique ijs, quæ turpia, quæ abominanda sunt, quæque natura ipsa auersatur, efformata & compacta non est? Iam ipsius auus diabolus est, domicilium infernus, mater nox, sorores tenebræ, & denique quidquid in hac via truculentum ac terribile habetur, id illi affinitate consanguinitateque coniunctum est. Et dubitabimus adhuc, & velut parum notoria sit, de peccati turpitudine deformitateque ambigemus,

cuius

cuius prosapia familiaque adeo monstrosa & horrenda est? Porro ita iam illius turpitudine considerata, & velut in certissimo suo speculo deformitate illius inspecta, quid supereſt aliud, quam vt illud deteſtemur, fugiamus, plus paupertate, plus exilio, plus tormentis, plus iniurijs, & morte denique ipsa vt fœdius, vt monstrosius, execremur ac abominemur? Author est Aristoteles capite 1. 2. 3. libro tertio Topicorum, ita naturam nostram factam esse ac constitutam, vt pulchra appetat, turpia deteſtetur: & tanto plus, quo eminentiores res illæ sunt, & qualitatis cuiuspiam nobilioris illustriorisque compotes effectæ; quare considerata nobis ita iam nunc morte, & illo semel cognito nihil turpius peccato reperiri, quod ex ea promanauit, nostrapte iam sponte illud etiam constituamus, nihil odiosius, nihil deteſtabilius peccato debere reperiri. Atque hinc etiam illud proueniſſe existimandum est, quod in omni ætate ac memoria hominum Sanctiſſimi

Peccatũ est omni malo deformius. Arist. 3. ethic c. 6. Cap. 1. 2. 3. Top. 1. Rhet. cap. 7.

simi quique homines reperti sunt, qui potius mortem infinitis supplicijs & tormentis coniunctam subire maluerunt, quam semel tantum peccato mortali animas suas inquinare. Hinc Machabæorum filij ætate iuuenes, animis & sapientia viris etiam adultiores, in mille partes secari discindique potuerunt, vnicum autem frustum carnis porcinæ contra legem Dei vt comederent, à se impetrare non potuerunt. Hinc tres illi Hebræorum pueri, potius infornacem ignis ingredi voluerunt, quã ad peccatum Idololatriæ, ad quod minis muneribusque incitabantur, accedere, animosque suos applicare. Hinc Susanna in suo viridario à duobus luxuriæ titionibus ac natis nequidquam precibus oppugnata, vt honorem suum & virginitatem libidini illorum posthaberet, inter malleum & incudem constituta & rogata, vt aut ignominiosissimam mortem accusata coram hominibus oppeteret, aut coram Deo peccato se obstringeret. Melius est, inquit, *deliberatio.* in vestras manus incidere, quam

Mach. 2. 7. 1.

Dan. 3. 23.

Dan. 10. 11. 12. 13.

Fortis Susannæ

se nel corã Deo peccato animã suã obligare. Ergo nõ modo mortẽ prætulisse, ne Deũ offenderet, illam apparet, sed ignominiã mũdi etiã, quæ sępenumero ipsa morte formidabilior est, antetulit atq; præelegit. Sapientioré profecto illã & haud aliquãto fortiorẽ opinionẽ q̃ Romanæ illius Lucretiæ, quæ cõminationib⁹ Tarquinij Regiæ proles expugnata, ignominiæ ac morti adulteriũ præposuit, & postea conscientiæ stimulos & secretam infamiã non ferens, ferro sibi pectus aperuit, animamque fœmineam eructauit. Liceat mihi per te hoc loco innumera alia exempla eorum præterire, qui post mortem Domini nostri IESV Christi, exquisitissima crudelissimaque mortis genera perpeti maluerunt, quam semel mortale peccatum admittere, reapse illud omni morte tormentoque execrabilius multoque magis abominandum.

Liuius l. 1. dec. 1. Plin. de viris illust. Aug. de Ciuitat. Dei cap. 19.

De Turpitudine peccati spectata grauitate iræ diuinæ.

COLLOQVIVM LXXI.

VIDE-

VIDEAMVS nunc quomodo eadem hæc consideratio, diuerso paululum modo instituta, odium illud peccati in nobis augeat atque inflammet. Perspecto enim primo quam grauiter DEVS propter protoplasti vnicum peccatum ad iram fuerit prouocatus, concludemus reuera fieri non posse, quin peccatum summum malum sit, & idcirco modis omnibus, & quod aiunt, velis remisque fugiendum. Apparet autem diuina ira ex eo euidenter plane & manifestè, quod hominem morti adiudicauit, postquam ille videlicet pulcherrimum suum ædificium ex quatuor admodum vniuersi partibus elegantissimè comportatis coagmentatum, id est, corpus humanum ex quatuor elementis conflatum, caput suorũ operũ, domiciliũ diuinę imaginis, & structurã longè omnib⁹ cæteris ipsaq; adeo Cæli fabrica in suo genere nobiliorẽ, quẽadmodũ hactenus fusè ac copiosè ostendimus, demolitus fuit, miserrimeq; deformauit. Ita Rex aliquis cũ Principis

THEO.

cuiuſdam caſtellum deleri ſtirpitusque quaſi euulſum terræ æquari iubet, ſummè ſe iratum commotumque animo eſſe demonſtrat. Nec ipſi reges Galliarum indignationem ſuam melius expreſſiusque hactenus oſtendere potuerunt, quam cum hac pœna in ſolutæ ac profligatæ vitæ Principes, Sanctæque matris Eccleſiæ perſecutores animaduerterunt, quemadmodum de Clodoueo, ſancto Ludouico, Ludouico Maiore & filio ſuo, deque alijs diligentibus Eccleſiæ ac populi ſui Paſtoribus, ex Gallorum Faſtis & Annalibus memoriæ proditum fuiſſe reperimus. Quin & Alexander Magnus tum denique iræ furorique ſuo ſatisfeciſſe ſe arbitratus fuit, tunc omnes indignationis ſuæ flammas in Thebanos euomuiſſe ſe exiſtimauit, quando eorum vrbem Thebas diruit & ſolo adæquauit. Iam autem illud contendere velle, leue videri admodum protoplaſti hoc delictum fuiſſe, neque adeo immanem iram promeruiſſe, id vero blaſ-

Plut. in Alex.

blasphemia est, & insignis plane in diuinam sapientiam iniuria ac bonitatem. Illud tu mihi ergo potius concluseris, peccatum, propter quod DEVS irritatus grauissimam seueriſſimamque sententiam in suam fabricam edidit, rem mirificè arrogantem, insigniter iniurioſam esse oportere, siquidem cælestem illam infinitamque bonitatem ad tantam iram prouocauit, vt ea postea non nisi nobiliſſimi sui palatij ac Regalis ædificij demolitione & vastitate videatur potuisse expiari. Quid ego nunc Moysen dicam, qui nequaquam Tabulas suas Decalogum continentes, summa cum indignitate fregisset, terræque allisisset, nisi peccati Hebræorum grauitas enormitasque eum iustiſſimè inflammasset & accendisset? Videmus proinde in morte pœnam acerrimam mortalibus constitutam, videmus extremam choleram à Deo conceptam, & in hac admirandam detestationem; qua exæstuans protoplastum illiusque

Exod. 32.19.

liberos, & vniuersam post eos posteritatem morti æternæ adiudicauit. Deum immortalem! quem rigorem, quæ supplicia, quæ tormenta peccata nostra promerebuntur, quibus quotidie animas nostras immergimus, & præter hæreditarium illud, obstringimur, Diaboloque & morti perpetuæ obligamur? Si vnico dentis letiferi ictu humanum genus vulneratum, contagionemque postea in vniuersam posteritatem transfundens neci sempiternæ tributarium effectum fuit, & sine vlla exemptionis spe sepulcris indies destinatur, quid facient ebriosi, quid helluones, quid prædones, quid proditores, quid meretricij, quid scortatores, quid homicidæ, quid blasphemi, quid scelerati alij atque alij de die in diem peccata contra diuinam Maiestatem aggerentes, & accumulantes? quas non illi plagas, quæ non vulnera, quas non mortes, quæ non tormenta illi subibunt ac patientur? quis gladius, quis culter satis &

con-

conuenienter eos diuidet ac diſſecabit? quis ignis ſatis eos vret & excoquet? quæ mors crudeliter ſatis illos conſumet? & miramur, adhuc, atque etiam, ſi dijs placet, obſtupeſcimus, cum mundum hunc plenum malorum, plenum miſeriarum, plenum ærumnarum conſpicamur? cum tantam agrorum maciem ac ſterilitatem? cum tantam annonę caritatem? tantũ morborum? tãtum bellorum? tantum cladium? tantum calamitatum paſſim dominari videmus ac contuemur? an inquam mirari poſſumus, cum ex altera parte tantundem peccatorum, tantundem flagitiorum, imo plus, imo amplius contemplamur? quorum vel minimum Infernum promeretur, qui ærumnas mille ſæculorum, ac calamitates totius orbis ſuperat & anteuertit? Miremur ergo potius quod ignis luculentior non eſt, quod diluuium non habemus, quod cælum toties irritatum ſe continet, non tonat, non fulminat, non fulgurat; agamus

pœnitentiam quo illum nobis conciliemus, qui solus diabolum frangere, mortem allidere, peccataque potest extirpare.

De turpitudine peccati, considerata prima morte spirituali. Definitio & diuisio peccati. De peccato originali.

COLLOQVIVM LXXII.

THEO. CVM ergo ita mihi quispiam meditationum super discessu suo studiosus, in hoc subiecto mortis corporalis iram diuinam & turpitudinem peccati considerarit: & idcirco immortale in illud odium conceperit, non insistit in hoc loco mihi, sed ad considerationem mortis animæ per eandem latronem conciliatæ transiens, vbi crudele illud peccati diuortium quo animam illiusque vitam dissuit atque dissoluit examinans, maius adhuc multò odium choleramque in iuratum illum humani generis hostem hauriat & consequatur. Vt igitur vita corporis anima est, quæ

propter

propter peccatum ita nobis conceſſa fuit, aliquando vt egredi, aliquando vt diſcedere & emigrare compellatur, ergaſtulo interim ſuo ſiue officina potius quemadmodum hactenus diximus, in puluerem ciñeremque redeunte: Ita animæ vita gratia diuina eſt, quam toties peccatum illi eripit, quoties eam ingreſſam fuerit, aut occuparit: hac ergo morte Adam plexus fuit poſtquam pomum inobedientiæ manducauit: & eodem momento conflictum mortis corporeæ auſpicatus fuit, antequam dies ille clauderetur, prout antea à nobis declaratum eſt. Hæc ergo gratiæ expulſio ac priuatio prima mors animæ appellatur, altera autem Infernus, quemadmodum poſtea oſtendemus. Verum quo nunquam non doctrinæ huius admirandæ velut compendium & ſummarium ob oculos habeamus, illud mihi inprimis hoc loco faciendum eſt, vt quomodo peccatum definiri, quomodo diuidi ac diſtribui poſſit, breuiter videamus. Peccatum igitur ſecundum D. Ambro-

Vita corporis eſt anima.

Anima vita Dei gratia.

Definitio peccati. Amb. l. 1. de Par. c. 8. Aug. l. 1. de conſ. Eccl. c. 4. Beda in cap. 4. 1. Ioan.

ſium lib. de Parad. cap. 8. & Diuum Auguſtinum lib. 2. de conſenſ. Euangel. cap. 4. aliud nihil eſt, quam aberratio quædam à lege diuina, & tranſgreſſio ſanctorum præceptorum. Item voluntas libera retinendi aut obtinendi illud quod vel pro vel præter iuſtitiam factum eſſe exiſtimatur. Item dictum quippiam, factum, vel concupitum, contra legem Dei. Iam peccatum in duas etiam fere partes diuidi ſolet, ita vt vnum Originale, alterum Actuale nuncupemus. Actuale rurſum in Mortale & Veniale, cum Diuo Auguſtino & ſexcentis alijs ſanctis & illuſtribus Doctoribus diuidimus atque partimur. Peccatum porro Originale eſt, macula illa prima impreſſa homini veluti membro concepto & generato per vias concupiſcentiæ feminis Adam. Item languor naturæ debilitatæ & luxatæ in Adam. Item priuatio iuſtitiæ Originalis, qua protoplaſtus fuerat exornatus, vt in vniuerſum poſtea humanum genus tranſ-

Diuiſio.

Definitio Originalis. S. Aug. in Ench. c. 64. Cõcil. Trid. ſeſs. 5. Cypr. l. 3. epiſt. 3. 6. Thom. 1. 2 q. 82. art. 1.

fuſa-

funderetur, & eadem postea priuatus, quando tota posteritas cum progenitore peccauisse fuit iudicata. Reuera non aliter quam sicut corpus vniuersum luit atque punitur, vbi flagitiũ quoddam admissum est, cum tamen sola voluntas vera illius origo fuerit & scaturigo. In Adam & per Adã peccatũ designatũ est, & postea ex Adã in omnia mẽbra deriuatũ, ita vt oẽs plane partes peccatõ eo obstrinxisse videantur. Atque hoc illud est, ꝙ Apostolus verbis his indicat: *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hæc etiã humilis illa Dauid confessio est: *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hęc vox Ecclesię, hæc sententia Antiquitatis, hæc opinio omnium omnino illius Doctorũ est. Est ergo illud macula quædã generalis in hominum genus vniuersum diffusa, & inordinata dispositio constitutioq; naturæ proficiscens ex dissolutione har-

S. Thomas ibid.

Rom. 5. 12. 1. Corinth. 15. 22.

Cõc. Aurel. in Ench. c. 26. l 13. de Ciu. c. 3. 14. l. 14. c. 1.

ne harmoniæ, quæ in omnibus filijs Adæ fuit per Iuſtitiam Originalem quam perdidit: quæ hominem in pulcherrimo ordine retinebat: adeò, vt iam filius per defectum huius iuſtitię & ſuccedentem deprauationem, inſtrumenti inſtar muſici malè conſonantis eſſe videatur, quod manu artificis tactum atque percuſſum ingratum ſonũ edit, & quo frequentius vſurpatur, hoc peius fit ineptiusque euadit. Hinc ergo etiã admiranda illa creatura ac ſimul miſeranda, vbi ad ætatem diſcretionis pertigerit, iamque ſuauem & iucundũ ſonũ ſecundum menſuram & cadentias legis diuinæ edere debet, ſequitur ex aduerſo notã plane cõtrariam, & niſi per diſciplinam gratiæ Dei in ſonũ ſuũ remitteretur, lugubrem, horridum, ac funeſtũ cantum ederet, & turpiſſimã inter facultates ſuas, ex quibus conflata eſt, diſſonantiam vſurparet ac frequentaret. Quo ergo paucis quid peccatum originale ſit intelligas, eſt reuera illud ſentina, & fundus omnium peccatorum quæ vnquam à Filijs Adæ

Peccatũ originale ſentina omnium peccatorum.

Adæ designata sunt: sentina iniquam pleriſque veterum abſcondita & ignorata: neque enim Ethnicis ea vis ea facultas indita erat, vt illam rimarentur: neque verò etiam veſtri Philoſophi eò ſcientia ſua, qua omnia ſe complecti mentiebantur, euaſerunt, vt hanc cameriam olfacerent & explorarent. Viderunt illi fateor, curſum vitiorum, & ſaniem corruptionis humanæ fluentem facilè cognouerunt: Cauſam autem ignorauerunt, & ideo falſis opinionibus perſuaſi, vanè ac ſtolidè gloriabantur, poſſe ſe eam infirmitatẽ morbumq; depellere, cuius fontem ignorabant, quem qui neſcit, quomodo ille aut boni medici nomen aut expertis Chirurgi laudem promereri poſſe videtur. Itaque & illi, qui iſtius tuis Originem in mari ac terra ſcrutabantur, illud tandẽ conſecuti ſunt, vt in alto ignorantiæ ſuæ pelago perſtiterint & oberrarint. Cùm interim cognitio mali huius, non apud alios doceretur, neque in aliorum ſcholis aut Academijs explicaretur, quam Dei amicorum &

Natura non ſufficiebat ad ſanandũ vulnus peccati Originalis.

Iesus Christus solus humanæ naturæ instaurator. 1.Ti.2.5. Rom.5.8.

necessariorum, qui accuratè primũ illud vulnus cognoscebant, & ardẽtissimis notis verum medicum & mediatorem IESVM Christum desiderabant ac expectabant: vt ille videlicet pharmaco pretiosi sui sãguinis generi humano vulnerato, saucio, sordido ac tabescenti mederetur. Et vt manifestius fidem hanc suã declararent, diuersis mundi ætatib', diuersa sacramenta, quemadmodum in lege naturæ preces & sacrificia, passim instituerũt: Hinc post Abrahamum mũdo iam paulatim à recta rationis semita transuersum abeunte, & indies turpissimarũ superstitionũ fascinationibus enascentibus, circumcisio à Deo fuit instituta, sacramentum inquam particulare & studiosissimè strictissimeq; in lege Mosaica vsurpatum & frequentatũ. Iam IESVS Christus in mundũ hunc descendens Sacramentum etiam baptismatis instituit, omnibus illis anquis nobilius, quod nõ tantum primæuam illam & inueteratam maculam eluit, sed etiam actu, præter omnium veterum sacramentorũ consuetu-

suetudinem, paradisi portas aperit atque patefacit. Vides ergo quemadmodum sacramentum hoc spiritualis generatio sit, facta per secundum Adam Seruatorẽ nostrum, per quam sordibus originalibus expurgamur, peccatis lethalibus emundamur, filij Dei & membra IESV Christi capitis nostri efficimur. Et quemadmodum infans absque proprio & particulari delicto peccato Adæ obstringitur & obligatur propter ipsã generationem: ita gratis & præter suam operam ac volũtatis vsum, per hanc generationem meritorum IESV Christi fuit effectus: Quemadmodum Propheta prædixit: *gratis venundati estis, & sine argento redimemini*; & reuera absque hoc Sacramento filij Adæ & infantes neutiquam cœlum ingredi possunt, quẽadmodum id ipse legislator asserit atque affirmat. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu S. non potest introire in regnum Dei*

Baptismus generatio spiritualis.

Es. 52. 3.

Ioan. 3. 5.

Abs-

Absque baptismo nullum infantem sanctificari, sed sordidum & spiritualiter mortuum coram Deo reputari.

COLLOQVIVM LXXIII.

PHIL. AN ergo Christianus quispiã & fidelis infans, in ventre matris suæ sanctificatus non est? Etsi sanctificatus est, nunquid cœlum intrare potest, etsi baptismatis vnda non lotus, non expurgatus? THEOL. Quam vero tu accuratè Caluini istam camerinam mihi moues, peiorem reuera illam, quam hæresis Pelagij famosissimi sui aui, & ex omni parte incorruptis sacrarum litterarum monumentis contrariam atque aduersam? Quæ etsi nos doceat, infantes per baptismum sanctificari, illud tamen non dicit, quod in matris vtero gratia ea sanctificationis perfundantur, sed potius triplicem assertionem, manifestè & euidenter huic errori oppositam nobis exhibet atque relinquit.

Ps. 50. 7. Primum enim Dauid filius fidelis & amicus singularis Dei, de seipso cõfite-

fitetur, quod in peccato conceptus sit, & hac sua confessione diserte ostendit, omnibus hanc hominibus conceptionem propriam esse atque communem. Adstipulatur huic patientissimus ille Iob, & non minus intimus Dei & si quis alius, familiaris. Asserit hoc Diuus Paulus cũ ait: Oẽs nos per naturam filios iręe esse & progeniem cõdemnationis. Vides hic peccatum in natura, in conceptione, in vẽtre matris & in natiuitate: & quod illud tuum os est Caluinẽ, palam vt asserere audeas, contra manifestum Dei verbũ, qui inquit, omnes nos in generatione & natiuitate sordidatos esse, infantes in ventre matris par parentum fidem sanctificari? De secundo, docet etiam Seruator noster, q̃ omnes ij qui in aqua & spiritu non renascuntur, hoc est, qui baptismatis vnda non tingũtur, regnum Dei possidere non possint, quod luculentum euidensq; signum est, infantes ante baptismum sordibus oblitos esse & conspurcatos, nec enim quicquam impedit, quò minus cœlum ingrediamur, quam

Iob.14.4. 15.14.

Eph.2.1. 3.

quam peccati turpitudo: Esse aũt sãctificatũ in vẽtre matris, & in eodẽ sordidatũ, an amabo illa contradictoria nõ sũt? Docet Scriptura S. infantes inquinatos esse. Caluin. docet sanctificatos, vtri ergo nunc adhærendum, vtri fides adhibẽda est? Nũquid Deo, nunquid potius Caluino? Tertiò cùm quispiam in ventre matris sanctificatur, scriptura sacra velut rarum aliquid & extraordinarium, vti de Ieremia & S. Ioanne legimus, omnibus id confestim constare vult, & nequaquam sibi arbitratur esse prætereundum: Verùm si omnes sanctificati sunt, quẽadmodũ Caluinꝰ comminiscitur, reuera admirationem habere nullam debet, quod Ieremias & S. Ioannes istiusmodi fuisse perhibentur, & si illud rarũ nihil insolensq; est, quid opus est hanc sanctificationem velut rem inauditam & admirandã literis cõsignare, & ad oẽm posteritatẽ ecclesiamq; transmittere? Constat autem admonitionem hanc, singularem quampiam exceptionem significare, & peculiari priuilegio affectos sem-

semper eos fuisse, qui præter reliquorum morem, infantes irę & sordidi in mundum hunc non prodeant atque nascantur. Iam quod ad Diui Pauli verba attinet, quibus hæresiarcha ille errorem suum stabilire conatur, dico cum nostris doctorib⁹, eum quãdo cum Christianis sermonem instituens Corinth. 1. eorum filios Sanctos appellat, Christianis satisfacere noluisse, qui dubitantes, vtrum connubium inter infidelẽ & Christianum contractum matrimonij nomine, an verò adulterij videretur esse afficiendum: Mouebantur videl. illi religionum diuersitate, vnde etiam eò euadebant, vt liberos ex istiusmodi copula susceptos Spurios & infamia notatos arbitrarentur. Docet proinde D. Paulus Christianum aut Christianam cum infidelibus coniugium contrahere posse, si cõsensus adsit, & præcipuè spes aliqua conuertendi, & sanctificãdi cõsortẽ alluceat, & ostẽdatur. Ostẽdit deinde filios illos SS. esse, i. legitimos, vt præclarè liquidoq; intelligas vocẽ illã Sanct⁹ ita vsupari, vt eã

1. Cor. 8.
S. Amb.

Cice-

Cicero ante adhibuit, quando magistratum sanctum, id est, legitimū, & secundum leges stabilem inuiolabilemque appellat. Adfert etiam huic loco lucem, ipse Diuus Paulus, eodem capite, dicens: maritum infidelem sanctificatum esse, id est, sanctum effectum per fidelem coniugem, & vxorem ethnicam per maritum fidelem, id est, matrimonium honorabile effectum potius per fidem partis fidelis, quam infame ac sordidum per consortem infidelem. Iam ergo quemadmodum grauis error, & insignis solœcismus existimaretur, ex verbis Apostoli inferre velle, quod maritus aut vxor infidelis, sanctificat' sit, quēadmodum Christiani nos, absque conuersione, & sola cohabitatione; idē enim hoc foret ac si diceres, infidelē in infidelitate sua permanētē Christianum esse: Ita manifestus error est, constituere ac inferre velle filios Christianorum sanctos esse, quemadmodum Christiani sunt, absq; vlla alia re, nimirum baptismo sine quo Christianus esse nullus potest.

Do-

Docet ergo Diuus Paulus filios infantes esse, id est, legitimos, & matrimonium illud sanctificatum, id est, minimè infame & ignominiosũ, cum præsertim per partem fidelem etiam sanctificari & in modũ Christianorum possit saluari. Maneat ergo hæresin euidentem illam esse dicere, quod infantes in matris ventre sanctificati sint, & hæresin talẽ, quæ ad eundem cum Pelagianismo scopum collimet, videlicet in contemptum baptismatis, & ruinam innumerabilium infantium: vbi enim illud semel in animis hominum obtinuerit, eos vt in ventre matris sãctificatos esse arbitrentur, illud etiã confestim constituent, baptismi lauacrũ necessarium non videri: quẽadmodũ inter exulcerati nostri seculi ministros & executores Tyrannidis veteris illius latronis sathanæ, ipso Herode crudelioris: Nec enim ille infantes occidens cœlum ijs ademit, sed Martyres effecit, verùm isti hoc agentes, vt eorum libri absq; baptismo defungantur, morte sempiterna eos afficiunt, in perpetuum exi-

exilium relegant, & regno cælorum excludunt. Meritò ergo infamis ille & infernalis error auctoritate sanctæ Ecclesiæ, & tam antiquorũ quã moderuorum constitutionibus Cõciliorum explosus fuit & condemnatus, tum etiam à sexcẽtis S. doctoribus, qui post Apostolorum tẽpora eandem cum nobis sententiam propugnarunt, libris ac scriptis fortissimè abiectus & profligatus.

Con. Lat. can. 1. Mile cã. 2. Trid. sess. 5. decreto de pec. Orig. & sess. 6. c. 4. sess. 7. c. 5. S. Dion. Ecc. Hie. c. 7. Cyp. ep. 56. S. Am. l. de ijs qui initiãtur. myst. c. 4.

Alia adhuc super peccato originali.

COLLOQVIVM LXXIV.

THEO. NATV verò mihi argumentũ admodum dissimile à meo proposito inuehere velle videris, quippè cum ego hoc loco non hæreses refutandas susceperim, sed breuiter de animæ valedictione, de morte & de armis, quibus in eã pugnare nos oportet, tecũ differere, cũ animo meo conuentum sit. PHIL. Quæ verò melior lucta contra mortem reperiri tibi posse videatur, quam laudabile illud & nunquam satis commendatum hæreses refutandi

tandi ſtudium: quippè cum eæ vera cauſa, ſcaturiginesque mille planè mortium ſint, tam corporis quam animæ? THEOL. Certum id reuera eſt, etſi ego aliud quoddam ſubiectũ te deligere maluiſſem, quod aliquãtò armis iſtis de quibus nos diſceptamus, ſimilius ab vtroque noſtrũ exiſtimaretur. Itaque ad peccatum originale reuertens, dico illud primam animæ mortem eſſe, & per merita IESV Chriſti per baptiſmum applicata, deletum, ſublatumque in infantibus iudicari: Quippè cum baptiſmus vnicum medium ſit, per quod homo Deo reconciliatur, illius gratiam conſequitur, & hæres cœleſtis regni declaratur. PHIL. Vtrum ergo tu exiſtimas peccatum illud originale aqua baptiſmatis totaliter elui & expurgari? THEOLOG. Ita ſanè. PHILOS. Vnde tu mihi ergo carnis illam rebellionem proficiſci dices, quæ in baptiſatis etiam & hac labe probè perpurgatis conſpicitur ac reperitur? THE. Id verò nos reliquijs illis adſcribimus, quæ nobis

Mar. 16.
Act. 2.
2. Pet. 3.
1. Cor. 6.
Rom. 6.
S. Baſil. hom. 13.
S. Aug. l. 1. cont. 2. Ep. Pet. c. 13.

nobis eoipso, quod homines sumus, post pretiosissimum illud lauacrũ, insident & inhæresc unt. PH. Parum ego perspicuè te locutum mihi fuisse arbitror: Nam cum illud fides nostra statuat atque decernat, nihil planè toxici illius Originalis in hominibus relinqui, vnde ego influentias illas, quæ in animas corpusq; nostrũ transfunduntur, proficisci dicam ac promanare? Si radix corruptionis euulsa est, si sentina exhausta & euacuata, vnde amabo, tot spinæ enascuntur, à quo fonte tot riui infirmitatum & malarum inclinationum in carnem nostram & partem hanc animæ inferiorem defluunt atque destillant? Hinc enim Diuus Paulus exclamat atque cõqueritur. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ: & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mẽbris meis:* Et deniq; ait: *infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Cui mihi oẽs SS. in omni retro memoria assensisse & adstipulati fuisse videntur. TH. Rẽ omnino loqueris, complures sanctos fuisse qui

Rom. 7. 24. 25.

sequi concupiscentiam hanc in homine relictam grauiter luxerint, ac deplorarint: Tu mihi tamen illud credas velim, nihilminus eam esse quam peccatum, sed tantum peccati stimulū quemadmodum nostri Theologi cum sacra scriptura attestantur: Itaque si alicubi eam peccatum appellatam reperias, id tu mihi factum esse arbitrare, quia ad peccatum inclinat, & peccati plena est, prout sancti doctores & concilia hactenus declarauerunt. Itaq; inclinationes ad malum, inconstātia, oscitātia in bono, & similes infirmitates post spiritualē hanc febrim relictæ, & careni terræ nostræ corruptæ ac deprauatæ, ita in homine remanserunt, quemadmodum etiā morbi, mors, & reliqui dolores ac pœnæ peccati originalis; cuius meliorem causam, ac plausibiliorem rationem allegare tibi nō possum quam creatoris nostri placitum & constitutionem, non tantum iustam sed misericordiæ etiam plenā, sapientiaque vndequaque refertā. Ac primum quod ad misericordiam

Iac.1 Rō. 6.Conc. Trid. sess. 5 c.5. S. Aug.l.1 de nupt. & conc. c.23 & 25.l.1. cō. duas epis. Pelag.c. 13.l.1. retra.c.15. Rom.7.

attinet, apparet ea liquidò ac euidẽter, in eo, quod malum sustulit, cuius solius formidine percelli nos debemus, aut si clarius vis, quod infectionem peccati, quod paradisi portas nobis occludebat, ex natura nostra euulsit & extirpauit. Iam iustitia etiam manifestè in eo cognoscitur, quod quosdam veluti stimulos & aculeos, vulnerum sanatorum, ac pruritus aliquos plagarum concretarum in nobis reliquit, vt videlicet signa & memorialia quædam essent peccati nostri. Purgauit ergo partem animæ superiorem virtute sua, eamq; fortitudine ac pulchritudine sua, semel deperdita, rursus exornauit, & inferiori rebelliones quasdam adiungit, quas facillimè assistente diuina gratia, & aurigantem rationem sequendo, qui in propriam perniciem faciles esse non volunt, constituere possunt & moderari. Contriuit ille serpentis caput, in quo omnis veneni & internecionis fons scaturiebat, reliquit autẽ trũcum corporis & caudã, quæ mouere se potest, & illud etiam agere, verus

verus vt serpens esse videatur; at nequaquam nocere, nequaquã vulnerare, nequaquã venenare, nisi nosipsi id velimus ac studeamus. Quã verò pulcrè bonitas illius & inexhausta sapientia simul in eo apparet, quod hac ratione intra modestię terminos & humilitatis limites nos noluit cõtinere? Etenim si horribili isthac maledictione liberati, nullũ penit⁹ aculeum aut spinã persentiscerem⁹, illud facilè euenire posset, vt ingentis istius beneficij obliti, nostris viribus ascriberemus, quod Dei, quod diuinæ gratiæ propriũ ac particulare est. An verò tu hoc loco D. Pauli petitionẽ ac repulsam non recordaris, qui ait? *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur.* Vides quemadmodum Sancto huic Apostolo spinæ illæ de quibus loquimur, relictæ fuerint, ne fortassis superbia in- Cor. 12. 7 8. 9.

flaretur, & modestiæ Christianæ limites transiliens à quo ceu fonte sanctitas profluet, obliuiſceretur, & in quam corruptionem caro eius præcipitatura eum ſit, abſque diuina gratia foret, non aſſiduè recordaretur. Vides quemadmodum cum Deo parum admodũ fuerit, tot iam gratijs Apoſtolo ſuo collatis, hanc etiã addere, vt ab iſto ſtimulo illum liberaret, nequaquam tamen id facere voluerit, quò videlicet eum intra modeſtiæ ac humilitatis limites cõtineret. Vides quemadmodum optimus & ſapiẽtiſſimus ille naturæ noſtræ reformator, puncturas aliquas nobis reliquerit, quibus anima excitatur ac rugit, non aliter quam ſi colaphis alapisq; cæderetur: quo nimirum inſtar D. Pauli in nobis virtus humilitatis, veræ baſis, matris ac nutricis omnium virtutũ augeretur & amplificaretur. Cæterum eadem hæc diuina bonitas ac ſapientia inde elucet, quod modum materiamque nobis ſuppeditare vult, de nobis ipſis inſignem triumphum ac victoriã referendi. Maneat idcircò iſthanc pec-

peccati originalis, quæ est mala dispositio appetitus sensitiui, fax tẽtationum, origo morborũ, fons inordinatarum animæ affectionum, ideo relictam nobis esse, vt ad bella exercitati efficeremur, & insigni ab hostibus victoria reportata, corona nobis nobilissima ac triumphus decerneretur: quod reuera haud aliquanto amplius est, quam si per baptismum omnia cum peccato originali extirpasset, funditusque deleuisset. Capitaneus qui hostes suos internecioni dat, multum præstat: verum qui edomitos sibi subijcit, & à viuentibus fructum, decus, gloriamque mutuatur, hic profectò non paulò meliorem operam nauauisse existimandus est. Imperatores Romani inter vniuersum triumphi apparatum, inter deuictorum ferculum, inter aurum coronarium, hoc sibi maximè honorificum arbitrabantur, si domitarum gentium effigies in Vrbem intuliſſent. Octauianus triumphaturus pluris faciebat Cleopatram viuam, quam reliquam

Liu. 4. dec. l. 3 in triũpho Cn. Cor. & l. 7. in triũpho Acilij. Alex. l. 6. c. 6.

liquam omnem magnificentiam & pompam : hinc cum ea intellexiſſet, & irritatarum in ſe aſpidum morſibus mortem ſibi conſciuiſſet, Imperator minus celebri in Vrbem triumpho ſe ingreſſurum exiſtimabat, niſi eam viuis expreſſam coloribus ſecum abduxiſſet . Iam Pompeij triumphantis ea pompa fuit & magnificentia, vix vt quidquam honorificentius in eo quidem genere ab vllo fuerit vſurpatum : nam & coniugem liberoſque Regis Tigranis, Regem Iudæorum Ariſtobulum, & ſororem Regis Mithridatis cum quinque liberis, & trecentos triginta quatuor captiuos ſeu obſides in comitatu ſuo habebat. Quam verò Veſpaſiani ac Titi etiam Imperatorum, poſt deuictam Iudæam, & Hieroſolymorum vrbem expugnatam, magnifici illuſtresque triumphi viſi ſunt, quod ingentem captiuorum vim & multitudinem ſecum abduxerant ? Iam ſi Imperatores iſti

App. in Mithrid.

Ioſep. l. 7. de bel. Iud.

isti hostibus caruissent, ea reuera etiam gloria quam consecuti sunt, frui non potuissent; & postquam eos inuenerunt, tunc demum victoriam se eximiam illustremque retulisse existimauerunt, cùm non dicto vitam ijs eripuerunt, sed eripere potuerunt; ideò eos autem viuere maluerunt, vt captiui & victi, gloriam victorum augerent. Deus ergo ad hunc modum stimulum istum concupiscentiæ, morbos, mortem, aliaque veteris Adam incommoda, inimicos rationis, hostes humanæ naturæ relinquere voluit, vt nimirum ij nos, non aliter quam Iudæos olim Philistæi acuerent & excitarent. Remanserunt eodem planè fine in mundo Diaboli, improbi in Rebuspublicis; imperfecti in Religionibus, nullam omninò aliam ob causam, quam vt bonos exerceant, humilitatem & sanctitatem eminere faciant, sicque perfectio Ecclesiæ & suarum partium, iuxta iniquita-

tem, ſuperbiam, ignauiamque collocata, tantò magis eluceſcat, ſicuti pſal. 109.2. *Dominare in medio inimicorum tuorum*: Ita quoque inimica iſta infirmitates has in quolibet homine ſupereſſe vult, ad fortium, ad magnanimorum exercitationem: cum itaque pigri & deſides ijs commouentur & moleſtantur, veræ contra virtutis ac laudis ſtudioſi ijs delectantur ac recreantur, non quod iſtiuſmodi ſtimulos experiantur, ſed quia hanc diuini numinis mentem eſſe intelligunt, vt velut in iſtis ignibus probentur & excoquantur, & verò etiam quia materiam laudis gloriæq; eſſe cognoſcunt, vnde eos ſi bi eripi, niſi cũ Deo placuerit, non deſiderant aut concupiſcunt. Verò enim verius illud eſt animum altum & exaggeratum dolere & indignari cum ijs ſe deſtitui videt, quibus acui poterat, quibus excitari. Nam & de Alexandro Magno memoriam accepimus, quod quoties patrem ſuum vrbem aliquam aut prouinciam cepiſſe intellexiſſet,

set, indignari fuisse eum solitum quasi nihil sibi hostium relinquere velle cogitaret, illudque etiam sæpenumerò vsurpasse, malle se hæreditatem magni alicuius & periculosi belli ab eo sibi legari, in quo fortiter præliando laudem gloriamque adipisceretur, quam nescio quid thesaurorum & delitiarũ sibi relinqui. Si Deus post passionem filij sui, mortem corpoream planè aboleuisset, & ereptam semel homini immortalitatem restituisset, quantum animarum Martyrij gloria caruisset, gloria inquam inæstimabili & omni immortalitate glorioſiore? quid? si infirmitates, & alias humani corporis afflictiones sustuliſſet, quot animæ coronis suis spoliatæ fuissent, quas non nisi per patientiam promereri potuerunt? Et quantum tu amabo sanctorum in generalis illius iudicij die compariturum arbitraris, quorum alij fortiter carnis stimulos retuderunt, alij ventos mundanæ gloriæ constantissimè repulerunt? hi auaritiam, hi superbiam, hi gu-

Plut. in Alex.

hi gulam, hi socordiam subiugauerunt? quorum nonnulli iracundiam refrenauerunt, nonnulli timorem compescuerunt, & innumeras alias inclinationes à primo nostro peccato profluentes promanantesque represserunt? Hic autem suiipsius victorijs, quid quæso illustrius, quid honorificentius est?

Cic. pro Marcello. *Fortior est qui se, quã qui fortissima vincit*
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Nam etsi non absque laude ciuitates capiantur, oppida inuadantur, munitiones expugnentur, illud tamen nescio quid exaggeratum & eximium in se continet, se ipsum vincere, se ipsum posse subiugare. Certè nec Ciceroni quinquaginta duæ & quot excurrunt victoriæ, tantum Iulio Cæsari laudis & ornamenti conferre videbantur, quantum vnica illa facilitas, qua M. Marcello delicti veniam faciebat: nam cum externos hostes retunderet & re frena-

frenaret, alios edomabat : suam autem iram animiqúe impetum retundendo seipsum omnibus omninò fortiorem superabat & subiugabat. Reperies tu mihi ingentem eorum militum ac etiam Imperatorum multitudinem, qui in conflictibus, in obsidionibus, in belli offensionibus, mirabilem fortitudinis laudem & constantiæ facilè consequantur, verùm cùm carnis aliqua passio aut Venerea titillatio coercenda est, hastam confestim abijciant, & statione cedere non vereantur, sic qui paulò ante hostium manubijs illustres erant, momento temporis ab inermi & delicata muliercula sæpenumerò superantur. Nosti tu præclarè quid in Poetarum fabulis de Hercule illo circumferatur, qui cum pedibus suis terram commoueret, monstra trucidaret, vrbes expugnaret, Tyrannos mactaret, nihilominus ab imbelli fœmina ita emolli-

tus & eneruatus fuit, vt inter puellarum examina cholum tenere, fila ducere, penſumque quotidie annumerare non erubeſceret. Quantum tu nunc Tyrinthiorum ac Herculum eſſe putas, quos in armis inuictos, in paſſionibus fœminas poſſis nuncupare? quantum tu eorum inuenies, qui ſcopulos, qui montes, qui ſaxa perrumpant atque perfringant, & tamen vel ad exiguæ concupiſcentiæ ictum corruant, ac collabaſcant? quantum eorum qui ſcitè & accuratè equos ſuos frenabunt, regent, & gubernabunt, carnem autem corpusque ſuum in rectæ rationis gyro retinere ignorabunt? qui peritè gradarios exercebunt, Pegaſis inſidebunt, ab aſino autem ſuo excuti & è ſella eijci ſe patientur? & non aliter quam falco leporem, corvus cadauer, porcus lutum, ſic illi voluptatum ſordes, & impuriſſimarum libidinum cænum conſectabuntur? Porrò etſi tu iſtorum ingentem vim immanem-

Auff den Eſel ſetzen.

manemque adeo multitudinem reperturus sis, plures tamen omnino inuenies, qui cum nec fortiter in exteriorem hostem præliari, nec viriliter contra internum dimicare possint, nihil tamen aliud agant & studeant, quam ventri, quam linguæ indulgere: Pondera reuera terræ tantum, ollas AEgyptiacas Sponsos Penelopes, Numerum, & humani generis portenta. Quos tu ergo nunc eximios milites, quos athletas, quos pugiles, quos Bellatores Dei in hoc mundo & Ecclesia militante esse arbitraris, nisi eos, qui in hoc bello exercitati sunt, qui passiones suas continere, eas capere, eas subiugare, & insignem de ijs ac legitimum triumphum reportare possunt? Relinquens nos proinde diuina prouidentia in his peccati originalis desertis, thesauros perfectionis suæ & bonitatis demonstrauit, & vt ex nostris spinis per suam gratiam & potentiam insigne nobis gloriæ sertum ac coronam contexeremus commendauit. Quisquis ergo in carne sua carduos, spinas,

insultus, & rebelliones istiusmodi experitur, is reuera non animo cadere, non deficere, non desperare debet, sed cum insigni illo IESV Christi Seruo & Capitaneo posse exclamare: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi:* de se nihil sibi polliceri, sibi ac suis viribus diffidere, & in Gratia DEI spes suas collocare, qui sicut pugnandi occasionem illi suppeditat, ita quoque virtutem ad vincendum subministrabit. Arripiet ille arma Christianorum, sacramenta, ieiunia, disciplinas, loricam sancti Hieronymi, & alia tela, quibus Diabolo metum horroremque incutiat. Felices itaque & fortunatos illos, qui fortiter rem gerentes, & immortalia ista beneficia agnoscentes, pro diuinæ Maiestatis honore, ac animæ suæ salute & incolumitate viriliter dimicabunt. Infelices contra illos & deploratos qui segni ocio, & turpi ignauia marcere, quam fideliter certare maluerint! Vides

2. Cor. 12. 9.

nunc

nunc quemadmodum mors contra mortem prælietur. Vides quomodo peccatum originale mors animæ sit, quomodo per merita filij DEI abluatur, quomodo illius reliquiæ post Baptismum ceu materia belli & victoriæ fortibus relinquantur, ignauis autem & socordibus vt messis ignominiæ, & seges confusionis æternæ, qui videlicet aut noluerunt, aut nescierunt armis & auxilijs ijs vti, quibus infinita bonitas nos munit ac instruit, vt videlicet in nobis ipsis decertantes, victoriam illustrem de nobis ipsis referamus. Nunc de peccato actuali quæpiam etiam dicenda sunt.

De peccato mortali & veniali.

COLLOQVIVM LXXV.

PECCATVM actuale, quod secundum membrum diuisionis peccati antea à nobis illatæ constituit, ita appellatur, quod ab actione speciali l beræ nostræ voluntatis proficiscatur, quod de ori- THEO. *Peccatũ actuale.*

de originali, nequaquam dici potest. Nam etsi in persona Adami reapse actuale sit, quippe qui id animo deliberato perpetrarit, in posteris tamen tale esse non potest, qui ad id actionem voluntatis suæ nullam omnino adferunt aut attulerunt. Hoc rursus in mortale & veniale recepta distributione partimur. Mortale dicitur quod spiritualem animæ mortem affert, eamque gratia Dei, quæ vita illius est priuat, regno cælorum spoliat, & æternorum suppliciorum ream efficit. De hoc Scriptura sacra loquitur ad Romanos 6. *Stipendium peccati, mors*, & Sapient. 1. *Iniustitia autem mortis est acquisitio. impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Item Tobiæ 12. c. *Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* & Sapient. 16. *Homo autem occidit per malitiam animam suam*, & Ezechiel. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* & Iacob. 1. *Peccatum commissum generat mortem*, id est, mortem spiritualem. Peccatum vero veniale leuior noxa est,

Peccatũ mortale.

Rõ. 6. 23.
Sap. 1. 15.
Tob. 12. 9
Sap. 16.
Ezec. 18.
Iacob. 1.
S. Aug. l. 3. contra Pel. c. 3.

est, quod tametsi per motum propriæ voluntatis admittatur, animam tamen gratia Dei non spoliat, nec diuinæ Maiestati infestam reddit, & nequaquam hominem filium Diaboli facit. De hoc Scriptura etiam in compluribus locis loquitur. *Peccatũ veniale.*

Ioan. 1. *Si dicimus quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* & Iacob. 3. *In multis enim offendimus omnes.* & Prouerb. 1. *Iustus septies in die cadit & resurgit.* Quæ loca de peccato veniali accipienda sunt: nam si cum hæreticis omnia peccata mortalia appellauerimus, & quod de iusto septies in die cadente dicitur, de mortali peccato dici, constituerimus, illud reuera consequetur, vt vniuersum mundum ad desperationem adigamus & condamnemus, nec enim facile ex hac vita migrare possumus absque istiusmodi alicuius admissione: adde, quod insigne etiam mendacium, & euidentem contradictionem admittere-mus, nam homo septies in die mortaliter impingens, tantum abest vt iustus

Ioan. 1. *Iac. 3. 2.* *Prouerb. 2. 16.*

iustus haberi aut appellari debere videatur, improbus est & sceleratus. Sapiens ergo hoc loco leuem aliquem facilemque offensam intelligit, vt verbum ociosum, cogitationem vanam, & paruam negligentiam, similiaque leuia errata, quę peccata tamen sunt. Et quamuis istiusmodi illa sint facile vt veniam promereantur, sollicitè tamen annitendum est, sicut bene Diuus Augustinus de decem chordis cap. 13. & in Psalm. 120. docet, vt ea euitemus ac declinemus, non tantum quia ratio de ijs reddenda erit, & pœnitentia vel in hoc mundo, vel in purgatorio de ijs exigetur, cum nihil inquinati cælum introire possit, sed etiam quia peccatis mortalibus viam sternunt, aditumque patefaciunt, quemadmodum sæpenumero Sapiens docet: *Qui spernit modica*, scilicet peccata, *paulatim decidet. Qui amat periculum peribit in illo. Qui peccauerit in vno, multa bona perdet.* Quia videlicet hæc peccata instar frigidæ sunt, in ferrum candens con-

S. Aug. l. de decem chord. c. 11. Psal. 129. ser. 244. tract 12. in Ioan. Apoc. 21. 27. Psalm. 14. 2. Eccl 19. 1. Ib. 3 27. Eccl. 9. 18. Ephes. 4. 30.

iecta

iectæ, instar pulueris in oculos sparsi, instar fumi in faciem immissi, quia calorem spiritualem imminuunt, pulcritudinem animæ deturpant, & vt verbo Diui Pauli vtar, Spiritum sanctum contristant, cumque à deliberato ac prudenti animo proficiscantur, manifesta planè euidentiaque argumenta sunt, animæ humilis, abiectæ, & pretium suæ perfectionis floccifacientis. Iam quod ad peccatum mortale attinet, id quemadmodum diximus, ideo tale fuit appellatum, quia nimirum mortem animæ affert, eique vitam suam, quæ gratia diuina est, eripit atque extorquet. Et hæc mors vera mors est hominibusque propria: * nam bestiæ, cum libero arbitrio destitutæ sunt, sine quo peccatũ nullum incurrere possumus aut designare, hanc etiã mortem perferre subireque non possunt, quæ in solam animam per peccatum introducitur, vnde inter omnes etiam creaturas corporeas, vnus homo mortalis non immerito videtur esse appellatus: vt videli-

Chrysost. hõ. 87. in Matt. & hom. 8. 1. epi. Cor. & in ser. de leuiũ pecc. periculis. Bernard. ser. 1. de cõuers. S. Pauli, & tract. de præc. & dispens. cap. 14. Solus homo mortalis dicitur.

* *Bestiæ liberum arbitriũ non habent.*

delicet proprio suo nomine ad se humiliandum excitetur, intelligens non modo puluerem se esse, sed quod haud aliquanto peius est, etiam peccatorem: per mortem enim corpoream illud consequimur, vt bestijs & earum necessitati annumeremur, dum videlicet æquè vt illæ morimur, at per peccatum eò deuenimus, vt infra bestias etiam abijciamur ac deuoluamur. Hæc animæ mors millies ac millies corporea illa deformior est, quod compluribus rationibus ibimus comprobatum. Primò quia origini & sentinæ ipsius turpitudinis proximior est, nam sicut quo vicinius quid igni est, hoc calidius feruentiusque est, & quo nigredini quis coniunctior est, hoc plus ea mutuatur, ita qui peccato proximior viciniorque est, fœdior ac magis deformis est. Iam autem mors animæ immediatè peccatum consequitur, quemadmodum vulnus letale mortem corpoream subsequi necessum est: & ideo quemadmodum paulo ante diximus, simul ac Adam inc-

inobedientiæ peccatum admisit, mortem animæ suæ intulit, id est, gratia diuina spoliauit. Secundo mors ista spiritualis longè fœdior est, quia in anima, parte omnino excellentissima est: nam quemadmodum tanto deformiorem plagam aut vulnus aliquod esse arbitramur, quanto nobiliori parti id infligitur, ita mors hoc fœdior existimanda est, quo nobilius subiectum destruit atque corrumpit. Vulnus aliquod (ait Aristoteles) brachio, pedi, aut alteri parti ignobiliori inflictum, minus pulcritudinem imminuit, at si quod in facie, in oculis, in naso conspiciatur, id hominem totaliter deturpat atque deformat. Itaque morbus, vulnus, ac mors ista spiritualis infinitis partibus corporea illa terribilior est, quia videlicet parti longè pulcherrimæ, & quę ipsius pulcritudinis imaginem habet, infertur. Tertio mors illa extremè fœda est, quia viua peccati effigies est, quod turpitudo ipsa cum sit, & ex diametro supremæ bonitati ac pulcritudini opponatur,

1. Reth c. 14. & l. de somn. 1. 2.

tur, eam generat atque producit: sic ergo quemadmodum DEVS ipsa pulcritudo est, ita peccatum contra ipsa fœditas & turpitudo. Iam mors rei cuiuspiam vita præditæ generalis turpitudo est, quia videlicet omnes illius partes deformat atque deturpat: hæc priuatio diuinæ gratiæ, & peccati similitudo animæ impressa, mors illius est, & vniuersaliter eam corrumpit atque defœdat. Specialis porro turpitudo illa dicitur, quam membrum tantum aliquod, manus, facies, oculi, & aliæ partes afficiuntur, & hæc deformitas aut ex mala qualitate prouenit membrum istud deturpante, aut ex inepta illius collocatione, aut non recta dispositione. Peccatum per priuationem istam quam operatur, conspurcat & fœdat omnes omnino animæ partes, eas disjcit, & ad alium locum è suo transfert, occæcat namque Intellectum, voluntatem deprauat, memoriam corrumpit, cornua passionibus addit & effrenes facit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sensum communem & imaginationem lædit, & denique præter ingentem confusionem, vnicuique parti malignitatis suæ turpitudinem deformitatemque imprimit. Accidit his alterum punctum deformitatis infamis & obscæna partium traiectio ac dispositio: qua haud scio quid quamve fœdius absurdiusque possit reperiri; nam sicut perfecto accuratoque rerum ordine nihil pulcrius decentiusque est, ita contra nihil turpius ac deformius est, quam vbi ordo negligitur, & incondum quoddam contra Chaos confusioque infertur. Iam quemadmodum prodigiosum in familia quapiam merito existimaretur, si pedissequa in Matremfamilias imperium affectaret sibique arrogaret, & in schola haud parum monstrosum esse videretur, si discipulus Magistro imperare, si in corpore naturali, pes oculorum, nasus aurium, manus dentium officio fungi vellent: ita omnis ista deformitas & turpitudo per

pec-

peccatum in animam inuehitur pulcherrimaque illa spiritualis Reipublica turpissimè corrumpit & deprauatur.

Declaratio superiorum, id est, peccatum animæ pulcritudinem corrumpere: deque Idololatria.

COLLOQVIVM LXXVI.

THEO. VERVM quo aliquanto lucu-lentius ea quæ hactenus de peccati turpitudine allata sunt comprobemus, & quomodo illud animam totaliter perdat corrumpatque manifestè demonstremus, admodum mihi placet id peccati alicuius exemplo in particulari asserere, & Idololatriæ flagitio disertè primo præcepto contrario apertius declarare. In hoc ergo omnes illæ animæ deformitates supra adductæ & recensitæ, mirum est, quam euidenter pateant & elucescant: nam & intellectus eo occæcatur, & voluntas peruertitur, & memoria labefactatur. Quæ enim maior humani iudicij ac intellectus depra-

deprauatio potest excogitari, quam creaturam pro creatore suo accipere, lapidem, vitulum, ac glirem DEVM suum arbitrari, quemadmodum à nonnullis populis olim factum fuisse accepimus & comperimus? potestne maior voluntatis peruersitas reperiri, quam infinitam bonitatem pulcritudinemque relinquere, vanitates rerum corruptibilium consectari, ac supremum Principis honorem bestiæ & rei insensibili adhibere? quæ vero etiam maior memoriæ corruptio potest inueniri, quam DEI obliuisci, illius beneficia, timorem, amorem, iudicium, Paradisum, Infernum, & seipsum adeo obliuioni tradere ac sepelire? quæ maior sensuum tam exteriorum, quam interiorum labefactio hebetatioque est, quam circa solam terram & contra DEVM occupari? quam tu maiorem confusionem & turbationem in hominis familia desiderabis, quam videre carnem spiritu imperantem, appetitum voluntati do-

ti dominantem, clientem Principi mandata imponentem, lixonem & calonem aciem instruentem, stultum & insipidum consilio ac summæ rerum præsidentem? quam maiorem facultatum confusionem, quam monstrosiorem earundem situationem imaginari quispiam sibi potest, quam hominem qui omnibus creaturis præesse debebat ac dominari, non modo sub bestiarum pedes, sed infra etiam creaturas inanimatas abiectum intueri & deolutum? cum enim lapidem vt DEVM suum honorat, an non ei se submittit, ac humiliorem quasi ipso & abiectioremque cultu suo obseruantiaque confitetur? Iam si quis aliquem pro Domino suo acceptat, hic reuera etiam illi ab legitimo ac iusto Domino paret & famulatur: quique in Regem quempiam sibi constituerit, eidem regium cultum & honorem adhibet: qui verò nonneminem in DEVM suum eligit atque ascisit, di-

uino

uino etiam ei ritu obseruantiaque aduoluitur: quanta DEVS bone hominis humilitas abiectioque futura & iudicanda est, qui creaturam aliquam DEVM suum facit & fabricatur? Verum genus istud Idololatriæ vt fœdissimum est, ita olim amplius quam nunc celebratum fuit, superest autem adhuc inter alia pernicioſissimum quoddam & vulgatissimum, eandem turpitudinem animæ inducens, ac in vnoquoque vitio consistens. Quid enim auaritia, & gula adeo ipsa aliud est, nisi Idololatria, quippe quæ DEVM negligit, & aliam rem illius loco sufficit; auarus enim pluris aurum & argentum suum facit, quam DEVM, sæpius illud cogitat, sæpius illius recordatur, quam ipsius DEI. Itaque cum etiam vsurarium esse DEVS illi prohibuerit, cupiditate tamen ad id inducitur, vt DEI voluntatem negligat, & auri sui consilium sequatur. Est ergo auaritia Idololatriæ species, *Auaritia Idolatria.*

Epheſ.5. 5. quia metallum ſuum honorat, quia aurum colit, quia argentum vt DEVM veneratur. Iam cum etiam DEVS præcipiat, genium fraudandum eſſe & ieiunandum, helluo & gluto, præceptum diuinum negligit, & ſordidæ ſuæ carni magnult ancillari; eſt proinde & Gula Idololatriæ ſpecies, & ventrem ſuum pro DEO habet, quemadmodum Apoſtolus loquitur. Verum inter omnia vitia atque peccata, Hæreſis maximè Idololatriæ affinis germanaque eſt, quia videlicet directa primum præceptum euertit, DEVM non modo non honorat, ſed ſpernit, neque ipſa ſpernit tantum, ſed vniuerſum etiam mundum ad idem faciendum incitare conatur. Idolum huius meretricis, ait Diuus Hieronymus, peruerſa opinio, eſt fundata atque enata in cerebro hæretici, qua poſtea actus & percitus, omnia quæ in DEI domo inuenit, quidquid ceremoniarum in ſcripturis deprehendit,

Gula Idololatria.

Phil. 3. 19.

In c. 2. Dan.

dit, id continuo in ſuam imaginationem transfundit, inde ſectam iucundo verborum prætextu adornat, & ſtatuam auream facit, quam poſtea in publico exponens, omnibus adorandam eſſe docet, & honorandam. Itane vero? An non eſt hoc Nabuchodonoſorem eſſe, Nabuchodonoſori æqualem fieri, & Nabuchodonoſorem imitari? Erexerat ille olim ſtatuam auream, eam in publico collocarat, & omnibus adorandam commendarat, ſimulac videlicet, ſignum tubæ audiretur, & lyrarum, cythararum, fidiumque concentus perſentiſceretur. An verò Hæreticus diuerſum ab hoc aliquid facit? an non ſpiritualiter, id eſt, modo inſolentiori ac perniciosiori omnia iſthæc facit? an non aurum lapidesque precioſos domus DEI arripit, ex ijs Idolum & ſtatuam ſuam conflaturus. Vtitur ille iucundiſſimo concentu rationis, adhibet ſonum & Muſicam Scripturæ ſacræ; quæ ſi tu *Dan.3. 3.5.*

rectè & accuratè inſpexeris, mentior ſi aliud quam aurium quaſdam illecebras dices : itaque dum etiam honorem ſe DEO adhibere mentitur, eum ille ipſe ſibi arrogat, & inſolentiſſime adſciſcit. Comminiſcitur ille ſectam aliquam contra caſtitatem, erigit Idolum Cupidinis, id confeſtim putidiſſimis Scripturæ ſacræ authoritatibus ornat, & ab vnoquoque adorandum eſſe vociferatur. Clamabit ille vera continentiæ nuncupari non oportere, perſuadebit alicui, qui per contractum ſpiritualem & ſolennem animam corpuſque ſuum DEO conſecrauit, rumpendam eſſe fidem, violandam legem, perfringendum monaſterium, ad carnis libertatem prouolandum, non alio fine quam vt DEO ſeruiat, & acceptus efficiatur. a Aerius ſtatuam contra ſobrietatem & ieiunandi conſuetudinem erexerat : docens abſtinentias non niſi ſecundum cuiuslibet beneplacitum & phantaſiam eſſe obſer-

a *Epiph. contra hær. 75. S. Aug. hær. 33. S. Aug. de hær. 33.*

seruandas, DEVM etiam hoc velle, & Scripturam ipsam sacram manifestissimè id homini commendare. *b* Arrius IESV Christo diuinitatem suam furabatur, & solum hominem esse commiscebatur. *c* Manichæus humanitatem illi contra detrahebat, & verum ipsum corpus non habuisse asseuerabat. Erexit ergo vterque & in publico Hæreticum suum Idolum constituit, pulsauerunt ambo Scripturam sacram, & per diuersos suos ministros ad honorem DEI omnibus illud adorandum esse clamitauerunt. Iam Caluinus etiam filio DEI nobilissimos quosque suos titulos & insignia potentiæ, sapientiæ, bonitatisque eripuit: præcipuè autem eo in loco, vbi CHRISTVM in Cruce desperasse asseuerat, *d* quod non modo iniurioſum blasphemumque est, sed etiam manifestum indicium, insignis malitiæ atque stultitiæ. Verum vt quod dixi repetam,

b *Ath. contra Arrian. Epiphan. contra her. 69. Aug. 8. contra her. 49.*

c *Epiph. contra her. 66. & Aug. 46.*

d *Calu. in Harmon. ad 27. cap. Matth. 46. 5.*

aio Idololatriam istam Hæreticam longè omnibus perniciosiorem esse: neque enim tantum Creaturam pro DEO constituit, quod Ethnici faciebant, sed delirium etiam & commentum aliquod, quod non nisi vmbra Creaturæ est, vt DEI præceptum accipiendum vociferatur. An non insignis nebulo ille esset, qui cum sceptrum & coronam Regi aufferret, mensam pictis ferculis (quod Heliogabalum aulicis suis assentatoribus fecisse accepimus) instrueret, nihilominus clamitaret ita Regem honorandum esse & obseruandum? an vero Hæretici istud non faciunt? Eripiunt illi omnipotenti DEO quantum possunt coronam suam ac sceptrum, sternunt illi mensam vanis & deliris phantasijs plenam, illamque pro veris sacrificijs, quæ Ecclesiæ DEI fercula sunt, adornant: irridentes non modo DEVM, sed ipsos etiam homines, quos in infernum deturbant, mentientes interim suos illos auspicijs ad cæ-

ad cælum esse peruenturos. Non immerito veterum illorum Epicureorum secta pernicioſissima vulgo iudicata fuit, quod videlicet improbis DEI timorem omnem tolleret, & peccandi quandam impuritatem inueheret: hinc enim factum est, vt omnes opinionis istius sectatores, absque vlla formidine & timore viuentes, in omni vitiorum flagitiorumque genere impune volutari non dubitarint. Hæresis autem an non multis parasangis secta isthac pernicioſior deteſtabiliorque est? quippe quæ non tantum omnem timorem sceleratis aufert, sed etiam audaciam quandam ingenerat, vt malum non aliter quam rem DEO gratam acceptamque amplectatur. Nam quæ amabo differentia est, dicere ad hominem voluptuarium, Fac quod tibi libet, neque enim DEVS res mortalium curat, quemadmodum Epicurus mentiebatur, & cum hæretico vociferari: Indulge genio, ieiunia nihil morare, absti-

ne cum libet, matrimonium susci-
pe voto continentiæ violato, hoc
enim modo DEO seruitium præ-
stas, hæc pietas est, hæc religio,
hæc incorrupti Euangelij & ver-
bi diuini doctrina. An vero istud
non est frænos impudentiæ, auda-
ciæ, flagitijsque omnibus laxare?
non hoc est viam sceleribus, adi-
tum vitijs, iter omni peccato ster-
nere ac aperire? quid helluo, quid
mœchus, quid scortator liben-
tius audit, quam libertatem? quan-
do se effrenius gerit, quando im-
moderatius viuit, nisi cum flagi-
tia sua non modo non puniri pos-
se, sed grata etiam, sed accepta es-
se DEO intelligit? Maneat ergo
Hæreticos non modo DEVM, sed
homines etiam ipsos irridere &
calumniari. Et ideo Propheta Da-
uid Synagogam falsæ & Hæreti-
cæ doctrinæ, conuenientissimè Ca-
thedram irrisorum appellauit,
quemadmodum Diuus Hierony-
mus in translatione vocis Leth-
sim significat, versiculo primo,
Psalmo primo. Ab hoc septuagin-
ta in-

ta interpretes, & communis explicatio eos fere sequens, non alludit, quando cathedram pestilentiæ reponit: voluens videlicet ad oculum demonstrare, hanc Hæreseos proprietatem esse vt inficiat, & contagione sua venenet. Itaque cum Helluo, hoc contentus sit, quod ipse Helluo est, & Scortator in suis Scortationibus acquiescat, Hæreticus contra parum sibi admodum consecutus esse videtur, nisi publicum ludum impietatis aperiat, & omnes peruerso suo viuendi instituto imbuat. Porro cum omnis illusio per se detestanda viciosaque sit, maxima tamen illa est, quæ Maximum Monarchum attingit; maioremque longè ille reprehensionem promeretur, qui mitem aliquem & mansuetum, quam qui improbum Dominum offendit: & quæ amabo peruersitas illa erit, summam potentiam, bonitatem, ac sapientiam irridere? ô antiquum transgressorem! ô antiquum Draconem! necesse

omnino est plenum te insolentia immanitateque esse, postquam nimirum hominum animas adeo crudeliter inficis atque corrumpis; necesse est insigniter te absurdum & execrabilem esse, siquidem istiusmodi abominationes in mortalium ingenijs depingis; & quæ amabo malitia illa est Creaturis persuadere DEVM vt Creatorem suum irrideant atque deludant? Hinc ergo in Ecclesia tantum pœnarum ac tormentorum, flammæ, ferrum, aqua, fidiculæ, restis, exhæredatio, exilium, & quod grauissimum est, excommunicationis fulmen in omnes istiusmodi apparatur, & non tantum in eos qui hæreseos conuicti sunt, sed in illos etiam qui cum ijs commercium habent, & subsidio illis sunt. Hinc etiam fit, quod DEVS tam in hoc quam in futuro sæculo eos remunerator, qui fortiter & animosè contra Hydram istã digladiantur, & illos cõtra percutit atq; extirpat, qui in istiusmodi pugna desides & ignaui sunt. Hinc

Eccle-

Ecclesia Dei in bellis spiritualibus semper terribilis sicuti castrorum acies ordinata, tunc fortissima est, tunc animos erigit, tunc arma expedit, cum cõtra Hæresin aliquã dimicandum est: itaque cùm ad reliqua ferè flagitia ordinaria sua arma adhibeat, vt nemo idcircò sedem suam mutet, vbi cum Hæreticis cõfligendum est, hic illa repentè Concilia indicit, vires contrahit, ab Oriente in Occidentem, à Meridie in Septentrionem fulminat, aciem instruit, exercitum armat, nullo reuera alio fine, quem vt scelerum Regẽ, & Idolum Idolorũ subuertat, quod adeò insolenter Deum lacessit, & adeò funestè Ecclesiam illius inficit. Verùm satis ist hæc sunt vt intelligatur Hæresin idololatriam detestabilem esse, & peccatum animæ extremam turpitudinem conciliare. Can. 6. 9.

De turpitudine peccatorum in pictura Diabolorum elucente.

COLLOQVIVM LXXVII.

THEO. ET quoniam tanti refert turpitudinem peccati exactè cognitam & perſpectam habere, videamus iamnunc etiam, quomodo illa in pictura Diabolorum eluceſcat: qui etſi ſpiritus meri ſint, & penicillo materiali exprimi non poſſint, nihilominus tamen viuis quodammodo coloribus adumbrari, nobisque ob oculos ſtatui poſſe videntur. Quis ergo non videt quomodo in omni memoria pictores ſpiritus iſtos repreſentarint, qui peccato mortui & ſempiternæ morti adiudicati, ex pulcherrimis Angelis fœdiſſimi Dœmones fuerunt effecti? quis non videt quam deformi colorum figura eos deſcribant, quam ex diuerſis animalium partibus, illos fingant atque coagmentent, quò prævaricatores iſtos Spiritus & perduelles Angelos rectè deli-

neent

neent? Neque enim existimandum est, eos realiter cornua hircorum partes Gryphium, alas & caudas Draconum habere, dentibus vrsorum, pedibus equorum aut boum, sicut ferè pinguntur, esse instructos. Vtitur autem materiale nostrum penicillum omnibus istis partibus, vt manefestè nobis turpitudinem internam & spiritualem, Geniorum istorum demonstret. Quemadmodum etiam scriptura sacra, sæpè Leonum, serpentum, & monstrorum marinorum nomine homines ac Diabolos nobis depingit, illudque etiam in virtutibus ac vitijs interdum obseruat. Ita enim apud Danielem Darius per arietem significatur, Alexander Magnus per Hircum denotatur, & Herodes in Euangelio vulpes, Diabolus Leo rugiés à Sancto Petro nuncupatur. Ita Hagiographis inuisibilia per ea quę in sensus incurrũt, describuntur. Ita Prophetæ per ænigmata loquũtur, eorũq; verba creaturę sũt. Ita quoq; q̃ab Aegyptijs scribebantur,

Dan. 8.
Luc. 13. 23.
Pet. 3. 8.
Iob. 41.

Hiero-

Hieroglyphicis plena erant. Porrò imagines coloribus adumbratæ, picturæ oculorum sunt; quæque verbis & sermone constant, aurium quædam effigies possunt appellari, siquidem ambabus anima vtitur, & ab ijs diuersimodè eruditur. Ita exempli causa Eurypedes versibus suis sacrificium Iphigeniæ nobis describit, Timantes autem colore depingit; ita Plutarchus Historiam Darij interfecti in Alexandro contexit, *a* Philoxenus autem penicillo adumbrat; ita vt alter aures, alter oculos doceat atque informet. Atque hinc etiam est quod picturam mutum poema dicimus, & poema contra picturam loquentem appellamus. Verùm quis amabo iam non videt turpitudinem, deformitatem, & sordes peccati, vbicunque demum iam illud reperiatur? Fecit illud in cœlo Diabolos, in terra mortem, sub terra autem Infernum. Potesne imaginari tibi aliquid hoc artifice fœdius? hoc fabro nigrius, hoc authore aliquid detestabilius? Heu, quid ille secum non fert, qui vnico

mortis

a Plut. in Alex. Plin. l. 33. c. 10. Arist. 3. de an. c. 7 & 8. l. post. c. 14.

mortali peccato obsitus ac inquinatus est? quibus non periculis ille animam suam exponit? quibus non sordibus inquinat? in quam denique non abyssum illam præcipitat? verùm continuemus paululum sermonem istum de hac deformitate & comparatione inter primam secundamque mortem instituta, manefestius iram Dei inspiciamus, & abominationem peccati cognoscamus, illudq; tãto amplius fugiamus ac detestemur.

De turpitudine peccati ex comparatione primæ & secundæ mortis elucenti.

COLLOQVIVM LXXVIII.

VERVM quò melius sermonem istum super peccati deformitate concludamus, consideremus iamnunc illam etiam in comparatione duplicis mortis, primæ videlicet & secundæ: vt quemadmodũ in prima iram Dei separatim spectauimus, & peccati deformitatem expendimus, ita nunc illam vnà in secundæ consideratione examinemus. THEO.

nemus. Prima ergo hominis mors, quemadmodum antea diximus, aut in anima aut in corpore consistit: mors animæ, est priuatio gratiæ diuinæ, mors aũt corporis, est priuatio animæ è corpore emigrãtis. Hæ duæ mortes seperatim aduenire possũt, moritur.n. sæpè homo quispiã in anima tametsi in corpore nequaquã moriatur; potest.n. peccare, mortem corporalẽ incurrẽdo, & gratia diuina spoliari, animã retinendo: ambæ aũt sub nomine primæ mortis comprehẽdũtur, quia etsi mors corporea post peccatũ fuerit introducta, prima nihilominus appellatur, quia videl. prima in hoc sæculum ingressa fuit, & nonnisi damnatorũ propria est, quibus portà ad mortẽ æternam patefecit, quæ sola vera mors est. Prima mors corporis nonnisi semel ordinariè accidere potest, prima autem animæ mors sæpius ingruere potest, & indies animam quam occidit, turpioré efficere. Hæc enim mors non consistit in dissolutione partium sicut corporea, cum anima spiritus merus sit & naturæ indivi-

sibilis: accidit autem quotiescunq; anima quæpiã mortaliter peccans à Deo Domino suo desciſſit, & obominabilẽ corã illius oculis se facit. Hinc in Euangelo de Filio prodigo dicitur, q̃ in terrã semotã discesserit, quò vid. cõstet, eũ à Deo semotũ fuisse ac elõgatũ. Porrò ambas istas mortis species reparare possumus, si opportunè, & in tempore remedia adhibeamus, id est in hac vita, adhibẽdo merita filij Dei, eaq; nobis per Baptismum, & sacramenta Ecclesiæ cum bonis operibus applicando: hac enim applicatione anima Deo reconciliatur, sicque illius gratia recuperata & à peccato ac morte priter resuscitata corpus, idoneũ efficit, vt aliquando cum anima glorioſum vniatur; quæ quidem applicatio vel potius reconciliatio prima resurrectio à D. Ioanne appellatur, & felices reuera beatosque illos qui eius participes efficiuntur. Secunda animæ & corporis mors æternum supplicium est peccato debitum, & in alium mundum à Iudice reseruatum. Porrò quo manifestius

Luc. 16. 13.

Apoc. 20. 5. 6.

Apoc. 20. 14.

Mat. 10. 28.

ſtius in gemina iſta morte iram Dei cognoſcamus, & peruerſitatẽ peccati intelligamus, ſummam hoc loco ex vetere Teſtamento figuram aliquam & ea propoſitum noſtrum declarare, elucidareq; conabor. Ait illic lex, eum quicunque corpus mortuum tetigerit, ſordidum eſſe, & ſi is qui tabernaculum tractat, poſt hominis cadauer tactum, intra decem dies non purificetur, duabus diuerſis vicibus, videlicet tertio ac ſeptimo die, adhæſurum illi æternam maculam, & poſtea ipſum ex Iſrael exterminatum iri: In hac figura Deus peccati turpitudinem nobis occultauit, tria admodũ per ænigma demonſtrans. Primò quam vehementer animam aliquam oderit in peccato mortuam: Secundò quemadmodum illa certo tempore, id eſt, in hac vita, per numerum denarium expreſſa, purgare ſe debeat. Tertiò quomodo ſi hanc purgandi occaſionẽ neglexerit, Regno Dei excludatur, & sẽpiterna morte afficiatur. Cæterũ in ſacris literis mortẽ ſæpenumerò pro peccato poni animaduer-

Leuit. 11.

Nũ. 19. 13

maduertendum est. In hac ergo figura cadauer animam per peccatum mortuam significat, quemadmodum enim cadauera hominibus fere horrori sunt & detestationi. Hinc etsi peccatum originale minimum inter omnia sit in filijs Adæ, ita tamen illud infantem turpem horribilemque, ipse vt illam Creator oderit, & placito vultu intueri non possit; effecto iam videlicet homine filio iræ, quemadmodum Diuus Paulus ait, id est, qui non solum Deo displiceat, sed etiam inuisus & reus sit, ob infernalem illam maculam, quam nisi tempestiuè eluerit, Regno Dei eum excludi necesse est. Hinc ergo si iam baptismatis vnda ablut⁹ & purificatus, in peccatum relabatur, & diuina gratia spolietur, anima illius mortem sibi consciscit, & tanto se deformiorem reddit, quanto peccatum actuale à propria voluntate promanans, & instar infernalis surculi ab ingrata superbaque malitia procedens, ipso peccato originali detestabilius est, quod ab aliena voluntate profluxit. Porrò si anima in

hoc

hoc miserabili statu ita cõstituta intra præfixũ tempus se nõ purificet, id est, dum in hoc mundo viuit, sicq; ab abitu suo intercipitur; postquam se videlicet antehac pœnitentię vnda purgare non voluit, cum poterat, & cum deberet, tum verò morte æterna plectitur, quæ ideo à Deo constituta & ornata fuit, vt istiusmodi viua cadauera deuoraret ac deglutiret. Armat tũc supremus ille Iudex gehennam, apparat aquam, ignem, tenebras, & quotquot ei placent creaturas, instruit dico illas horrore, & ingratam illam suam creaturam affligant, & meritas ab ea pœnas exigant, quæ stultè ac malitiosè deformem, & abominabilem se fecit, coram oculis diuinæ suæ Maiestatis. Et quemadmodum mors corporea ita corpus & cadauer rodit ac carpit, vt in cineres etiam illud puluereműque dissoluat, ita etiam spiritualis illa mors, quæ in priuatione summi boni consistit, & infernalibus Gehennæ tormentis constat, animam quantum potest carpit atque dissoluit;

quæ

quæ quia æternum & indissolubile esse consecuta fuit, ideò etiam æternorum suppliciorum capax esse debebat. Hæc ergo mortis species illa est, quam Sanctus Ioannes secundam appellat, quia videlicet primam sequitur quæ à peccato conciliatur, cuius pœna est: nam sicut duplex resurrectio iustorum assignatur, altera in hoc mundo, gratiæ videlicet reconciliationis, altera post hanc vitam, gloriæ ac triumphi sempiterni: ita duo etiam pro obstinatis mortis genera sunt, vnum peccati in hoc mundo, alterum mortis sempiternę in sæculo subsequēte. Porrò quemadmodum etiam secunda resurrectio primæ respondet, ita quoque secunda mors primam respicit. In secunda resurrectione corpus animæ coniungitur, & in secunda etiam morte. Coniungentur enim reuera ambæ istæ partes, & modò longè horribiliore supplicijs sempiternis excarnificabuntur. Tunc mors possessionem regni sui integram tenebit, & cæterum pacata

crit:

erit: tunc ſatiata quieſcet, & furibunda illa Tygris fauces ſuas aliquãdo occludet: excarnificans interim miſerabiles peccatores, qui sẽper morientur ac ſemper viuent, & poſt innumerabile annorum ſpatium, & ſęculorum meriades fruſtra ſuam ſtultitiam malitiamq́ue accuſabunt. Et quemadmodum beſtia gramine & herba aſſiduò paſcitur, quæ ſemel demeſſa iterum germinat atque ſubnaſcitur, ita infelices iſtas animas, immortalis iſte infernus deglutiet, & inſatiabili roſtro vſque & vſque deuorabit. Occultauerunt etiam veritatem iſtam veteres Poetæ, quam cum innumerabilibus alijs ex ſacris Hiſtorijs furati mutuatiq́; ſunt: deſcribentes immanem quendam Gigantem Tytium, qui in Inferno conſtitutus:

Hom. Odyſ. 11. Æn. 6.

Nec non & Tityon!, terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: roſtroq́; immanis vultur abunco
Immortale iecur condens, fæcundaq; pœnis
Viſcera, rimaturq́; epulis, habitatq; ſub alto

Pectore

Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.

Verum quò melius mortis istius fauces, & suburbium huius Aegypti, plenæ Tyrannidis ac confusionis cognoscas, attende paulisper mihi fis, & conflictū illum animæ in peccatis mortuæ, quæ vitæ suæ tempore officio suo defuit, pœnitentia expiari nolint, & tandem in peccatis iniquitatibusque suis intercepta fuit: vide mihi quam anxiè emigret, quam terribiliter è corpore ad Infernum proficiscatur.

ANIMA DESPERATA CORPVS SVVM RELINquens in agone conflictatur.

INfausta nox, nox noctium nigerrima!
Maledicta nox, funesta nox, obscura nox!
In qua misella ego sacra ex libidine
Proseminato corpori coniuncta sum.
Tibiq; vili perditæq; coniugi
Ego elegans, ego nobilis & ego Dei
Imago capi innectier; nunc quando lex
Potentior dissoluet hancce copulam,

Et coniugale fœdus hoc diuortium
Abrumpit, & tormenta me manent mea
Quæ sempiternum corpori tibi debeo;
Responde corpus vermium domicilium,
Si verò lingua & si sono destitueris,
Fac vt loquatur vmbra pro te pallida.

CORPVS.

Quid me vocas? quid me quiescentem excitas.
Obmutui, scis ipsamet. cur me vocas?
Mecumne confliges? satis superq; ego
Iam langueo, & tuum execror diuortium.
Alium tibi hostem quære, permitte me
In pace vasa colligere fessum mea.
Quid me vocas? quid me quiescents excitas?

ANIMA.

Pro te doloribus misella emancipor.
C. *Scelesta, pro me tu? tibi isthæc imputa.*
A. *Tuæ scelestæ id imputo prosapiæ.*
C. *Detersit hanc labem Deus Baptismate.*
A. *At vulnerata perstiti atq; saucia.*
C. *Sanare vulnus istud vnda illa poterat.*
A. *In te remanserunt malorum semina.*
C. *Euellere ista debuisti negligens.*
A. *Poteram fatebor, obstitisses ni mihi.*
C. *Tua potius tibi vanitas hic obstitit.*
A. *Tui appetitus obstiterunt improbi.*

C. Isti Ducem te secuti prauium.
A. Spectaui ego semper bonum, illudque docui.
C. Bene consulebas, at nihil agebas minus.
A. Semper rebellasti mihi Duci tuo.
C. Cur non coercebas, Magistra cum fores.
A. Quis te domaret, atque te contunderet,
Quis apperitus frangeret quaeso tuos?
C. Ratio leones subiugauit efferos.
A. Oculi tui me vulnerarunt centies.
C. Voluisti eos patere vanitatibus.
A. Tuas per aures mors mihi vitam abstulit.
C. Istud volebas ipsa, consensi ego tibi.
A. Cum de Deo audirem, tu noxijs
In sordibus libidinum iam immersum eras.
C. Tuum fuit peccata corrigere mea.
A. Ni tu abnuisses, corrigere poteram scio.
C. Nihil absq; consensu vllibi feci tuo.
A. Quod feci, id in fauorem ego feci tuum.
C. Poterat docere te ratio quod aequum erat.
A. Volebat illa te educari & pascier.
C. Nolebat appetitibus locum dari.
A. Terrestre eras, terra educaui te tua.
C. Erat illa delicata & aquo lautior.
A. At noluisti frugibus te pascier.
C. Culpa haec tua, quod non meam correxeris.

A. Correxi, at inde debilem te comperi.
C. Rationis at tanto fui capacior.
A. Nihil illa te mouebat improbissimum.
C. Cogere valebas vt Monarcha subditum.
A. Melius amore quam timore discitur.
C. Amor vbi nil potest, timor succedito.
A. Necessitatis fum misserta ego tua.
C. Vt scilicet forem excitatius ad malum.
A. Nutrire an ergò & alere non debui?
C. Nutrire me, sed non saginare decuit.
A. Non ergò amare te scelestum debui?
C. Non me fouere debuisses molliter.
A. Quid ergò vis? quid impium sic arguis?
C. Nullum ordinem atque regulam quod no-
ueras.
A. Omne hoc ego feci, vt mihi acquiesceres.
C. Lege hic opus erat, haud opus licentia.
A. Obtemperare te decebat legibus.
Quid multa ploro, quid misella conqueror?
Non ergò litigare tandem desines.
Non ergò desistes mihi sic obloqui
Quousq; spiritum commendo tibi meum?
Semperne ego te sentiam, & tua iurgia,
Impune semper audiam? quin surge impro-
bum
Meum sepulcrum, mors mea, & dolor meus,
Ruina mea, damnum meum, Infernus meus,
Iam te relinquo peruicacem caterum,
Nec amplius tibi inseri aut iungi volo.
Discede peruicax scelestum perdidum,

Disce-

Discede sis, viden' vt inferorum aqua,
Vt ignis, vt tellus, vt aer turbidus
Sub me cruentum atroxq; bellum sisscitent?
Viden' vt immane & nigrum egerant chaos?
Viden' vt illa Vermium & serpentium
Te turba praestoletur? ecquid ago? vbi sum?
Vbi versor ô mei sodales dœmones?
Cohorreo, rigesco, palleo, tremo:
Quid illud est, vel quis metus me succutit?
Viden'? Videre nolo, claudo lumina.
Video furentem, otulatum, & vbique igneum,
Vultu tremendum, fronte toruum & aspero,
Hostem hostium meorum maximum.
Video minantem horrenda, & immanem librum.
Qui scelera vitæ continet meæ omnia,
Versantem & ante non mouendum Iudicem
Cuncta explicantem, quæ patrauí perdita.
Ille æquus, imo Iudicum iustissimus,
Ille omnium rerum potens, nil nesciens,
Et sicuti par est malè offensus mihi:
Qui me tremendi fulminis sententia
Sub ter charontem imamqúe pellet sub stygem.
Quonam ergo vertar, aut miserè quid inuocem?
Cœlumne? at illud execratur improbam.
Et vnda, & æther, & solum obsistit mihi.

Quidnam ergo agam? pro conditore stant suo
Omnes creaturæ: quia hunc videlicet
Neglexi, & illius minas pessum dedi
Quia gratia sua & bonis abusa sum.
Deserta sum, relicta sum, quid spero
adhuc?
Omnes amici & vniuersi Thesei
Tergum mihi obuertunt. ita obseruant
fidem?
Hi sunt amici? hostes, scelesti perfidi,
Cessabo, nec de cætero clementiam
Magni inuocatura obstinata sum Dei.
Sero nimis, tardè nimis disco sapere.
Quid sudo? quid gemo? quid ægra rugio?
Oppressa quid meis sceleribus æstuo?
O munde si scires meum infortunium,
O munde si statum tuum cognosceres,
O munde si mei mali esses conscius,
Indesinenter lachrymareris scio,
Nec qui modo es mundus fores de cætero,
Sed mundus atq; puritate purior.
Tua vita lectus ipse, & ipsa regula
Præ se forent latura pœnitentiam
Asperrimam, grauissimam & rigidissimam,
O terra, mundus, atq; proposita mea!
Vos deseram? vos nesciam de cætero?
Liceret vtinam istis vel in doloribus
Retinere vitam, abesseq; à pœnis meis!
Quid opto multa, quidve frustra hæc depre-
cor?
Viden' vt infernus patenti gutture

Glo-

Glutire me atq; deuorare gestiat?
Simul ac migrare ex carneo hoc ergastulo,
Tum mille carnificibus ego praeda fuero.
Abite perditi ac scelesti Dæmones,
Supersum adhuc, & corpus hoc viuit meum.
C. Ve ve. A. Recede carnifex, manus fuge
Ac inferorum te, reconde sub chao.
C. Ve ve mihi! vix temporis puncto vnico
In me fuisti, & iam voranda quareris?
A. Exspecta, adhuc & fortis & secura sum.
C. Discede, viuum sum cadauer, emigra.
A. Mori haud potes quoad simul coniungimur.
C. Dirupta nostri sunt amoris vincula.
A. Ea colligabo rursus, atq; animabo te.
C. Me putridum ergo cadauer animare vis?
A. Animare possum vbi mihi ius integrum est.
C. Nullum tibi ius est vbi vermis id habet.
A. Spera & tibi non deero, adhuc spera modò.
C. Hac hora morti destinata est, scis, mea.
A. Qui moritur, ille sat moritur citò scio.
C. Benè est malè qua moritur & perit citò.
A. Vbi morabor ex tua domo emigrans.
C. In inferorum abyssо, vbi mala omnia.
A. An ergo nulla supererit clementia.
C. Nemo obstinatus dignus est clementia.
A. Viua moriar sine absq; & absq; tempore?
C. Quia absq; fine spreueras Deum tuum.
A. Hunc metuo & illius tribunal horreo.

A. *Mortem meretur quisquis hunc timet, haud amat.*

A. *Tu sic mihi insultas cui vitam dedi?*

C. *Quam mallem ab Vrso vel Leone barbaro*
Habitarer, interirem & emorerer semel.
Nunc millies mors perferenda erit mihi.
Damnata cede, & me sinas quiescere.

A. *Parce vnicum momentum adhuc, parce obsecro.*

C. *Maledicta cede.* A. *quid scelestum me premis.*
Maledicta cede, cede præda dæmonum.

Ecce tibi iamnunc bonum illud *peccaui* infelicium & inconsi[illegible] hominum, qui malè facientes di[illegible], Pœnitentiam faciam, cum mors instabit, *vnum bonum Peccaui* omnia expunget; qui bene facere in id tempus differunt, cum ne malè quidem amplius facere possunt: qui florem ætatis suæ, ac vigorem annorum carnis & sæculi vanitatibus addicunt, & tandem canos suos Deo offerunt: qui vinum adolescentiæ suæ altari Beelzebub imponunt, & fæces in IESV Christi ara constituunt: qui dies suos ad sonitũ cytharæ inter choros & choreas exigunt; ac in momẽto ad inferna descẽdũt.

O mun-

O mundum! ô mundanos! attollite mihi paulisper oculos vestros ad Cælum, & considerate gloriam quam perditis, infernum quem acquiritis, & infinita crudelissimaque tormenta, quæ pretio animarum vestrarum coemitis. Absit vt tam bonam Cælum lucrefaciendi occasionem frustra habuisse, & ea vti noluisse videamini. Ne contemnite consilium, promissa, & minas supremæ illius diuinæ Maiestatis, ne videlicet in extrema vestra hora, & vltimo vitæ articulo illud vobis occinatur, quod scriptum est: *Quia vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non inuenient me: eò quod exosam habuerint* Prouerb. 1. 24.

disciplinam. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur. Verùm secunda ista mors prima longè pœnosior est, prima autem turpior, quia videlicet ab hac secunda processit: & ideo peccatum Inferno ipso abominabilius est, quippè cùm illius causa sit & iste huius effectum: quod fœditatem suam non aliunde quam à causa sua trahere potest ac mutuari; quemadmodum etiam in hac vita pœnas, & tormenta ideo infamia & ignominiosa inter dũ vocitamus, quia videl. ab infami & inhonesto fonte profluxerunt. Gladium, rotam, ignem, cæteraque supplicia omnia ignominiosa interpretamur, quando ob commissa flagitia, ob designatum furtum, rapinas, & hæreses malefactoribus fontibusque inferuntur, sublata autem causæ illius ignominia, ipsa quoque ignominiosa non sunt: vt si propter fidem aut religionem supplicijs multò quam immanissimè excarnificeris; tum enim non modo omnis infamia quam maximè abest, sed honor etiam, sed glo-

gloria, sed decus adest: quemadmodum ipsi Filio Dei, & innumeris alijs Martyribus accidisse eueniseque videmus. *a* Vnde Diuus Augustinus ait, non pœnam, sed causam Martyrem efficere: ac si dicat, Si homo tormenta pro fide vera & sincera perpetiatur, ea honorifica sunt & maiestatis plena: verùm si ob aliquam aliam causam ea perferat, tunc verò pœnis afficitur, & sicut reus ac sceleratus plectitur. Quibus planè efficitur, ipse vt infernus cum omnibus suis pœnis atque tormentis, cum omnibus ignominijs & confusionibus, ne minima quidem ex parte peccati alicuius mortalis ignominiam referat, quippè quod inferni causa est, & consequenter omnium malorum scaturigo. Itaque si etiam illud nobis constitutum est vt mortem acerbissimam euitare cupiamus, quæ secunda est: curabimus reuera quoque, vt ignominiosissimam ante euitemus, quæ prima mors animæ appellatur. Si secundam

a *in Psal.* 74. *conc.* 2.

Peccatũ ipso Inferno fœdius.

qui infernus est intrare nolumus, à prima tempestiuè surgendum est, quæ Infernum procreauit. Atque vt vno verbo omnia complectar, si in æternam AEgyptum relegari nolumus, vbi verus Pharaon pœnis & afflictionibus dominatur, è temporali egrediendum est, vbi per sordes & peccatum regnum suum administrat. Modus ergo temporali isthac AEgypto emigrandi vnicus est, oh oculos sibi mortem statuere, & per illius considerationem peccatum in nobis suffocare. *b* Hebræi tunc AEgypto excesserunt, quando lethali plaga & subitanea morte Pharaonis primogenita perierunt. Pharao iste diabolus est, primogenita autem AEgyptiaca Angeli ipsius sunt; vel Primogenitum Diaboli peccatum est, hoc enim primum ipsius operum fuit, primogenitum aũt suorum subditorum peccatum similiter est, quia pariter primum illorũ op⁹ est. Porrò cũ sanas de morte cogitationes suscipimus, & per illius contempla-

b Exod. 12.29.

Pharaon Diabol⁹, primogenitus ei⁹ peccatũ. Duplex Aegypt⁹ spiritualis, peccatũ & infernus.

templationem peccatis nos expurgamus, tum verò Primogenita Pharaonis & AEgyptiorum occidimus, sicq; per hoc flagellum ex AEgypto temporali migramus, seruituri Deo nostro in deserto huius mundi, & postea euitatis æternę Aegyptij supplicijs, in alia parte multò nobiliore regnaturi. Ecce tibi iam nunc quomodo à morte corporis ad animæ mortem transeamus, & quomodo per vtriusque contemplationem, in cognitionem iræ diuinæ & turpitudinis peccatorum digrediamur. Age nunc, discamus ex hoc loco peccatum fugere ac detestari, discamus ex manibus inimicorum nostrorũ nos proripere, & vestigijs diuinis insistere, illius gratiam obtinere, quæ verum dominium est, in quo anima nostra omnes impetus ac tormenta aui & proseminatoris ipsius mortis despicit atq; contẽnit. *Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*, dicebat Iob, quando leuiter tantum à Diabolo percussus, & morte, in persona necessariorum suorum, fuit af- Iob. 17. 3.

fectus. Desiderabat ergo Amoris Diuini securitatem, qui omnes mundi vires credebat esse vanitatem. Videamus similiter nos quomodo Diabolus illi se opposuerit, quomodo in vno momento filios, filias, seruos, stabula, & omnem rem familiarem, cunctasque fortunas euerterit: quo videlicet magnum illum athletam petitionibus istis suis à gradu dimoueret, & inhonestæ telluri affligeret: cum ecce tibi ille magnanimus in fimeto iacens collum illi suum porrigebat, destitutus iam tum videlicet amictu, amicis, & omnibus præsidijs humanis, excepta solius Dei gratia in qua ipse confidebat, & qua assistente victoriã triumphumque referebat.

De tribus inimicis Dei & salutis humanæ, in veteri Testamento præfiguratis.

COLLOQVIVM LXXIX.

PHIL. NAE vero ego magnoperè mirer, quod cum mors adeo foeda deformisque sit, nihilominus

minus tamen fructus contemplationis illius adeo grati & iucundi comperiuntur? Verùm intelligo & subodoror hic infinitam Creatoris potentiam ac sapientiam, qui mala nonnunquam euenire permittens, bona postmodum ex ijs elicit, ad sui honorem, & maiorem facturæ suæ vtilitatem, præsignando illi videlicet in lugubribus mortis epulis viam ad vitam patriamque sempiternam. At demnas ego sim, si diutius sermonem tuum interrupero. THEOL. Nequaquam tu vero orationem meam interrupisti, quippe qui eam hic quiescere posse existimem, & in portum aliquando enauigare: reliquæ enim huius subiecti vtilitates facilè ex ijs quæ hactenus explicatæ sunt, mihi quidem intelligi posse videntur. *Intelligenti* namque *pauca* sufficere incomperto est: præterquam quod ipsa breuitas nullibi locum potiorem, quam in funebri isthac lugubriqué dissertatione habere debere videatur. PHIL. Id vero qua ratione faciendum est? appello videlicet ego, à sen-

à sententia isthac tua ad te ipsum. Si enim omnino in hac vita reperiri potest aliquid in quo pedem figere possis, id profecto mortis meditatio est, secundum opinionem omnium bonorum ac recte sentientium: in quorum numero te quoque esse scio, & me à te excludi non debere intelligo. THEOL. Rem mihi tu loqueris; at non omnes eadem iuuant, nec singulis ea mens iudiciumque istud est. PHIL. Neque vero etiam nos omnibus satisfacturos spondimus, sed facili & plano sermone veritatem examinare constitueramus. Noui apprimè ego eos, qui perpetuum ius ciuicum mundi huius ambiunt, aegrè admodum istiusmodi discursibus aurem accommodare, mihi autem meliorem ciuitatem persequi inquirereque certum est, quam qualem ego quidem hactenus in hac terra incolui atque inhabitaui. THEOL. Quoniam ergo epulum istud admodum ad gustum & salituam tuam esse conspicio, patiar sane tamdiu illo te vesci & oblectari, do-

ri, donec cum Virgiliano isto pastore mihi exclames:

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt. *Virgil. Eccl. 3.*

Verum primæ vtilitates ijs in rebus insunt, quas hactenus explicandas suscepimus, reliquæ autem in impedimentorum tantum amotione consistunt, dum videlicet ita ad patriã cælestẽ habere iter nos faciunt, nunquam vt regia via aberrare valeamus. At recordare tu mihi paulisper hoc loco, dixisse nos supra ad iter istud feliciter emetiendum, non solum peccatum amouendum esse, quod primum ac summum impedimentorum est, sed etiam omnia illa quæ obstare nobis possunt: contraque nihil non eorum videri assumendum, quæ auxilio nobis præsidioque esse possunt. Porro quo omnes peccandi occasiones nobis amputemus, & nullum non aditum ad vitia nobismetipsis obstruamus, bellum nobis vehemens & acre, omniumque induciarum expers contra capitales & iuratos salutis nostræ hostes, impedimenta cer-

certissima itineris nostri, & occasiones peccati grauissimas, contra Diabolum scilicet, Mundum, & Carnem, omnesque illorum complices ac affectas gerendum est. Sunt enim isti tres reuera illi inimici famosi, & in Scriptura sacra per tria populorum genera adumbrati, qui maximo Hebræis impedimento erant, quo minus ex AEgypto discederent, & ad terram promissionis, quæ eorum patria futura erat, iter suum haberent. Primum istorum genus per Regem Pharaonem nobis repræsentatur, & Diabolum significat: vti enim Tyrannus iste crudelissimum in Hebræos se demonstrabat, & quantum poterat satagebat, eos vt sub turpissimæ seruitutis iugo retineret, ita Diabolus spiritualiter animas hominum affligit, & in tenebris huius mundi, qui spiritualis AEgyptus est illas retinere allaborat. Secundum nobis figuratur per Core, Dathan, & Abyron illiusque complices arrogantes, rebelles, murmuratores con-

Exodi 5. 6. & 7.

Num. 16.

contra suos superiores & seditionis popularis concitatores, per quos mundus & mundani pleni ambitione ac vanitate nobis repræsentantur. Tertium hominum genus per helluones nobis significatur personam carnis sustinentes; hi illi sunt qui cæpas & allia ructant, qui popinas seruitutis loquuntur, & Tyranni mancipia esse, culinasque AEgypti frequentare & ad ollas carnis desidere malunt, quam fortibus athletis annumerari, qui in deserto sub signo ac vexillo Dei militant, Regnum aliquod relaturi. Nunc quoniam antea declarauimus ad peccatum profligandum, meditationem mortis mirabiliter conducere atque prodesse, exhibendo videlicet nobis horrorem illius, sicque detestationem eius nobis inferendo, & ad in sola diuina gratia confidendum incitando; restat proinde vt etiam videamus, quomodo videlicet eadem ista meditatio ad tres illos fortissimos hostes debellandos efficacissima sit.

Exod. 16. Numer. 11. 4. 5.

PHILOS. Sunt omnino, nisi admodum

dum ego fallor, hi tres illi exercitus & acies pene inuincibiles, non modo quia singulæ fortes sunt, sed quia inuicem iunctæ sunt atque connexæ. THEOL. Facile omne est quod Dei gratia auxiliante suscipitur: hic enim vires & scientiam suppeditat, ad non modo prælliandum, sed etiam triumphandum. PHIL. Valde ego hoc loco Phrasin illam Theologorum mihi explicari cupiam, & quid illi conflictus pugnasque appellent, scire tum de eo certamine quod cum Diabolo suscipiendum est, mecum pertractari desiderem. THEOL. Parebo sane tibi multo quam libentissime, vbi antea pauca de malitia potentiaque crudelissimi illius Tyranni fuerimus præfati.

De potentia & malitia Diaboli.

COLLOQVIVM LXXX.

THEO. QVO itaque plenius naturam illius conflictus intelligamus, qui cum Diabolo Principe

cipe tenebrarum instituendus est, libet mihi hoc loco examinare quę-nam illius vis malitiaque sit: verum breuiter omnino, & solum in tantum, quantum præsentem isthanc nostram dissertationem concernit. Fortitudo illius, ait Dominus noster in Iob, adeo magna est, nulla vt in terris vis excogitari possit, quæ illi assimilari debeat aut comparari, quippe qui factus est vt neminem timeat, & cuius præsumptio arrogantiaque tanta est, omnia vt sublimia videat, & Rex filiorum superbiæ constitutus sit. Habet ille scientiam omnium planè rerum naturalium, experientiam omnium sæculorum præteritorum, coniecturam futurorum, & exercitium omnium flagitiorum. Adeo nullus malignorum spirituum est, qui (si quæstio de bello suscipiendo, innumerabilesque exercitus, longe quam Xerxis illius copiosiores fundendi consilium ineatur: aut si astutijs & stratagematibus militaribus res getenda sit) non oculos omnibus mundi sapientibus eruere effo-

Iob. 41.

dere-

dereque possit. Furor & rabies crudelissimi istius Tyranni erga homines penitus insatiabilis est: omnia illius consilia, omnia machinamenta, astus, cogitationes, labores, atque conatus aliò non spectant, quam vt vniuersum genus humanum in ruinam impellant. Præterea quotquot sub eo stipendia merent, longè copiosiorem maioremque numerum constituunt, quam homines vniuersi: & adde quod omnibus eadem mens & finis præfixus est, genem videlicet humanam penitus delendi, funditusque extirpandi. Habet præterea alias quasdam auxiliares copias à mundo & à carne, quibus ille ad vnum eundemque finem cõtinuo abutitur, at diuersis & alijs modis. Ingenijs namque hominum non aliter quam proprijs regni sui mẽbris ac partibus naturalibus abutitur: mũdum autem & carnem vt baiulũ, seu equum vel asinum habet: frenum ac capistrum quo ea regit ac flectit, propria voluntas est, fundamentum suæ iurisdictionis, & origo omnium vitiorum, quæ ei ius suum con-

Quomodo Diabolus hominibus vtatur.

conseruant: sicque cuilibet homini spiritum addit ac destinat, qui suggestionibus, persuasionibus, desiderijs, voluptatibus, timoribus, suspicionibus, & mille milleque alijs illicitis medijs, insensibiliter & secreto illum adoritur, & in omnia vitiorum genera passim eum debacchari compellit. Et sicut equus eum nequaquam ac nullatenus persentiscit, à quo pungitur atque feritur, ita ille improbum excæcat ac fascinat, nullo vt omnino modo equitem suum quem dorso fert, videre possit ac intueri. Quoniam autem spiritus ille mille artifex hominem quemlibet in particulari propriam voluntatem habere videt, quæ nequaquam illi subiecta est, nisi per conspirationem occultam, & malitiæ approbationē: ideo vnicuique ea cornua exercitus sui adhibet, quibus quam maximè eum euertere, sicque Cyclopicam quandam confusionem hominum generi inducere valeat. Eam ergo ob causam Regnum contra Regnum, ciuitatem contra ciuitatem,

catem, & domum contra domum extimulat: ita vicinum vicino allidit, hominem contra ſemetipſum, carnem contra ſpiritum, appetitum contra voluntatem, ſenſus contra rationem excitat, & quantum poteſt enititur atque contendit, donec omnia ſurſum ac verſum egerit, ſicque generalem omnibus omnino rebus ruinam induxerit & confuſionem. Propter has & ſimiles qualitates Scriptura ſacra diuerſa ei frequenter nomina imponit, modo Serpentem, Aſpidem, Draconem, Baſiliſcum, Leonem, Lupum, & aliarũ crudeliũ beſtiarum & perniciosiſſimarũ nominibus appellat, & ijs coloribus depingit, quos paulo ante conſpexiſti. PHILOS. Quod ſi is adeo aſtutus, vafer, verſipellisque eſt, quis illius manus euadere declinareque poteſt? THEOL. Euadet ille dico ac declinabit, qui in gratia Dei conſtitutus fuerit, Dei inquam, qui ſapientior, fortiorque eſt, quam omnes omninò maligni & Diabolici ſpiritus: prẹterquam quod ſuperua iſta bonitas & ſapientia, manus huic

Gratia Dei omnem potentiam ac ſapiẽtiam excedit.

huic Leoni inijcit, eius potentiam frenat, astutiam ligat: hinc ergo Apostolus ait: *Fidelis autem* DEVS *est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere*. 1.Cor.10. 13.

Præstant nobis idem auxilium Angeli nostri custodes, qui corpora nostra animasque defendunt, in acie nos ponunt, exercitum instruunt, quo facilius cornuta ista animalia & spiritus malignos superare valeamus. Vnde timorem omnem abijcere nos oportet, assistente videlicet nobis fortitudine Omnipotentis, & diligenti vigilia atque excubijs Custodum Angelicorum. Annitamur potius bonam illius gratiam retinere, legem obseruare, & præbebit confestim nobis materiam vincendi & de tentationibus Sathanicis triumphum reportandi. Verùm hæc in genere hactenus dicta sunt, quæ de inimico nostro cognoscenda nobis esse videbantur: nunc quo ad specialia accedamus, stratagema nobis aduerten- *Angeli Custodes.*

dum est, quo ille vsus fuit ex eo ferè tempore, quo primum homines aggredi cœpit & tentare. Conatur videlicet ille quantum potest mortis memoriam nobis eripere: vt enim DEI salutisque humanæ iuratus ac capitalis hostis est, ita cum Creaturas videt mortis contemplatione, quam maximè vitia auersari, vnum hoc conatur eius vt illis recordationem eximat: certo confidens fore, eo si potiatur voto, reliqua se facillimè obtinere posse ac impetrare. Prima tentatio qua matrem nostram Euam adoriebatur, hæc fuit: *Nequaquam moriemini.* Verum cum postea hominibus nullo id pacto persuadere sibi posse videtur, quippe cum manifesta experientia reclamaret, & omnibus omnino mortalibus semel vita fungendum esse testaretur, conatus fuit aut doctrina erronea, aut ipsius ingenij fascinatione, omnem ijs de morte cogitationem recordationemque susceptam exemptum ire. Habuerunt dogma istud stolidissimi

Astutia Diaboli.

Genes. 3. 4.

mi mortalium Epicurei, & insignes mimi huius asseclæ ac sectatores, vt inter præcepta viuendi, primum esse vellent

Si tua non cupias tristi confundere mille Gaudia, sed placidum traducere molliter ævum;
Esse memor lethi non debes, idqúe timere.

Lucret. lib. 3.

Ecce tibi carmen infernalium istorum bubonum, qui de nocte circumuolitant, tenebras cantant, & quæ ab archimimo illo Dęmone didicerunt, promulgant. Nostra etiamnum tempestate inter omnes quas Iapponij putidissimas habent opiniones, hæc ferè principem sibi locum vendicat, mortisque isthanc obliuionem accuratissimè suis inculcant: credentes cum veteribus Epicureis animam mortalem esse, aliamque beatitudinem quærere non oportere, quam in hac vita: quod nullam ob causam contingit, nisi quia mortis memoriam execrantur, quæ ijs horrorem incutit, & illorum voluptates absynthio longè amarissimo perspergit. Iam si omnem temporum memo-

riam animo ac cogitatione percurras, reperies profecto, animæ mortalitatem, memoriæ mortis detestationem, & ipsorum corporum resurrectionem negatam, coniunctas semper fuisse, & inter sese copulatas. Hinc Saducæi ijsdem planè errorum tenebris caligineque inuoluti, animarum immortalitatem & resurrectionem irridebant, & memoriam mortis longissimè arceri debere existimabant. Vnde Dominus noster ad eorum interrogationem de muliere quæ septem maritos habuit respondens, ait, Deum esse Deum viuentium, Abraham, Isaac, & Iacob: atque quo ijs resurrectionem probaret, animæ prius immortalitatem sibi astruendam esse existimauit; quod videlicet huius veritas cum illius veritate coniuncta esse videretur; sensus autem responsionis hic erat. Existimatis vos adynaton esse, vt mortuum corpora resurgant, quia videlicet mortalem animam vobis esse persuadetis. Verum erratis cæci, Scriptu-

Matth. 22.

pturasque non intelligitis quæ atteſtantur, animæque immortalitati adſtipulantur, dum videlicet Abraham & alios viuere inquiunt, quorum Creator DEVS eſt appellatus. Si namque illi defuncti extinctique eſſent, DEVS iam non viuentium, ſed mortuorum, atque earum rerum, quæ amplius non ſunt, videretur eſſe appellandus: ſicque titulus ille quo Scriptura ſacra eum afficit, dicens eum eſſe DEVM Abraham, Iſaac, & Iacob, id eſt, viuentium, neceſſario corrueret & collaberetur. Si ergo iam anima immortalis eſt, conſectarium reuera erit, corpora aliquando reſurrectura, & cum animabus ſuis priſtinam copulam ſocietatemque innitura eſſe. Inualuerat iſthæc Hæreſis iam tum cum columnæ illæ Eccleſiæ Machabæi viuerent, vnde velut ſingulare deuotionis ſignum in ijs notatum fuit, quando ſolennes preces pro militibus in acie mortuis inſtituerunt. Eratque adeo

Ioſeph. l. 13. ant. cap. 9.

2 Mach. 12. 43.

verum illud symbolum quo Catholici ab Hæreticis discernebantur, quod videlicet DEVM pro defunctis orarent: testificantes fidem suam qua animas post corporum depositionem viuere adhuc & supereſſe profitebantur, illasque per viuentium adhuc in hoc mundo preces refrigerari posse ac adiuuari. Itaque etiam post mortem benignissimi Seruatoris nostri facere diabolus non potuit, quin nouos Saducæos excitaret, qui docerent nequaquam pro defunctis orandum esse. Fuit inter hos Aerius circa annum Domini tercentesimum quinquagesimum sextum, cui postea Lutherus & innumeræ aliæ Hæreticæ propagines succreuerunt. Seminat autem Diabolus istiusmodi zizania non solum vt defunctorum animas omni auxilio ac ope spoliet, quæ crudelissima longè impietas est, & haud scio an non multò immanior, quam si in extrema necessitate aliquis pauperes, ægros, & malè affectos in hospitali deseren-

dos

dos existimaret: sed etiam vt omnem mortis memoriam hominibus euellat, quam ideo odit ac execratur, quod videlicet maxima illam ad bene viuendum moriendumque adferre adiumenta arbitratur: nouit namque veterator ac versipellis ille fieri non posse vt pro defuncto quopiam preces persoluantur, quin non simul de morte salutaris cogitatio suscipiatur & animus hominum ad rectè eam obeundam præparetur. Certè si eorum conscientias appellem, qui in pietatis istiusmodi ac misericordiæ operibus exercitati sunt, certo scio respondebunt facere se non posse, quin Deum pro defunctorum aliorum animabus obsecrantes, simul etiam de sua soliciti sint curamque suscipiant; sicque cõsequenter peccata fugiant, vanitates mundi contemnant, honores, diuitias, delitiasque corporis aspernentur. Iam cum nõnullis alijs diabolus doctrinã istã de mortis obliuione neutiq; posset persuadere, cœpit eos carnis voluptatibus fascinare, & mundi fumis

Precatio pro mortuis facta viuis vtilis.

inuoluere. Habent & hæc noſtra tempora immanem eorum hominum multitudinem, qui credentes Reſurrectionem, Paradiſum, Purgatorium, ac Infernum, ita nihilominus viuunt, quaſi nihil omnino crederent, & quaſi nunquam morituri mortis recordari non volunt. Habes hic nunc primum illud ſtratagema, quo antiquus ille Draco vtitur eo in bello, quod contra humanum genus gerit; neceſſe proinde eſt vt memoriam mortis non aliter quam clypeum aliquem illi obijciamus. Videamus iam quomodo cum malignis iſtis ſpiritibus cõfligatur, & manus etiam, vt ita dicam, conſerantur.

Quid ſit pugnare contra Diabolum.

COLLOQVIVM LXXXI.

THEOL. CONFLIGERE cum Diabolo aliud non eſt quam voluntatem noſtram illius voluntati opponere, peccatum odiſſe, quod ille amari vult, iuſtitiam amare quam deteſtari nos cupit, contemne-

temnere vanitates quas nobis obijcit, aſpernari delicias quas proponit, deteſtari auaritiam quam adornat, & vno verbo, omnibus illius ſceleſtis ſuggeſtionibus reſiſtere, conſilia auerſari, conatusque vniuerſos infirmare. Verum conflictus iſte ſpiritualis eſt, quemadmodum etiam ipſa arma: cum enim contra meros ſpiritus ſuſcipiatur, ſpiritualibus quoque viribus geri eum oportet, ſicuti bellum viſibile viribus corporis ſuſcipitur. Cæterum inter omnes animæ facultates, principem locum volũtas habet, quemadmodum ſupra demonſtrauimus, ita vt quoad cum Deo occupatur, bonum agat & malum fugiat, operando ac moliendo quidlibet contra Diabolum: ita ergo procedendo ſecura eſt, & Diabolus non plus ei nocere poteſt, quam catellus aliquis catenæ alligatus (vtar ſimili Diui Auguſtini) qui latrare, dentibusque ſtridere poteſt, at non niſi eos qui propius ſe acceſſerint mordere. Specta & contemplare mihi pauliſper quomodo duo milites armis ſe

Aug. de tẽp. ſer. 197.

mutuo laceſſant, pectora pectoribus, brachia brachijs, pedes pedibus, & denique ferrum ferro opponant: ad eundem plane modum anima aliqua generoſa inimico & hoſti ſe ſuo opponit, voluntati voluntatem, deſideriũ deſiderio, vires viribus, rationẽ rationi obijciens: itaque cum Diabolus malum vult, hæc contra bonũ ſuadet, cum iniquitatẽ ſuggerit, hæc iuſtitiam amplexatur; ille iſtam telluri allidit, hæc contra in cælũ attollitur, hic mẽdacijs eam irretire conatur, iſta ex aduerſo veritatem mauult conſectari; ſicq; aſſiſtente diuina gratia victoriam reportat, & hoſtem cædit atque confundit. Depingitur autem nobis cõflictus iſte in monomachia illa quã Filius Dei ſiluis deſertoque circumſeptus cum aſtutiſſimo generis humani hoſte inſtituit: monomachia dico, quæ exigui forſitan momenti, ijs videbitur qui nihil niſi corporis vires atque arma commendant, & non niſi hominum bella conflictusque ſpectauerunt: magna autem admirabilisque illis, qui intel-

ligunt

ligunt quid bella spiritualia sint. Et quoniam non mediocrem fructum nobis ea adferre posse videtur, libet eam nonnihil fusius latiusque dilucidare. Recepit ergo Filius Dei tres petitiones siue ictus ab expertissimo illo hoste, quibus celeberrimi quoque fortissimique athletæ percussi hactenus fuerunt & superati: recepit autem illos tempore commodissimo & opportunissimo pro aduersario suo, qui fieri posse non putabat, quin confestim illum à gradu suo dimoueret facillimeque euerteret: videlicet aut per gulam, propter famem, quæ primus impetus erat; aut per præsumptionem, propter sanctitatis experimentum factum in ieiunio miraculoso, quæ secunda petitio fuit, stulta plane & ridicula confidentia stipata; aut per ambitionem & auaritiam, propter abiectam paupertatem, qui extremus ictus fuit, trahens secum idololatriam, vitium omnium priorum turpissimum. Arbitrabatur nimirum ille hominem cum fame

conflictantem, & sicut ipse augurabatur, cum ingenti fame, propter quadraginta ipsos dies ieiunando transactos, facilè illici posse, ad capiendum experimentum sanctitatis, sub specie & colore necessitatis. Expediuit proinde hic machinam suam, instarque strenui militis eam partem occupauit quæ maximè debilis illi esse videbatur. Præsentat itaque illi lapides, quo panem ex ijs conficiat, qui primus ictus erat. Et quoniam certo non sciebat, cum quonam rem haberet, & quia solum hominem illum esse arbitrabatur, ideo leui negotio vanæ alicuius gloriæ vētulo eum mulceri euertique posse existimabat, vnde ait: *Si Filius Dei es.* At ignorabat ille fortitudinem partis aduersæ, nesciebat Christi sapientiam, qui prudentissimè illi respondendo obuiabat atque dicebat: *Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei:* cuius responsionis hic sensus est. DEVS non vni ciborum generi alligatus est, vt creaturam suam sustentet, po-

Vana gloria.

Deuter. 8.3.

test

est namque omnia omninò enutrire absque panis substantia, quemadmodum olim Hæbræos in deserto aluit, non pane, sed manna; & ideo veteratoria isthæc tua persuasio iniqua est, & argumentum ignorantiæ ac diffidentiæ de potestate Dei. Collegit ergo ex hac responsione Diabolus Iesum Christum firma fiducia diuinæ prouidentiæ inniti, non collegit autem Filium Dei illum esse: sed opinione sua frustratus fuit, imbecillitati illius adscribēs, quod miraculum non feciſſet, quod ipse præstolabatur. Vnde proprijs vnguibus oculos sibi effodiens, & propria astutia occæcatus secum ipse ita sermocinabatur. Homo hic reuera non is est quem ego arbitrabar, homo sanctus est, bono animo sis. Confidit in Deo: proprijs armis eū expugnabo, in pinnaculum templi, in locum sanctum transportabo: suadebo illi vt inde desiliat ad honorem Dei, adoriar illum ense scripturæ sacræ, quo se antea defendere voluit: facilis omninò res est homini sancto, in loco sancto scripturæ

sanctæ credere, & in confidentia Dei nonnihil hallucinari & præsumere de illius prouidentia. Cumque iã viderit se à te ex terra in sublimi esse collocatũ, sperare reuera aliud nõ poterit quã Angelũ aliquem ad futurũ, qui eadẽ prouidentia è sublimi loco in humilem delaturus sit, ne aliquo modo offendatur, secũdũ promissionem Dei (quam citabis) id ipsum confirmãtis. Capit ergo secũdum impetum, eum arripit, & trãsfert: patitur se IESVS Christus absportari, quemadmodum postea etiam crucifigi permisit astutijs huius pugilis, quemadmodum pulchrè D. Gregorius animaduertit: translato ergo illi transportatoque inquit:

Hom. 16. *Mitte te deorsum, quia scriptum est,*
Quoniam Angelis suis mandauit de te,
Psal. 90. *vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*

Verùm cùm & istud nequidquam esse compereret secunda responsione efficacissima delusus fuit atq; reiectus; *Deum tuum non tentabis*; planè ac si Dominus noster dicere vellet, Prædicando in me prouidentiã Dei, vis vt per temeritatẽ illũ offendam,

dam, & vt exprimentum de re non necessaria capiens, legem illius preuaricer. Verùm & hic antiquus ille vrsus benè pexus depilatusque decessit: eius vafrities elusa fuit, opinioq; illa penitus dimitti cæpta, qua filium Dei eum esse existimabat; sicq; eadē sapiētia qua ante deuictus, communibusq; armis hominū simul ac Angelorū cum confusione succubuit. Concludit ergo firmiterq; cōstituit, nolle se amplius Filium Dei illum appellare, ac tertio assultu in eum velut purum merumque hominem proruere. Pergit itaq; & locum ab arbitris remotiorē, longinquum, desertūque abducit, videlicet in editum ac excelsum montem: illic maximas tentationum machinas ac balistas disponit, quibus in omni memoria vnquam homines aggredi adoririque consueuit; submittit auaritiam, & mbitionem, adornat aurum & gloriam humanam: existimans fieri omninò non posse ijs vt egenus aliquis ac inops non abripiatur, qualem ipse Deum esse existimabat, nesciens paupertatem

Grauissima Diaboli tentationes.

tem illam ac egestatem non casu illi obueniſſe, ſed ſponte, ſed voluntario, ſed ex contemptu mundi electam & aſcitam fuiſſe. Translato itaque ad hunc modum in excelſum ac editum montis iugum, monſtrat confeſtim illi non cælum aut cæleſte aliquid, quemadmodum olim Deum Moyſi feciſſe legimus: ſed mundum, ſed mundana: promittit mendaciter omnia iſthæc illi ſe daturum, poſtulat impudenter adorari, quod ſummum votorum ſuorum erat: verum recepta aſperrima eluſione ac contumelia plena magnanimitatis audita: *Vade Sathana, ſcriptum eſt enim, Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſeruies*; abſq; buccina receptui cani iuſſit, petitionibusque ſuis ac verberibus ſtrenui aduerſarij acquieſcens, fuga ſibi cōſulendum eſſe exiſtimauit. Fuerunt ergo iſtiuſmodi illæ aggreſſiones ac inſultus fortiores vt eſſe vehementiores non poſſent: occaſiones autem nec conuenientiores optari, nec ipſis machinationibus ſolertius quidquam videbatur poſſe excogi-

Mat. 4. 10.

tari,

tari, secundum opinionem dico emeriti alicuius perduellis Imperatoris: at sensit ille nihilominus rem sibi esse cum athleta, qui lanceas excutere melius quam ille ipse vibrare posset. Porrò omnes istas tres persuasiones breui dissecuit & amputauit fortissimus noster Capitaneus, gladio videlicet omnipotentis sui sermonis: cruentans omni ex parte inimicum suum acutissimis responsionibus contradictorijs, & insigni ignominia confusioneque illum afficiens: quæ reuera ipsa illa vulnera letalia sunt, quæ genius aliquis arrogans & ambitiosus, simulque Princeps filiorum superbiæ excipere possit. S. Iacobus insigne admodũ consilium nobis suggerit, bellè reuera exemplo magistri sui conueniens, quãdo ait: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Cõsonat huic S. Petrus, qui Christianos suos ad fortiter & strenuè contra Diabolum pugnandum incitaturus, sic ait: *Fratres sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret:*

Ignominia, vulnera superborũ.

Iac. 4. 7.

1. Pet. 5. 8.

cui

cui resistite fortes in fide. Cui resistite, inquit, planè ac si totius pugnæ alea in resistendo verteretur, & in voluntatis contra Diabolum ac peccatum (quemadmodum reuera est) obnixum consisteret. Ad eundem modum & Diuus Paulus ait: *Nolite dare locum diabolo*; id est, si superiores ac victores in hac lucta esse desideratis, resistite vigilanter, & cauete ne voluntas vestra aliquid dicat aut faciat, quo ad consensum inimici accedatis: cauete ne per assensum interiorem, neue per verba, aut opera exteriora locum illi aliquem relinquatis; etsi etiam minimus ille esset, & vel leuissimus pilus à vobis peteretur. Qui obsidione aliqua hostili cingũtur, si communi sensu ac ratione præditi sunt, non solum præsidia speculis imponunt, portas custodiunt, murosq; conseruant: sed etiam fossas obseruant, ne videlicet aditus aliquis hosti relinquatur, per quã se ingerere valeat, & sic tandem ciuitate ipsa potiri. Idẽ nobis cõtra Diabolum faciendum est, qui quotidie

Ep. 1. 27.

nos

nos armis suis lacessit, & modò assultu, modò proditione, modò alia ratione propugnaculum & castellũ animæ nostræ occupare conatur: inter quæ illud nos erigere, recreare, ac consolari oportet, quod nos expugnare non potest, nisi ipsi velimus; assistente videlicet diuina gratia, quæ nunquam volentes deserit ac derelinquit.

Hominem esse ciuitatem Regalem.

COLLOQVIVM LXXXII.

VERVM quò plenius planiusq; propositũ istud nostrũ persequamur, quemadmodum meretur, notandum hoc loco venit, hominem Regalem quandam ciuitatẽ videri esse nuncupandũ: quemadmodum eum Plato, & non multò post Arist. appellandum sibi esse existimauerunt. Nec immeritò sanè: si enim microcosmus ille quidam est, quemadmodum abundè supra declarauimus, quantò iustius ciuitatis nomẽ quadrare ei potest, mũdi vide-

THEO. *Homo ciuitas bene cõstituta. Arist l. de com. ani. motione l. 4. pol. c. 4. l. 5. c. 3. l. 7. c. 4.*

Philo de opif. mũdi.

videlicet totius respectu, quem Philo magnam ciuitatem appellauisse perhibetur. Ciuitas verò ista ex duabus admodum partibus constituitur, quarũ prior superior ac princeps est, & tres illas nobilissimas animæ facultates iam sæpius à nobis allegatas complectitur: voluntatẽ puta, rationem, & memoriam: posterior illa est, quæ obedit & inferiorem locum ac dignitatis gradum accepit, hæc alias appetitus appellatur, & in irascibilem concupiscibilemque diuiditur: quæ animæ diuisio in partem superiorem ac inferiorem, primò ab Aristotele tradita, & postea communi Theologorum sententia approbata fuit; quemadmodũ ad alium locum à me dictum fuisse recordaris. sub hoc appetitu facultates vegetatiuæ cõprehenduntur, quæ omnium infimæ sunt. Præcipuũ autem officium ac principale illarũ munus est, omnes vires suas ad diuinam gloriam conferre, & maiorem Dei honorem, qui Rex Regum est, & Monarcha omnium cæli ac terræ Monarchiarum. Secundæ earum par-

Arist. de ani. c 9. 10. 11. l. 1. Eth. c. 13. l. 5. c. 1. l. 1. mag. mor. c. 1. & 6. l. 7. Pol. c. 14. & 15. l. 2. ad End. c. 2. & 6. l. 2. c. 19. l. 9. Mel. c. 2. & 5.

partes sunt salutem & bonum publicum ciuitatis istius procurare, secundum leges & decreta ab eodem Domino perlata. Hoc fine voluntas nostra omnes suas affectiones ad id conferre debet, vt Dominum suũ amet, honoret, timeat, illiq́ue inseruiat; vt omnia amet quæ ille diligit, omnia oderit quæ ille auersatur, omnia fugiat quæ ille abominatur: non solum quia suprema bonitas, pulchritudo, sapientia, potentiaq́ue est; quæ sunt propria motiua magni alicuius amoris ac reuerẽtiæ: sed etiam quia iure naturali diuinoq́ue ad recognitionem clientelam, seruitiumq́ue tenetur, velut omniũ bonorum domino, omniumq́ue dominiorum ac Principatuum, quæ in mundo, corpore, & seipso habet præstandum ac exhibendum. Ad hunc eundem finem ratio quæ volũtatis consiliaria est, & ijsdem legib⁹ obligatur, lumen suum, discursus suos, cõsiliaq́; omnia debet cõferre. Memoria verò quæ Indices & Elenchos consiliorum ac decisionum cõplectitur, capacitatem, diligentiã, fide-

fidelitatẽq; ſubminiſtrat. Hęc eſtil-
la prima pars, quæ in fronte ſua Dei
imaginem præfixam gerit, quemad-
modum ſuperius demonſtrauimus,
& cum ipſis Angelis communis no-
a *Rom.7.* bis eſt. Hic eſt interior ille Diui *a*
22.Eph. Pauli ac Platonis etiam homo. Hæc
3.16. eſt illa pars, quemadmodum accu-
Ariſt.l.1. ratè Philoſophus veſter animad-
Pol.c.3. uertit, quæ ius diuinum ac naturale
& 8.l.7. parti inferiori ſiue appetitui & affe-
c.7.14.et ctionibus explicat, eas moderatur,
15. eas vt *b* Rex ſubditos, ſicut *c* Pater
c *Idẽ l.1.* liberos, *d* pædagogus diſcipulos,
Eth.c.13. maritus coniugem, Herus ſeruum,
d *Idem 3.* & Magiſtratus populum gubernat;
Eth.l.c quæque illas ſuo ductu atque auſpi-
12.&c. cio incedere facit, quemadmodum
primum cælum motu ſuo omnes a-
lios ex Oriente in Occidentem mo-
ueri facit ac circumgyrari. Repræ-
ſentat ergo pars iſta nobis Principẽ
aliquem facilem, doctum, patientẽ,
iuſtum, prudentem, promptum, po-
tentem, & excitatum ad ſubditos
ſuos honorandos ſupplicioque affi-
ciendos: quod rationis proprium
eſt, quæ imaginem perfecti abſolu-

tique

tiq̃ue Regis cum tota ſua aula populoq; nobis repræſentat. Domus autem Regia illius cerebrum eſt, loc' editior, & totius corporis pulcherrimus: vbi anima cũ Maieſtate præſidet, vbi memoria merces ſuas expromit, ratio Concilium habet, & voluntas mandata ac edicta ſua concludit. Secũda pars quæ huic ſubeſt, ab eaq; gubernatur, cõtinet vniuerſam œconomiam ſenſitiuam, & vegetatiuam, cum alijs ad eas pertinẽtibus. Senſitiuam cum beſtijs communem accepimus, vegetatiuam cũ plantis, tametſi nobilioribus in nobis qualitatibus præditæ ſint ac exornatæ. Sunt ergo hic Magiſtratus ſubalternati, eſt minor nobilitas, & tertius ſtatus. Tenet hic primum locum appetitus ſenſitiuus, qui quãuis ſua à natura ad terram & res ſenſuales propendeat, videlicet ob corruptionem peccati originalis, nihilominus rationis capax eſt, & ſi benè accurateq̃ue erudiatur ac informetur, illi obtemperat non aliter quam ſubditus Regi, filius Patri, Diſcipulus pædagogo, vxor ma-

Facultates vegetatiuæ rationis oculis auribusque carent.

marito, seruus Hero, populus Magistratui, & cælum inferius cælo superiori. Iam quod ad facultates animæ vegetatiuæ attinet, quæ alimentis nutrimentisque vacant, incrementumque & generationem corporis spectant, eæ humiles sunt & terrestres, oculis auribusque destitutæ, totaliter surdæ & rationis edicta non audientes. Aduenit autem & hic sæpenumerò illud quod in corporibus mysticis Rerumpubl. & familiarum contingit, quod videlicet membra omnium maximè hebetia atque obtusa, omnibus plus rebelent, ac minus obtemperent. Videmus id in Regnis, in scholis, in congregationibus religiosis, in acie, ac ciuitatibus contingere: in quibus si stolidus aliquis, si insensatus, si natiuus aliquis asinus bellè auritus, & obtusi ingenij ad instar incudis reperiatur: hic primus erit qui contra Dominum suum insurgere audeat, qui contra Præceptorem, contra Superiorem, Capitaneumque sese opponat, freni ephippijque impatiens: anima autem generosa & bene

Stupidi immorigeri.

Animi generosi stimulos curant.

nata

nata, tractabilis est, disciplinæ aurē accōmodat, calcaria admittit, nihilque nobilius arbitratur, quā legibus obedire, rationi subesse, & omnibus rectam honestamq; vitam præsignātibus morigerari. Quemadmodum enim inter omnia elemēta terra stolidissima (vt ita loquar) est, minimè tractabilis, & pigerrima; contra aūt ignis vt nobilissimus, sic maximè agilis morigerusq; est: ita etiam inter homines nonnullos videas adeò in stupore suo confirmatos, vt non ineptè pondus ac terra hominum videantur posse appellari: è diuerso autem nonnullos inuenias, qui naturam igneam sortiti subesse didicerint ac obtemperare. Cæterū huius appetitus habitatio cor est, quemadmodum etiam passionum, eandē cū illo familiam constituens: passionū autem quatuor principales sunt, lætitia tristitia, spes, & timor, aliæ ab his dependent, de quibus infra sermonem instituemus. Imperat autē ille & dominatur sub voluntate sēsibus interioribus pariter ac exterioribus. Interni secundum vulgarē

Fern. l. 5. Phys. c. 9. 19.

Fern.l.5. Phyſ.c.8. Ariſt.l.3 de an.c. 2.& 3. l. de ſenſu c.7.

opinionem ſententiamq; tres ſunt, ſenſus cõmunis, imaginatio, & memoria, non illa quæ ſuperiori animæ parti annumeratur, ſed alia quædam corporea, & cum beſtijs nobis communis. Hi tres ſenſus appetitui velut quidam conſiliarij aſſiſtunt, eiq́ue lucem ac facem præferunt, quò faciliùs ad ea feratur quæ bona ſunt, & illa auerſetur, quę mala ipſe exiſtimat, ſicque functiones ſuas in negotijs bonum particulare corporis concernentibus exerceat: in quo non abſimiles ſunt à Nobilibus Cubicularijs, inſeruientes videlicet voluntati Reginæ ſuæ, & Rationi ſanguinis Dominæ. Ob hanc etiam cauſam habitationẽ ſuã concilio priuato, id eſt, cerebro, quod Reginæ Palatium eſt, vicinum contignumq́ue habent. Habet deinde ſub ſe idem appetitus quinque ſenſus exteriores, Viſum, Auditum, Olfactum, Guſtum, & Tactum; qui communes quidam hujus Reipubl. Officiales ſunt, qui nihilominus ad interiores, velut Receptores particulares ad Quæſtores & Theſaurarios

rios generales referuntur, quorum quilibet suam prouinciam habet, sua organa, & locum singulis assignatum. Visus oculos insedit, per quos non aliter quã portas quasdam colores diuersos intromittit, & ijs ad salutẽ publicã vtilitatẽq; vtitur; Auditus aures, Gustus Linguã & Palatũ, Olfactus Nares, Tactus omnia membra occupauit, præcipuè verò manum, quæ omnia tangit, omniaq; permeandi obeundiq; facultatẽ accepit. Oculi munus est colores consectari, auris sonos captare, odorat⁹ odores persequi, gustus sapores venari, & tactus calida, frigida, sicca, humida, molliaq;, & alia his similia distinguere. Omnes aũt sua isthęc ad sensus interiores deferre, sensuiq̃ue cõmuni assistere debẽt: cuius imaginatio & memoria portiones allatas accipit, eas subtiles facit, & propè spirituales reddit; quò videl. accõmodatæ dignæq; fiant, quæ aliquãdo in mensa Reginæ illius deponãtur: quæ quia merus spiritus est, ideò tãtũ rebus spiritualibus ac suæ naturę conformibus pascitur; præsertim aũt

quæ à sensibus nobilioribus & excellentioribus, oculo videlicet, aure, & odoratu inuehuntur. Primò enim illo mediante Cælum intuetur; pulcherrimamq; illam totius Vniuersi picturam contemplatur, & postea in cognitionem excellentissimi illius sapientissimiq; Architecti digreditur. Per secundum verbũ diuinum audit, quod etiã instar ferculi cuiusdam est, per quod bonitatem, sapientiam, aliasq; perfectiones Domini sui degustat. Odoratus deniq; qui bestijs tantum ad odorãdum datus concessusque est, longè hic nobilius excellentiusq; officiũ sortitur, dum nimirum animæ ipsi inseruit, quo facilius diuersos odores percipiat, & ex ijs scientiam consequatur. Vltimus ac postremus, quique reliquis hebetior obtusiorq; est, æquè etiam ab appetitu instruitur; qui quendam voluntati vicariũ agens, si morem gerere & officij sui limites non transilire didicit, vnum hoc agit vt sobriè ac moderatè alimonia per singulas membrorum familias distribuatur. Hinc eandem me-

mediãte guſtu ac tactu ad ſtomachũ tranſmittit, qui communis officina eſt, & vegetatiuæ paret; à qua facultates attractiua, retentiua, & cõcoctiua velut tyrones culinarij, expulſiua autem velut cacaborum repurgator inſtruuntur. Quæ etiam facultates diurnum ſuum laborem exequi tenentur, quò videlicet partibus nobilioribus, & illarum culinis, ac publico bono melius conſulatur; quod ſi etiam nonnunquam egeant, tum verò niſi re perfecta non egrediuntur, etſi ratio aliud iubeat, adeò videlicet terreſtres ſunt, adeò immorrigeri, ſtupidi, hebetes ac obtuſi. Ex hac culina menſam ſuã inſtruunt Quæſtores & Intrinſeci Regiæ Maieſt. puta ſẽſus interiores, ac exteriores, ſecundum præſcriptũ appetit⁹ ſenſualis, à volũtate & ratione ad id inſtigati. Cum his etiam accũbunt Theſaurarij, Præfecti Aerarij, Mercatores, ac alij. Primus Theſaurarius neruorum truncus eſt cerebri origo, eius pecunia ſunt ſpiritus animales, quos nerui per corpus vniuerſum diffundunt;

S. Thom. op. 43. c. 2. Fern. l. 5. Phyſ. c. 4. Al. Mag. in ſumma de homine.

Pecunia nerues Reipub.

vt enim rerumpublicarum neruus est? ita nerui corporis quædam pecunia sunt. Et sicut pecunia corpori mystico rerumpublicarum motum confert, quemlibet laborem suum faciens exanthlare; ita nerui motum ac sensum omnibus partib' corporis naturalis indulgent. Præcipuus ærarij præfectus cor est, in corporis meditullio situm, accipiêtes corpus cum Galeno pro ea parte quæ inter collum ac vmbilicum interest. Hic illustri domo satus vniuersum regnum moderatur, & præcipuas gazas colligit, quæ sunt spiritus vitales, quos ille in cistis Reginæ deponit: soluens cuilibet officialium salarium suum mediantibus arterijs, quæ cuilibet certum annorum ac pecuniarum numerum repræsentant, ita vt absque illis foret vniuersa mererentur. Mercatores etsi infiniti sunt, duos tamen præcipuos habent venarum videlicet truncos, quarum vna Porta, altera Caua appellatur. Horum negotiatio in eo consistit, vt spiritus vitales in hepatis officina instruant,

Vena Porta & Caua.

ſtruant, qui poſtea mediantibus alijs venis velut minores negotiatores noctu ac interdiu in corporis ſuſtentatione occupantur. Totus ergo corporis huius mundus ordinariam ſuam menſam à ſtomacho accipit, opera appetitus ſenſitiui, ſingulorum autem vita & labos communem ſemper ſalutem ſpectat ac incolumitatem. Cætera minora membra, & organa, vti pedes, qui maiores & robuſtiores Baiuli ſunt, ſplen, fel, & partes abiectiores, quæ quidem operatij ac vulgus ſunt, modo ſupradicto motum ſuum, alimenta, & vitam beneficio Exactorum, Quæſtorum, Officialium, ac etiam Mercatorum conſequuntur; quibus omnibus illi operam ſuam locant, quo videlicet panem lucrentur.

De partibus & officijs appetitus sensitiui.

COLLOQVIVM LXXXIII.

THEO. *Duæ facultates appetitꝰ sensitiui irascibilis & cõcupiscibilis. Aristot. l. de motu an. c. 3. Thom. 1. p. q 18. a. 8 q 25. de Verit. a. 2. Facultas concup. & illius partes. Flam. l. 1. de fel. c. 12.*

IAM appetitꝰ sensitiuus qui in hac parte, quemadmodum diximus, vices voluntatis agit, ex duabus facultatibus conficitur, irascibili videlicet illa & cõcupiscibili. Quorum hæc sub se amorem, desideriũ, voluptatem, odium, timorem, tristitiamque complectitur: altera quæ irascibilis dicitur, affectiones istas sub se continet, videlicet spem, desperationem, timorem, audaciam, & iram. Hæc similiter ad bonum persequendum, & malum fugiendum edocta est, verùm difficultatem quandam annexam sibi habet, non exiguam puta illam aut vulgarem. Vt autem bonum aliquod persequatur, spem habet, quę desideriũ quoddam ardens excelsumque est: quod si interdum minus se consequi indipiscique posse arbitretur, confestim in desperationem prolabitur, quæ coacta affectio est. Vt autem malum

malum fugiat ac auersetur, timorem, iram, audaciamque accepit. Timor, qui diligens ac sollers quædam fuga est, longè à malo illo se aufert, priusquam eo plectatur. Audacia animosè illi se offert ac obijcit, cum appropinquat. Ira ei resistit ac reluctatur cum iam in foribus præsensque est. Omnes verò istæ passiones in voluntate vnitæ sunt, sed absque passione, & meliore vinculo, nisi corrumpatur, & vero etiam generaliore: quemadmodum verbi causa amor quidam est, sed spiritualis, & alterationis corporeæ expers, cœlestis & Angelorum amori similis, capax amandi non modò bonum particulare & præsens, sicut amor sensualis & bestialis, sed etiam Deum, virtutem, cœlum, & omnia illa quæ ei sub boni titulo ac nomine offeruntur obijciunturque. Eodem planè modo spes, desiderium, timor, & reliquæ affectiones vnitæ hic reperiuntur, quæ in partem istam inferiorem diuisæ, minusque præstantes sunt: quibus nihilominus

Irascibilis & illius partes Spes, & desperatio. Audacia. Ira. S. Thom. 1.2 q.22. ar.2.3. De malo q.8.ar.3. De verit. q.6.a.3. l.1. contgent.c. 89.et 90. Amor voluntatis generalis.

nus voluntas pro commoditate ſua vtitur, non aliter quam eques aliquis equo ſuo ac iumento. Hinc ergo fit quod Paſſiones Pegaſorum inſtar ſunt, quæ bene edomitæ, & freno temperantiæ, calcaribuſque fortitudinis acceptis, mirabile illi adiumentum in bellis negotijſque ſuis præſtant. Cùm verò appetitus iſte ac paſſiones frenum recipere aſpernantur, ſed huc illucque more efferorum equorum diuagantur, tum verò animam in mille pericula damnaque præcipitant, & ſi conſentiat, pedibus miſerandum in modum proculcant. Vnde factum fuit vt veteres illi paſſiones iſtiuſmodi indomitas Furias quaſdam appellarint; & merito. An enim Furiæ quædam non erant amor, deſiderium, triſtitia, & ira Aiacis? qui cũ immoderata cupiditate & amore Achillis arma deperiret, ſtolido impetu ad caducum iſthunc honorem ferretur, tantæ triſtitiæ dolorique ſe dedit, vt cerebrum perderet; tanta-

Paſſiones indomitæ Furiæ. Lact. l. 6. c. 19.

que

taque iuxta ira excanduit, vt porcos contrucidarit, hostes suos esse existimans, seque ipsum denique ferro induerit? Iam perditi flagitiosique Neronis amores immoderata lingua ac venter, annon furiæ quædam erant, quæ ipsius animam miserabiliter pedibus protriuerũt, & eas infra bestias, ac demum ipsũ in infernum abiecerunt? Annon erat furia ista quædam infernalis & viua imago Diaboli, hostis capitalis generis humani, odium illud Misanthropi Timonis Athenienſis, qui oẽs homines deleri optabat, eosque in plano congregatos publicè vt lõgas se literas facerent inuitabat? Annon furiosa ista quædam passio est, tametsi furiosi sensu carere ferantur, qua plerique; nostra tempestate mortalium auaritia ardent, totique in eo sunt, vt metallorum auri argentique; mõtes extruãt, cælũ & bona immortalia perdãt, nõ intelligẽtes interim animas se suas Diabolo debere & Inferno? Pytition tertius magni illi⁹ S. Antonij successor, cum de ijsdem passionib⁹ verba faceret, dicere soleCc 6 bat,

Pall. in vitis Pa. 74.

bat, certos Diabolos esse, qui passionibus istis abutentes, quemlibet hominum secundum naturam humoremque illius aggrediantur: sanguineos & cholericos per iracundiam, humiles & sordidos per inuidiam, luxuriosos & voluptuarios per amorem, apprehensiuos per timorem, pusillanimes per desperationem, auaros per cupiditatem, suspicioſos per phantasias & imaginationes, gulosos per intemperantiam, leues per vanam gloriam; sicque quamlibet cornutarum istarum bestiarum, per cornua, & quemlibet asinum per longas suas aures abripiant atque abducant. Non abludit ab his eorum sententia, qui Passiones istas effrenes Diaboli equos appellarunt, delectatur enim admodum superbus ille & inflatus eques bestijs istiusmodi indomitis, vt videlicet earum ope homines passim in mille flagitiorum præcipitia agat, & ipsis bestijs contemptiores efficiat. Itaque si nos in propriam pernitiem faciles esse non volumus, subtrahatur illis fœnum

tum & auena, quo videlicet strigosas & macras Diabolus ascendere dedignetur: Adhibebitur ergo hic Paulinum illud, *Castigo corpus meū*, quod instar, periti pocillatoris, pinguia ista ijs subtrahet, easque docebit quomodo non lasciuire debeant, ac multò minus saltare, quēadmodum Sybaritas olim magno suo malo factitauisse accepimus; docebit illud inquam illas rectè incedere, pedem firmiter ponere, & certo gradu iter suum emetiri. Iam quemadmodum in bene aliqua constituta ciuitate, alij alijs suppetias ferunt, nobiles plebeis per beneficia, plebei nobilibus per seruitia, sicque omnes omninò serui quidam sunt ab vno capite dependentes: ita etiam hic fieri existimandum est, caput membra adiuuat, & membra caput, exteriora interioribus opitulantur, & vnumquodque alteri spatulas ac humeros subijcit, pedes corpus portant, oculi pedem ducunt pro corpore, manus pro vniuersis istis negotiatoribus &

1. Cor. 3. 27.

Plin. l. 8. c. 42.

ſtomacho ipſo operantur. Hepar calorem ſtomacho impertit, quo culinam ſuam calfaciat, ſtomachus viciſſim culinam illi ſuam elargitur vt ſanguinem inde conficiat. Pulmones cor refrigerant, cor epulis ſuis ſanguineis ac delicatis eos reficit ac paſcit. Omniaque demum ab anima non aliter quam à Regina legitima gubernantur. Iam ſicut etiam in ciuitatibus turbas ac rebelliones contra ſuperiores, adeoque etiam inter ipſos ſubditos eſſe conſpicimus, ita etiam in hoc Imperio fieri rectè is exiſtimabit, qui intelliget ſæpenumero fieri, vt paſſiones iſtæ partesque humiliores contra ſuperiorem illam inſurgant, rebellionem in animam excitent, ſicque hominem in varia vitiorum genera tranſuerſum agant; fieri deinde etiam conſueuiſſe, vt partes illæ corporis humiliores inter ſe turbent, humores & affectiones bellum inteſtinum gerant, & ſic ipſum corpus diuerſis morbis conficiant. Denique Reſpublica melior

ſanctior-

sanctiorque reperiri non potest, quam illa ipsa de qua loquimur, in qua ratio imperat, assistente videlicet spiritu Dei fundatoris pulcherrimæ istius Reipublic. adeò, vt omnes reliquæ ad huius se exemplum componere conformareque debere videantur. Et hanc reuera ob causam sanctus Paulus corpus mysticum Ecclesię, quę pulcherrima Monarchiarum est, cum nostra ista comparat: demonstrans plura simul membra esse ab vno spiritu gubernata, quæ se inuicem adiuuare debeant ad exemplum corporis alicuius naturalis, & alter alterius onera, sicut in alio quodam loco docet, portare. Cæterùm si ego descriptionem hactenus istam ex meditullio Philosophiæ vestræ mutuatus sum, & aliæ messi falcem meam immissi, id verò tibi adscribendum est, qui omnia me vndequaque conquirere voluisti, vt funebre istud conuiuium lautius aliquando te præsente agitaretur. PHILOS. Absit mihi quæso ista hæc protestatio, si namque Philosophia nostra ac illius

Rom. 12. 4.

1. Cor. 12. 21.

Philosophia pedissequa Theologia.

lius bonis vteris, id vero merito & iustè facis: quippe cum illa Theologiæ vestræ ancilla quædam pedisequaque sit. Vt autem te accusem quasi in mea bona inuolaris, tantum abest, collaudo potius, quodque ijs tam pulcrè commodeque vsus fueris vehementer commendo. Prædicabunt te etiam mecum & gratias tibi agent ipsi Medici, quos contemplatio ista & structura humani corporis propius concernit, quod videlicet eorum anatomiam spirituali plane pulcherrimoque filo descripseris. THEOL. At non parum ego animi pendeo, ne non molestissimè illud ferant, quod plæraque eorum tacitus prætereij quæ maximi apud illos sunt, quodque nonnullas partes humiles ac viliores appellarim, quas illi nobiles dicunt. Verum appellabo ego ad Iudicem ordinarium, si ita res tulerit, & illud pro me allegabo pluribus, alijsque opus me non habuisse, quam quæ mihi Theologo Theologicè de rebus Theologis differenti inseruitura videbantur: sicque futurum spero vt

aut

aut illi causa cadant aut ego saltem ad sumptum & impensam restituẽdam non compellar.

Quibus modis Diabolus homines tentet.

COLLOQVIVM LXXXIV.

FACIAMVS iamnunc quod instituti nostri ratio postulat, præfatamque descriptionem spirituali isti bello accommodem⁹. Tantum enim tamque inueteratum Diaboli aduersarij nostri in ciuitatem istham odium est, nunquam vt ab illa oculos detorqueat, nunquam vt ab ea inuadenda expugnandaq; modò vi, modò astutia, ferietur. Et ideò Scriptura sacra astutiam vafritiemque illius descriptura, Draconẽ & Serpentem eum appellat: dicitque eum circumire quærendo quem deuoret, quod impiam illius intentionem & calliditatem demõstrat. Quemadmodum è contra eædem diuinæ literæ hominem iustũ, rectum corde, & bonam honestamq; actionem, rectam nominant. Hinc etiam

THEO. *Apoc. 12. 9. 20. 2.*

etiam factum fuisse existimandum est, quod cum in Iob Deus Diabolo per proprium os malignam suam intẽtionem vellet exprobrare, eum interrogarit: *Vnde venis?* cui ille respondit: *Circuiui terram, & perambulaui eam*; cum directè respondere debuisset, Venio ex Oriente aut Occidente, aut ex alio quopiam loco, respondet ergo, ac dicit, non vnde veniat, sed quid egerit: ostendens obliqua sua responsione & eo quod fecit, linguæ actionumque suarum tortuositatem. Respondet inquam circumeundo, & exponit quomodo ambularit circumiens. Circuit itaque ciuitatem istam, sicut venator qui feræ, sicut auceps, qui volucri, aut sicut Leo, qui prædæ insidiatur. Conuertitur ille primo ad sensus exteriores, & per eorum portas nouum aliquid intromittit, aut bonum malumve aliquod temporale ingerit, vt videlicet animus hominis ad id vel euitandum vel consequendum contra legem DEI inuitetur, sicque diuinam Maiestatem opere verbove offendat. Patefacto

Iob 17. & 1. 2.

Diaboli primo sensus exteriores inuadunt.

facto ergo ad hunc modum primo illo aditu, confestim ad sensus interiores conuertitur, & præcipuè ad imaginationem transit, in eaque quantum potest, rei iam perceptæ apprehensionem fingit ac depingit. *Imaginatio.*

Sequitur sensualitas, quæ continuo excubat per dictos sensus, & obseruat num fortassis sensualis aliqua præda sibi offeratur: quam simulac animaduertit, excitat confestim vulgus passionum suarum, eam ad prædam inuitat, quo aliquando illa potiatur, & illius voluptate perfruatur. Huius cognitionem postquam Ratio, quæ in edita specula ac turri sedet, tam per imaginationem, quam per partem concupiscibilem accepit, adest repente, & quod sibi repræsentatum fuit, diligenter admodum solerterque examinat: cumque id legi diuinæ aduersari contrariumque esse intelligit, defert extemplo ad voluntatem, quæ si id amore non apprehendat, sed ex consilio rationis auersetur, peccatum plane nullum committitur, quia videlicet consensus *Examen Rationis de obiectis.*

non

Prouidẽtia Dei in cõseruãdo homine à peccato.

non acceſſit. Vbi admiranda ſane cæleſtis illius Architecti prouidentia elucet, qui quo voluntatem muniret, ne aliquando in peccato interciperetur, diuerſas in illius propugnaculo portas conſtituit, quas cum neceſſario aduerſarium Diabolum tranſire oporteret, fieri non poteſt quin eum ſi velit agnoſcat, conſilium petat, arma contra illũ corripiat, ſicq; animosè illo depulſo cum peccato adulterium non committat. Verum ſi voluntas à ſenſualitate malè feriata ineſcetur, ſicque rationem repellat, ſuggeſtionemque carnis & diaboli amplectatur: donans illi conſenſum ſuum, aut reipſa ac verbis id quod ſuadetur exprimat; tum vero peccatum committitur, & propugnaculum occupatur: emigrat deinde diuina gratia, Diabolus voluntatem eligat, rationi puluerem in oculos ſpargit; tradit claues ciuitatis ſenſualitati, & Heræ ſuæ Heram conſtituit, imaginationem in locum rationis ſuffecit: reddens hominem, ſicut Propheta Regius ait, ſimilem iumentis inſi-

Peccatũ completum.

Effecta peccati. Pſal. 410. 13. 21.

Homo per peccatũ beſtiæ ſimilis.

insipientibus, quibus appetitus sensualis imperat ac dominatur; apprehendit tunc cursores illos suos indomitos, quibus, si diutius loco & munitione potiatur, fœnum auenamque voluptatum, & vanitatis carnalis subministrat, sicque penitus efferatos cõscendit, & in quamcunque partem libuit contorquet ac flectit: cum interim infelix illa à sponso suo derelicta, gratia diuina destituta, consilio rationis spoliata, & carni subdita, aurum suarum affectionum plumbo passionum commutat, aliud non amat præter carnem, hanc appetit, hanc desiderat, propter hanc turbatur ac contristatur: illius facultates aliud non sunt quam caro, salus propria ipsi displicet, virtus sordet, ac cælum putet. Sicque denique mancipium sui inimici effecta, cæca oberrat, plenaque lethiferis vulneribus, ad præcipitium æternę mortis fertur, nisi Deus misericordia commotus, eam ex manibus ac vinculis famosi illius adulteri & animarum Homicidæ eripiat: qui adeo ordinem huius Rei-

Anima carnalis.

Reipublicæ ac politiam euertit, vt Cyclopicam quandam confusionem illi inducat.

Descriptio lapsus Adami.

COLLOQVIVM LXXXV.

THEO. VERVM quemadmodum paulo ante in persona secundi Adami, qui est IESVS Christus, viuum exemplum victorię glorioſissimæ conſpeximus: ita nunc Adami veteris lapsum consideremus, quo videlicet pleniorem perfectioremque huius scientiæ cognitionem indipiscamur. Ecce tibi in ipsis mundi incunabulis inimicum hominis, qui tectus pelle serpentina, huc illucque obambulat, & tandem ad Euam veram sensualitatis figuram conuertitur. Quæ decepta per suggestionem aduersarij, perque proprios sensus, & per ineptam ac stultam imaginationem, quæ illi insinuabat fructum hunc vetitum multò quam sapidissimum esse, quod præsertim & oculis lenocinaretur, & visu gratus foret, eum ap-

Gen.3.1.

pre-

prehendit, manducat, marito repræsentat, atque vt idem faciat persuadet. Ille ergo etsi, sicut Eua, deceptus non fuerit, quemadmodum bene Apostolus animaduertit, *1. Tim. 2.* cumque cor masculum ad resistendum habere deberet, fœmineam voluntatem maluit demonstrare. Quare contra conscientiæ suæ consilium malum præmordens, & mortem comedens, animam suam antiqui illius serpentis coloribus aspersit, quibus postea in vniuersam posteritatem transfusis, ea non paulò ineptior maioribus suis effecta fuit; & tanto etiam minus idonea, quia protoplastus noster Euam suam separatam habebat, constituentem præter se aliam ac diuersam personam, cum contra nos Euam nostram indiuiduam habeamus ac circumferamus. Eua nostra caro nostra ac sensualitas est: hæc illa est quam Sathan accessit, quæ spiritum, Adamum suum sollicitat, & ad parendum appetitui inuitat. Nostrum ergo est illi resistere, eam vt fatuam depellere, quemadmodum Iob vxori suæ *Eua nostra est caro nostra.* *Iob 2. 10.*

ri suæ fecit. Hæc est illa pars, quam Theologi nostri, sicut sæpius hactenus diximus, carnem appellant, sensualitatem, partem inferiorem hominis antiqui, veteremque Adamum: & eum qui se ab illa regi patitur ac gubernari, nomine hominis sensualis, carnalis, ac animalis afficiunt: quippe qui aliud non quærit, quam caduca corporis bona, secundum consuetudinem bestiarum: hæc denique bestia illa est, quæ proprijs cornibus magistrum suum Adamum lacessiuit. Vnde sicut illius voluntas per inobedientiam à Domino suo ac Deo suo distracta auulsaque fuit: ita confestim rebellionem in membris suis persensit, quæ alioqui sine expresso illius mandato contra illum se commouere ausa non fuissent: & quod maximè deplorandum est, quodque in seditionibus popularibus ferè euenit, infimæ abiectissimæque partes summum locum occuparunt, & imperij gubernacula rationis manibus excusserunt: vnde miseriæ suæ pudore perfusus latibulum quærere,

Vetus homo.

Homo animalis.

Genes. 3. 10.

rere, & fugam circumspicere incœpit.

De victoria Animæ.

COLLOQVIVM LXXXVI.

MANEAT ergo iam nunc victoriam & incolumitatem paruæ huius Monarchiæ, in eo consistere, vt voluntatem rectam, contraque vniuersas Sathanæ suggestiones, & sollicitationes Euæ nostræ constantem immobilemque teneamus; ad quod consequendum mirabilia nobis adiumenta adfert continua assiduaque mortis meditatio. In ea namque turpitudinem peccati euidenter cognoscimus, & deformitatem ac malitiam Diaboli, peccati patris, & mortis aui clarè manifesteque perspicimus. Hac ergo scientia voluntas nostra illud consequetur, ei vt se totaliter opponat, & velut proprio odij sui obiecto resistet; quippe cum illius natura sit fœda malaque execrari, & contra bona formosaque amplexari. Execrabitur THEO.

Quomodo Diabol. odisse oporteat.

ergo Diabolum, non quatenus creatura est, sed quatenus ex diametro pulcritudini diuinæ aduersatur, & quatenus omnium malorum hominibus author est, puta mortis animæ & corporis. Auersabitur illam quantum poterit, imo plus quam ouis lupum, gallina vulpem, dama leonem, taurus ac vitulus vrsum, & miluum columba. Si interdum contingat antiquum illum serpentem impium quid ipsi suggerere, auertet confestim faciem suam, & illi quantumuis exiguum etiam sit, non adhærescet: contemplabitur mortem, opus & facturam nebulonis illius, quo videlicet illum detestetur, & ad Deum vitæ authorem tutissimumque asylum confugiet. Quod si amplius instare ac persequi perrexerit, & maiorem vim adhibere conabitur, tum verò fortis ac generosa anima in munitionem & propugnaculum se suum recipiet, nouas copias auxiliares colliget, nouas acies pugnantium virtutumque rationum, & potentium desideriorum ac bonorum

rum operum instruet, quo ita demum assistente gratia diuini numinis victrix glorioſa euadat. Aderit extemplo ratio, & in silentio voluntatem ita affabitur: Illine tu aurem accommodatura es, qui ex mendacijs conflatus est, & aliud non cogitat quam vanitatem, aliud non loquitur quam deceptiones, & aliud non suadet quam fraudes? Ad illum tu accedes, qui corde, ore, & manibus, venenum, pestem, flammasque circumfert; quibus infecit cęlum & cæli stellas inflammauit? qui tertiam partem angelorum sociorum suorum qui ipsum accesserant in æternam mortem pertraxit? Cum illone tu pacem initura es, qui perpetuo bello suum tuumque pariter Creatorem lacessit? qui vnum hoc studet, quomodo videlicet te excoriare, sitim suam crudelissimam sanguine tuo sedare, & tuis visceribus rabiem suam possit exatiare? Illum tu amabis, illum obseruabis, qui extremè turpis ac deformis, totusque pauper est, nisi forte astutias, iniquitates, & supplicia spectes, quib⁹

Colloquium animæ cum seipsa.

Apocal. 8.12.

ditissimus est, & eos qui illi seruiunt copiosissimè remuneratur? illine tu ergo propter talia præmia ministrabis? Contra autem supernam illam bonitatem, incomprehensibilem potentiam, ac infinitam bonitatem derelinques, quæ ex nihilo pulcherrimam hanc in tui gratiam mundi molem fabrefecit, insculpens tibi imaginem sanctæ suæ diuinitatis, quo videlicet pulcrioris adhuc mundi capacem te efficeret: vt illi inseruias qui aliud non scit quam peccare, quam occidere, quam animas in Infernum præcipitare, quorum quodlibet millies ac millies nihilo peius est? Illine tu inseruies, qui inuidia extimulatus patri tuo ac matri tuæ collum fregit, & in illorum familiam olim nobilissimam, ornatissimam, optimeque constitutam nihil quam ignominiam, paupertatem, confusionemq; effudit? qui mortem in illorum Paradiso plantauit, qui arborem corruptionis in amœnissimo illo viridario, vita delicijsque omnibus affluente depanxit? Illine

Furia-

Furiali cadauere vinculo infidelitatis deteſtando te innectes, ſponſumque tuum abiurabis, qui te deſponſauit, ipſumque illum contractum ſanguine ſuo pretioſo confirmauit? An ergo Regem Regum derelictura es ob Tyrannum omnium Tyrannorum? vtrum pulcritudinem ob turpitudinem, bonitatem ob malitiam, diuitias ob paupertatem, gloriam ob infamiam, quietem ob pœnas, vitam ob mortem, lumen ob tenebras, cælum ob infernum deſeres, quo videlicet illi te emancipes, qui te execratur, tibi inſidiatur, & indeſinenter abſque vllis inducijs te perſequitur? Qui ex toto illo pulcherrimoque vniuerſo carnificinam, & cadauer quoddam generis humani effecit? quis ex corporibus hominum ſimetum, & ex illarum animis monſtra formidoloſa effecit? & qui ex te & corpore ſimul tuo, ſi modo poſſit, miſerabile ſpolium Inferni efficiet? Abſit, Abſit, potius tu mihi omnia toleres quæ tolerari poſſunt, quam vt Creatorem tuum, Patrem tuum, & Re-

Reſolutio Animæ deuotæ.

demptorem tuum derelinquas, quo videlicet antiquo illi generis tui persecutori adhæreſcas. Age ergo cor meum, attollere & inflare contra Bubonem iſtum, excita vires tuas contra monſtruoſam iſtam beſtiam, aperi te receptura præſentiam Domini tui IESVS, qui te docebit modum bene reſiſtendi, & opem adferet vt gloriam victoriamque reportes. Hunc in modum Ratio ſermocinabitur, ſicque voluntas pulcherrimis iſtis ſimilibusque conſilijs inſtructa, & ſanctis deſiderijs corroborata, iuxtaque aſſiſtentia Dei ſui ſuſtentata, opponet ſe hoſtis inſultibus, cum firmo conſtantique propoſito malle ſe mille tormentorum generibus excarnificari, quam ſe dedere, aut vlla ratione, perditis iſtis conſilijs aſſentiri.

De apparatu animæ ad pugnam.

COLLOQVIVM LXXXVII.

THEO. *Diligentia animæ deuotæ.*

AD hunc ergo modum anima in propugnaculum ſuum ſe recipiens, ſpeculas occupabit, ingruentia obſeruabit, eminus occa-

occasiones præuisas resecabit, loca suspecta varijs stratagematibus muniet, quinque sensuum exteriorum portas custodiet, aditum omnem exploratoribus curiositatis occludet, præsidia virtutum conquiret, speculas vigilantiæ extruet, examen conscientiæ sub noctem instituet, propugnacula & excubias singulas perlustrabit, & sicubi forte filium pigritiæ, vanæque gloriæ reperiat, qui vigilijs indormiat, si spiritum aliquem pusillanimitatis, aut alium quempiam inueniat, qui aduersæ hostiliqúe parti fauere videatur, eum ille confestim aut corriget, aut per secretam confusionis portam eijciet, ne tumultuarius aliquis clamor inutilis exoriatur. Atque ne etiam somno locus vllus relinquatur, & ne forte illud eueniat, quod multis obsessis ciuitatibus accidit, *Inuadunt vrbem somno vinoq; sepultam.* 2. Æn. Edicet per omnes ciuitatis suæ parochias ieiunia, interdicet conuiuia, & expresso mandato appetitui sensuali prohibebit, ne vllos cibos aut culinam aliquam in stomacho

Portas sẽsuum exteriorum diligẽter custodiẽda.

patiatur, & commeatum aliquem reliquis corporis partibus submittat: nisi semel tantum in die parum panis & aquæ, cum fructibus aut pisciculis paucis cum necessitas videbitur postulare. Iam cum inimicus colloquium instituere volet, aurem ei nequaquam accommodabit: reminiscens Euæ matris nostræ, quæ hac ratione fuit decepta. Quod si etiam petulcus alludat, tum verò generosa illa bellatrix commodius illius impetum exceptura & repulsura, confestim corpus suum obarmabit, loricaque cameli insternet, qua Ioannes Baptista in deserto vsus fuit, longè quidem omni chalybe fortiore solidioreque: cinget adhæc carnem suam funibus castitatis, aut loris eiusdem materiæ cum vestimento. Arripiet deinde ensem vel acinacem iustitiæ, galeam salutis, scutum fidei, & gladium spiritus, quod est Verbum DEI. Ita armata atque instructa deuota anima, ascendet muros cum comitibus suis, id est, virtutibus à sapientia diuina ad id amandatis, & veteribus illis

Genes. 3. 6

Arma animæ deuotæ.

Matth. 3. 4.

Ephes. 6.

illis Amazonibus nulla in parte conferendis. Ordines autem ducet Pœnitentia portans insignia in velo lachrymis distincto, depicta; vnà cum Tau argenteo. Cassis seu galea insignium cærulea erit, onerata corona aurea, quæ duodecim lapidibus pretiosis collucebit; ita vt tres purpurei, tres flaui, tres miniati, tres denique cærulei ac miro artificio inter se permixti sint.

De animæ exercitu triumphante.

COLLOQVIVM LXXXVIII.

THEO. PORRO cum deuota quæpiam anima oculos suos in hoc velum ita conijciet, fieri plane non poterit, quin confestim intelligat, quomodo confligere, & victoriam debeat reportare. Clypeus autem huius insignij, (Hieroglyphicũ mortis is est, propter coloris nigredinem quæ nocti & exequijs dicata est) finis ei sui memoriam refricabit, quemadmodum etiam litera Tau, quæ primum mundi alphabetum, & illius linguæ, qua Deum primo vsum fuisse accepimus, termi-

Insignia animæ deotæ.

nat atque concludit. Lachrymas autem cùm intuebitur, recordabitur extemplo gemituum & ploratuum, qui bello illi nostro proprij sunt, quod in hac vita contra Sathanam gerimus; mirabilemque quandam cum morte ipsa conuenientiam habent & affinitatem. Ob hanc etiam credo causam tempore Quadragesimali, quo Ecclesia Catholica omnes spiritalis suæ fortitudinis vires ac neruos intendit, & validissima infractaque acie contra tres suos capitales inimicos armatur, militibus suis iamiam commicturis adeoque ipsa capita iam inclinantibus, frontem cineribus perspergens sic ait. *Memento homo quia puluis es & in puluerem reuerteris*; id est, Accingere fortiter & animosè ad hoc præsium, & assiduò mortis recordare: Hæ enim duæ illæ alæ sunt, quarum beneficio victor bello suscepto excedes. Litera verò Tau memoriam mortis & passionis IESV Christi, nerui pœnitentiæ nostræ pugnatricis illi renouabit. Hic character secundum veterem formam elemen-

Memoria mortis vtilis ad pœnitentiam.

Tau Hieroglyphicũ mortis.

torum

torum Hebraicorum, quemadmodum sanctus Hieronymus animaduertit, in crucis figuram efformatus est. Hæc reuera postrema illa litera, hæc clausula & perfectio Alphabeti diuini est, per Alphabetum & elementa Hebræorum figurati. Alphabetum autem Dei opera illius sunt, ex quibus peculiarem quandam linguam composuit, quæ nullo non momento surda voce nobiscum loquitur; *Cæli*, ait Propheta Regius, *enarrant gloriam* DEI. His literis ac elementis in hoc mundo conditoris nostri magnitudinem, sapientiam, & bonitatem descriptam legimus; quemadmodum Apostolus ad Romanos dicebat. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per eaqúe facta sunt, intellecta, conspiciuntur:* Verum inter omnia illius opera, excellentissima est reparatio hominis, perfecta ac absoluta per extremam istam & illustrem mortis literam, proprijs DEI manibus exaratam, sibi ipsi impressam, & pretiosissimo sanguine coloratam; insigne testimonium po-

Hier. in cap 9. Ezech.

Alphabetum Dei.

Psalm. 18. 2.

Rom. 1. 20.

Maximũ opus Dei.

tentiæ, sapientiæ, & misericordiæ diuinæ. Hoc illud signum est, quo hostem nostrum superare oportet ac debellare. * Hoc veteres Christiani pro Romanis aquilis in signum salutis ac victoriæ nostræ, in omnibus suis vexillis circumtulerunt; postquam Imperator Constantinus miraculosè in cęlo Crucem conspexisset, & vocem audiuisset dicentem. *In hoc signo vinces.* Hoc Propheta Ezechiel nobis significauit, quem Deus compellauit dicens: *Transi per medium ciuitatis, per medium Ierusalaim, & signa Tau super frontes virorum gementium, & clamantium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius: Transite per ciuitatem & percutite, non parcat oculus vester, nec misereamini. Ad omnem autem virum super quem fuerit Tau, ne accedatis.* In hac visione ipsum illud includitur, quod nos dicimus; oportere videlicet illos qui fructuosam pœnitentiam facere cogitant, & illustrem victoriam reportare desiderant, continuo ob oculos suos habere velum

* *Aquila Romana.*

Ezech. 9.4.

illud

illud supradictum, perspersam lachrymis mortis & passionis Filij Dei. Quotquot ergo id faciũt & nequaquam negligenter exequuntur, hi saluantur: & quotquot è contra nec plorãt, nec litera Tau signari digni sunt, intereunt. Cassis cærulea insigniũ, cũ corona, & lapidib⁹ pretiosis significant præmium, quo victores in cælo afficientur, præmium inquam omnibus diuitijs, honoribus & pulchritudine cumulatũ. Color namque Cæruleus cælum significat locum illum mercedis nostræ & recompensationis, corona & gemmæ, præmium; ipse autem gemmarũ numerus duodenarius, ex duobus numeris perfectis compositus, præmij cõplemẽtum designat. Cæterũ materia illius, nobilitatẽ & excellentiam, ipse autem numerus vnà cum materia, totalem perfectionem futuri corporis, & animi post resurrectionem demonstrat. Hæc est deniq; vitæ illa corona, corona iustitiæ, corona gloriæ omnibus illis promissa, qui fortiter ac viriliter in conflicto isto sunt dimicaturi. *Beatus vir*, in-

Aug. l. 11. de ci c. 3. l. 15. c. 20. l. 20. c. 5. Iac 1. 12.

quit Apostolus, *qui suffert tentatiõnẽ: quoniam cùm probatus erit*, id est, cum virtutis suæ specimen ediderit, & assistente diuina gratia victoriam reportarit, *accipiet coronam vitæ*. Considerando ita deuota aliqua anima vexillum istud Pœnitẽtiæ manibus portatum, recordabitur extemplò officij sui, & animum mentemq; spe pulcherrimæ huius coronæ breui accipiendæ erigens, præstolabitur inimicum suum armis probè instructa, illumque cõtra præfractè se inferentem Domino auxiliante repellet, qui præsentia eam sua confortabit, & intrepido corde vallabit. Cumque ita viriliter in compluribus conflictibus se gesserit, & castrum toto illo tempore quod ei diuina lex præscripserit Heroicè propugnarit; eadem superni numinis, constitutione consequetur, vt insignem legitimamq; victoriam reportet, & inimicum hostemque suum egregiè & animosè debellet. Postquam ergo omnia salutis suæ negotia & mœnia expediuerit, & aciem instruxerit, hoc ferè mo-

rè modo, terræ valedicens, effabitur.

Valete nunc mea ossa, vos valete nunc,
Ego relicta terra ad alteram terram migro.
Terram salutis & quietis aurea.

Sub ipsum autem discessum suum, intuens Deum & Sanctos vniuersos, ad sibi auxiliandum succurrendumque præparatos, mirabili quadam lætitia perfundetur, cor ad cælum eriget, & diuinam Maiestatem in hæc verba compellabit.

Te nunc Creatorem meum, & Deum meum
Vicina specto, tu tua clementia
Me rursus intuere, me lotam aspice
Tuiq; Filij redemptam sanguine.
Vide vt patenti gutture infernus tuam
Quem vorare gestiat, vide vt furat,
Vt me miscllam faucibus captet suis.
Succurre Iesu, & arma cœlestis spei
Scutumq; charitatis & fidei para.
Vos Angeli, vos ô beati spiritus
Arcete carnificem procul meum, procul
Ferale propulsetis agmen Tartari.
Tuq; ô supreme & sempiterne spiritus
Largire robur, adde vires debili,
Quo fortiter pugnando, splendidam meis
Ab hostibus feram victoriam, veni
Beata mater Regis omnium ac Dei,
Meq; in periculoso agone robora.

Hoc illud est certamen, hæc lucta vltima,
Hic vnicus conflictus est, quo fortiter
Pugnando pacem sempiternam consequar.

Sicque sub finem ex ergastulo suo euolans, concludet:

Valete vos ossa, & corpus meum vale:
Non te morabor amplius, nunc emigro,
Subvecta nunc oris tui flatu vltimo
Ad igneas Tonantis euolo domos:
Tu me Deus Deorum, & æquus arbiter
Sinu tuæ felicitatis excipe.

Ecce tibi hoc loco conflictum, & insignē illorum victoriam, qui in hoc mundo viriliter præliantur: è quorum numero quisquis esse desiderat, & cum istiusmodi valedictione è rebus humanis emigrare concupiscit; eum necesse est maturè iter illud ingredi, quod IESVS Christus nobis præsignauit, & paulò ante à nobis etiam expositum declaratumque fuit. Illud autem quisquis præ se arripere non cogitat, huic reuerà idem metuendum est, quod conflictus animæ impœnitentis nobis repræsentauit. Verùm quam deuota nostra ista hæc anima Vale suum dixerit, annon & mihi idem aliquando dicere permittatur? quippè qui illud etiam tibi liquidò appromittam, eis paucos admodum dies conflictum contra mundum & car-

& carnem pulcherrimè me tibi esse depicturum, ac de vniuerso peregrinationis nostræ apparatu, si Deo placuerit, quam accuratissimè dissertur um. PHIL. Næ verò conditio isthæc talis est, vt si ad eam non accessero, & pausam illam tuam comprobaro, meritò rusticus & agrestis videar deberi appellari? cùm præsertim pulcherrimas mihi istas duas tabellas, adeò enixè vehemẽterque desideratas, non modò fideliter mõstraris, sed innumeris iuxta figuris coloribusque illustraris. Illud ergo mearum potius partium erit, interea temporis dum commodæ occasioni ad lectionem hanc nostram repetendam insidiaris, sanas & continuas de morte, super qua adeò doctè tu disseruisti, cogitationes suscep-
tum ire. THE. Ego autem pro omnib⁹ ijs quæ benè dicta & accuratè cogitata fuerunt, ei laudes & gratiarum actiones persoluo, qui ipsa omnis boni origo est, cui gloria & benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

ELEN.

ELENCHVS AVTHORITATVM SCRIPTVRAE SACRAE in hoc opere explicatarum.

GEN. 1.27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* 286

2.7. *Deus inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* 319

2.17. *Morte morieris.* 26.30

3.7. *Et aperti sunt oculi amborum cumq; cognouissent se nudos* 336

3.14. *Super pectus tuum gradieris & terrã comedes.* 265

3.19. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* 246

4.21. *Fecit Dominus Adæ tunicas pelliceas.* 120

4.5. *Et concidit vultus eius.* 366

Exod. 20. *Non occides.* 75. *Non furaberis.* *ibid.*

Iob. 8. *Sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* 142

Iob 21. *Et in momento ad inferna descendunt.* 171

Pial.

Psal. 33. 9 *Gustate & videte quoniã suauis est Dominus.* 346
33. 22 *Mors peccatorum pessima.* 57
Psal. 36. 27. *Declina à malo & fac bonum.* 190
Psal. 48. 15. *Mors depascet eos* 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* 144.
Psal. 109 2. *Dominare in medio inimicorũ tuorum.* 510
Psal. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* 160
115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sãctorum eius.* 55
Sap 1. 13 *Deus mortem non fecit.* 242
c. 2. 23. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem.* ibid.
Ecc 15. 16. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* 320.
Isa. 25. *Praecipitabit mortem in sempiternum.* 52
Os. 13. *O mors ego mors tua ero.* ibid.
Matt. 4. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* 293
5. 48. *Estote perfecti sicut & Pater vester caelestis perfectus est.* 293
6. 28. *Dico autem vobis quod nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* 215
13. 31. *Simile est regnum cœlorum grano synapis.* 419

Matt.

Matt. 26. *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* 60
Marc. 16. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* 43
Ioan. 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* 50
8. 34. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* 308
18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* 160.
Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur, bonum.* 176
Prudentia carnis mors est. 109
1. Cor. 2. *Tempus breue est.* 144
2. Cor. 5. *Nolumus spoliari sed superuestiri.* 59
Iacob. 4. *Vita nostra vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* 143
Apoc. 21. *Mors amplius non erit.* 53
14. *Beati qui in Domino moriuntur.* 56

FINIS.

INDEX

INDEX MATERIARVM MEMORABILIVM IN HOC libro contentarum.

A

ACHitophel ambitione motus sui-ipsius homicida. 107
Adam quatuor mundi partes in nomine suo circumfert. 448
Adam significat terrenum. 119. ideo hoc nomine affectus vt mortis recordaretur. 424. & humilis esset. ibid.
Adam creatus inperfectione quinquagenarij 137 morti cõdemnatus. 202. illius vestes. 203 sepultus in monte Caluariæ. 205. non creatus mortalis. 241. ex puluere factus. 419 illius lapsus. 626.
Aiax porcos pro hostibus occidit. 698
Aliquid momento sum propter tria. 177
Alcyon. 412
Alexãder veneno sublatus 71 in principio certaminis tremebat. 77. fortis in necessitate. 133. quanti fecerit Homeri Iliada 253. stomachabatur ob paternas victorias. 511. hostes habere desiderabat ibid.
Ambrosia. 462

Ami-

INDEX

Anima in agone clarè se videt 3. agonizãtis status. 3

Anima partes duæ 307. eius origo 263 imago Dei 286. Deo similis. 290 eius facultates vegetatiuæ rationi immorigeræ. 290

Animæ valedictio 6. agonizantis & desperatæ Ethopœia. 551

Amor mundi homines insensat. 167

Animalia homini obediunt. 272. 279 quantumuis immania hominem verẽtur. 283. quomodo passiones suas prodant. 291

Arbor vitæ. 461

Archimedis industria in Syracusis defendendis. 383. eius sphæra. 384

Aristides prudens consiliarius. 133

Aristoteles fluxum Euripi non intelligens in mare se abiecit. 111

Arma animæ deuotæ. 633. eius insignia. 634

Aspis fœtum suum qui heri filium momorderat occidit. 275

Auaritia idololatriæ species. 102. reddit hominem sordidum ac illiberalem. 102. lupo similis. 103. Iudæ discipula. 112 semper famelica pauper. 103. homicida suiipsius. 113

B

BAptismus generatio spiritualis. 493 eius necessitas ib. sine illo filij nõ san-

sanctificantur ib. cur concupiscentiam & peccati originalis reliquias non tollat. 503
Bestiarum arma. 398. *hominum.* 401. *tria armorum genera.* 405
Boum industria. 64
Biantis dictum explicatum. 18
Bonorum tria genera. 145
Bona mundi præ cælestibus relinquenda. 187.
Brachium imago voluntatis. 315. *liberi arbitrij.* 318
Briareus centimanus. 327

C

Cæsar quod hostibus ignouisset laudatus. 512
Cato superbia motus se occidit. 109. *idcirco ignauus.* 28
Canis obedientia. 281
Cæli celeritas. 155. *magnitudo.* 157. *domicilium hominis.* 158.
Cleombroti suiipsius homicida ignauia 28
Cleopatra ob superbiam se occidit. 110.
Cholera in vultu apparet. 365. *Cholerici descriptio.* ibid.
Conflictus equæ cum Leone. 67
Concupiscentia non peccatum. 501. *cur peccatum dicatur.* 502
Coruus loquens. 289
Crocodilus homini obediens. 274. *eius lachrymæ.* 275. *ab Ichneumone occiditur.*

ditur. 398. & à Delphino. ibid.
Crux signum victoriæ 626
Cor significat memoriam. 323
Curiositas cleombrotum, Empedoclem, & Aristotelem præcipitauit. 110

D

DElphini industria in Crocodilo occidendo. 398. Demosthenes vanus. 83. suiipsius homicida. ib.
Diabolus terra nutritur. 265. & peccato. ibid. conatur mortis memoriam nobis eripere 616 eius turpitudo 620. potentia & malitia. ibid. tentandi modus 626. quomodo cum illo confligendum. 583. quomodo superandus. 626
Dialecticorum subtilitates sunt telæ aranearum. 34
Dei manus & brachium potentiam illius significant. 317. oculi intelligentiam. 317. excellentia opera humilibus principijs prætexit. 361. hominum quantus amator. ibid.
Disputare de vmbra asini. 42
Draco seuerus nomotheta. 27

E

ELephas murem timet. 277. & hominem. 31
Elias mortis cupidus. 93
Empedocles semet præcipitauit. 90
Epicurei mortis memoriam sustollũt. 626.

Equo-

Equorum industria. 51. exemplum. 53. equi furibundi ancillæ obediunt. 277
Exilium mortis species. 234

F

FAbulæ poetarum Sanctam veritatem corrumpunt. 462

G

GVla species Idololatriæ. 76
Guloſorum deſcriptio. 76
Gruum induſtria. 64

H

HEbræi Ægypto egredientes quomodo nos ad mortem præparare debeamus oſtendunt. 193.
Hæreticus eſt Idololatra. 282. Nabuchodonoſori ſimilis. 228. peior Epicuro Dei & hominum contemptor 231. eius pœna Eccleſiaſtica. 232
Homicida ſuijpſius eſt execrandus. 81 laudandus interueniente Dei mandato 92. exemplum Sampſonis 93. cauſa homicidij ſuijpſius. 101. exemplum Achitophelis. 107. Catonis. 108. Cleopatræ ibid.
Homo inter omnes creaturas mortales ſolus mortalis nominatur. 119. fa-

ctus ad imaginem Dei. 121. habet multa argumenta mortis suæ. 121. fuit factus immortalis. 242. proportio humani corporis & animæ. 253. Causa rectitudinis. 262. cur anthropos appellatus. 397. Rex omnium animalium. 269. signa huius potestatis. 271

Homo macrocosmus. 407. eius excellentia ibid. cur nudus nascatur. 415. cur adeò abiectus. ibid. cur creatura appellatus. 428

Humanum corpus omnia quæ in mundo sunt continet. 157. meritò à natura non immortale. 464

Homo melius quam omnia animalia armatus. 395. non conueniebat eum à natura armari. 397

Homo cælum spectare debet. 255. corporis rectitudo animæ cœlestem originem demonstrat. 284

Homo terrestris nutrit diabolum. 268. per peccatum potestatem in animalia amisit. 271. quomodo Deo similem se faciat. 290. conuenientia partium corporis cum partibus animæ. 308. corpus tripliciter pulchritudinem animæ representat. 325

Homo ciuitas Regia. 593. Vilissimi difficillimè gubernantur. 593. Tres hominis hostes. 596

Humilitas imperantibus necessaria homini

mini commendata. 358
Humilitas Agathoclis Regis Siciliæ ibid.

I

IEsus mortem occidit. 58. *eius vestimẽta* 52.
Idololatria peccatum abominandum. 529. *Omnes animæ facultates destruit.* 528. *quodlibet vitium idololatriam continet.* 533
Ichneumonis industria. 63
Intentio recta nostrarum actionum per speciosam figuram declarata. 387
Iusula Malta per Apostolos à serpentibus repurgata. 238
Iudas propter auaritiam se occidit. 112
Iudicij rigor post mortem. 194

L

LIngua est imago liberi arbitrij, signum virtutis aut vitij 348 *optimum ac pessimum in bestijs.* 349.
Lachrymarum fontes. 314
Leo ab equa superatus. 69. *pro catulis & vita sua pugnat.* 80. *gallum gallinaceũ timet.* 283. *obedit.* 285. *Rex animalium terrestrium.* 271. *iram suam prodit.* 316
Lilia quam Salomon ornatiora. 182
Leges Draconis sanguine consignatæ. 27. *eius severitas reprehensa.* 28

Leges metu mortis stabilitæ. 27
Lupus comedens. 26
Lucretia se occidens malefecit. 480
Lupi industria. 64

M

MAnus voluntatis imago. 328. liberi arbitrij. 329. & animæ. ibid. instrumentum meriti. gloriæ, & vituperij. 267. cur oraturi manus eleuemus. 320. Cur iurantes aut fœdera ferientes. 388. imago intellectus. 385. interpres cogitationum. 386. signum fidei. 388. solatium memoriæ. 389. artium inuentrix. 392. eius effecta. 393. potentia. 348. miracula facta in manu. 384. signum spei. 389. propria homini. 389. Virgo Maria pulcherrima. 356
Mariæ furor. 357
Mundus cur ex nihilo factus. 414. cur nõ ab æterno. 416. continet quatuor creaturarum genera. 316. Totus mundus carcer quidam est. 319
Mors corporea duplex bonorum ac improborum. 362
Mors improborum propriè mors dicitur. 363. Vt benè moriaris bene viuas. 347
Mortem meditari. 362
Meditatio necessaria. 26. vtilis cõtra mortem. 28. Alia vtilitates. ibid.

Me-

Memoria mortis homini commendata. 28. 29. 31. *Diabolo odiosa.* 33. & *Epicureis.* 36. *à sanctis frequentata.* 34
Moriendum est. 129. *causa mortis.* ibid. *quantum referat ad mortem se præparare.* 134
Mors priuatio tantum. 45. *imò nihil.* 46. *non timenda.* 47. *omnes ad mortem accelerant.* 36. *cur mortis non recordemur.* 16. *quantum referat bene mori.* 176. *præparatio mortis in quo consistat.* 178.
Mors animæ peior quam corporea. 16
Mortis timor à peccato abstinet. 224. *qualis hic esse debeat.* 225. *audaciam contra mortem generat.* 234
Mors potentibus non parcit. 336
Exempla audaciæ contra mortem. 234
Mors prima & secunda. 378
Mors secunda est æterna pœna. 379
Mors animæ & corporis diuortium. 26
Arma contra mortem. 28
Mortem qualibet natura timet. 36
Orare pro mortuis bonum. 529
Mortem contemnere absq; causa vitiorũ origo. 28
Mortem sancti timuerunt. 33
Mors malum est. 29
Morti malum ineſt. 27
Vtrum mors occidi possit. 32. & *quomodo* ibid.

Ad mortem præparare se oportet. 138
Mors nunquam nos deserit 147. *mors Latro lunatica.* 228. *inter homines res cõmunissima.* 148
Moysis facies fulgurans. 358
Mosaica virga descriptio. 385
Murena industria. 63

N

Nectar. 462
Numerus denarius animam repræsentat. 264. & *corpus. ibid. omnium numerorum origo.* 265 *numerus duodenarius perfectus. ibid.*

O

Obedientia magnanimis propria. 598.
Obedientia leonis 235. *canis. ibid. serpentum* 236. *crocodilorum. ibid.*
Oculi sunt imagines intellectus. 332
Oculi naso & ori magnitudini æquales. ib.
Oculus furibundus marij. 337
Os imago voluntatis. 342

P

Paralyticus metu & apprehensione mortis sanatus. 32

Passiones habent sedem suam in vultu, earum effecta. 313
Peccatum corrumpit pulchritudinem animæ 518. *quantum peccatũ* 519. *quam rigidè à Deo puniatur* 191. *peccati effecta* 410. *eius definitio* 518. *turpitudo Deo inuisum.* 519
Sancti pati quam peccare maluerunt. 48
Peccatum completum 487. *hominem bestijs similem facit ib. duplex originale & actuale* 518. *quid actuale ib. actuale duplex, mortale & veniale* 519. *quid veniale ib. quid mortale* 520. *non omnia peccata mortalia.* ibid.
Peccatum originale omnium peccatorum origo 427. *eius definitio.* ibid.
Peccati turpitudo ex diabolorum pictura elucet 540. *figurata in vetere Testamento per cadauer.* 546
Peccatum inferno peius. 582
Pœna non ignominiosa nisi ob causam. ib.
Philosophia timorem mortis non tollit 35. *philosophia mortis meditatio* 16. *parum prodest absque doctrina Christiana* 28. *Philosophi veteres nimium curiosi se præcipitauerunt.* 19
Pullorum columbinorum industria. 90
Platonis dictum explicatum. 326
Sanctus Paulus Insulam Maltam à serpentibus repurgauit ib. qui in festo sancti Pauli nascuntur serpentes regunt 327. *por-*

327. porci 266. porcorum industria. 64
Proportio formæ & materiæ inter omnes creaturas. 249
Prouidentia Diuina in phreneticis præcipitatis conseruandis. 100
Prudentia humana stulta in rebus momentosis 109. prudentia intempestiua. ibid.
Prudentia bonorum. 175
Punitiones Diuinæ. 622

R

RAzias se occidens minimè sapiens. 92
Respublicæ spe boni & timore mali sustentantur. 167
Resurrectio corporis 8. cõtra Saducæos probata 505. duplex bonorum prima & secunda. 549
Reges plenam Maiestatis figuram habent. 268
Reges animalium. ibid.
Regnum cælorum simile grano sinapis 362

S

SAcrificia absque memoria mortis non peraguntur. 99
Sapiens nunquam imparatus. 18
Sampson se occidens non peccauit. 87

Sensus hominum quam bestiarum nobiliores. 364. 391
Serpentes homini obediunt 273. *Psyllos metuunt.* 263
Septem dormientes. 140
Simia ridicula. 217
Socrates ob castitatem lubricus existimatus. 363
Sol ab Homore Briareus 383. *eius celeritas* 156. *magnitudo.* ibid.
Sphæra Archimedis. 384
Susanna mori maluit quam peccare. 479

T

THaletis dictum. 149
Tempus præteritum nihil est. 139
Temporis essentia ab imaginatione dependet 140. *omnia consumit* 174. *eius celeritas.* 156
Tentatio Domini nostri explicata. 584
Tentationum vtilitas 505. *modus eas vincendi.* 507
Terra punctum respectu cæli 131. *nimis parua pro regno Dei* 132. *eius magnitudo.* ibid.
Terra locus criminalis 218. *carcer* 220. *cibus Diaboli.* 122
Themistocles vanus 82. *sui ipsius homicida ib. Thomas Morus mundum hunc carcerem appellabat.* 220

Tiberius de nocte videbat. 392
Timantes pictor excellens. 378
Tygris hominem timet. 169

V

Vanitas mulierum Christianarum in se ornando. 179
Victoria suijpsius excellentissima. 179
Victoria animæ contra Diabolum. 86
Vita humanæ breuitas 626. nunquam ad mille annos extenditur 232. eius celeritas 197. somnium de vmbra 141. integrum diem non durat 179. mortem indiuiduam habet. 147
Vultus imago animæ 280. proprius hominibus 56. admiranda varietas partium in vultu 313. earum proportio 330. pulchritudo faciei animæ pulchritudinem figurat 331. turpitudo faciei animæ turpitudinem significat ibid. sæpe mentitur. 332
Velocitas in tribus consistit. 145
Velocitas cælorum admiranda. 156
Voluntas continet imaginem Dei, illius libertatis, et potentiæ 196. figuratur per humeros & brachia 315. & per os. 341

FINIS.

Soc.tis Jesv Paderb. Erra-

Errata sic corrigenda.

Pag. 21. lin. 2. scripta, pag. 37. lin. 14. nisi, ibid. lin. 15. adhibebant, ibid. lin. 24. non, pag. 40. lin. 17 cogit atque, ibid. lin. 21. subiugandam, pag 44. lin. 27. nemo, pag. 77. lin. 25. legem, pag. 121. pag 131. lin. 23. vt, ibidem lin. 26. præparare, debeamus, pag. 147. lin. 4. se, pag. 219. lin. 2. fuerit: Nam, pag. 220. lin. 14. ale, pag. 224. lin. 24. sceleratos, ibid. lin. 25. tolli, pag. 233. lin. 2. ab, pag. 243. lin. 14. pœnæ, pag. 247. lin. 3. quâ, ibid. lin. 11. dele &, pag. 251. lin. 3. splenis, pag 252. lin. 17. ilum, pag. 252. lin. 17. hominis, pag. 261. lin. 9. Angeli cum, pag. 265. lin. 27. eras, pag. 266. lin. 13. tuos, pag. 273. lin. 23. animus, pag. 276. lin. 23. fuisse, pag. 299. lin. 22. manum, ib. lin. 26. inuita, pag. 300. lin. 3. eum, pag. 304. lin. 9. hominis, pag. 310. lin. 2. sublimior, pag. 314. lin. 24. nos, pag. 354. lin. 20. deleri, pag. 374. lin. 18. addita scheda, ibidem lin. 25. literis, pag. 375. lin. 8. nobilem, pag. 388. lin. 24. signum, pag. 392. lin. 2. Dauid.

Facilè fuit Typographum hoc in Opusculo errare, quia exemplar malè scriptum erat.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Stephanus Hemmerden, Sumptibus Petri Henningij.

ANNO M. DC. X.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN